CLEANDER ET EUDOXUS, SEU DE PROVINCIALIBUS, QUAS VOCANT, LITTERIS, ...

Gabriel Daniel, Joseph : de Jouvancy



De peccato philosophico a pag. 157. 159.

De peccati ignorantia p. 166.

vide pag. 66. motivum, quo inducti sunt Jansenistæ ad scribendas literas provinciales

vide p. 116. de expositione facti p. 72.

vide pag. 125. et 131. et 132. ibi de Comitiolo.

quomodo Jesuitæ limitaverint doctrinas de probabilitate. 129

p. 72. consilium Jansenistarum in attribuenda hac doctrina solis Jesuitis. p. 72.

falso citatur Antonius Perez contra probabilitatem quam fidelis sit P. Pechans in quæst. facti. in citan. au...

p. 74.

CLEANDER
ET
EUDOXUS,
SEU
DE PROVINCIALIBUS
Quas vocant, Litteris,
DIALOGI


E' Gallico exemplari, edito Coloniæ Agrippinæ typis Petri Marteau 1694.

Daniel Gabriel S. J.





PUTEOLIS MDCXCV.
Typis Jacobi Raillard)(*Superiorum Permissu*.



INTERPRES
LECTORI.

EX omnibus libellis quos adversus Jesuitas inimicorum procudit malevolentia, vix ullus est qui majorem ipsis conflarit invidiam quam qui Litteræ Provinciales *inscribitur. Is, licet contexatur totus è locis aut falsò aut inscitè prolatis, licet atroces calumnias & propudiosa mendacia totidem prope pagellis contineat, ut è sequentibus Dialogis abundè patebit; habet nescio quid tamen quo placeat, & fidem imprudentibus incautisque faciat. Hanc illi dotem conciliant potissimum duo.*

Primum veteratoria jocandi ratio, qua inducitur in hanc Litterarum scenam personatus actor, qui maligno percunctatori fingitur ineptissimè respondere, & quicquid illi obtruditur affirmare pueriliter, aut negare. Movet risum hominis simplicitas misera; & quamvis eadem ejus sermoni apud prudentes & cor-

datos deroget fidem, nihilominus ita ferè fit ut ridiculas personas non inviti audiamus, cernamusve. Quis enim ridere non amet? Unde etiam accidit ut in laxatos risu & delibutos joco animos calumnia & falsitas pedetentim obrepat.

Alterum quo libellus hic famosus placet, ac veri colorem quendam obtinet, est procax & cōfidens ejus Auctoris audacia: qui res dubias affirmatè, falsas quasi divina testatas fide refert: sive id malitiosè fecerit, cum fraudis probè sibi esset conscius; sive, ut verosimilius est, in errorem inductus ab amicis, ea sumpserit pro veris, quæ per se cognoscere ipse non potuerit, homo in Theologicis, ut fatetur, tyro ac rudis: sive demum ea non admodum pernoscere curaverit, id unum spectans ut gratificaretur suis, & famam Scriptoris ingeniosi lepidique colligeret.

Non defuere qui Litteras istas Provinciales & Latinis Opusculis & Gallicis confutarent: satis illi quidem acriter & eruditè: verum inamœno ac spinoso plerumque sermone, qui legentes absterreret potius ac retardaret, quàm alliceret; adeout triumphare visi dudum sint Jesuitarum adversarii, perinde quasi calumniis istis responsum non foret; quia quod responsum erat parum legebatur. Desiderabant hactenus aliquid probi omnes in eo genere quod & Lectores delectaret pariter & doceret.

ret.

ret. Repertum denique est. Prodiit libellus ejusmodi a Gallo Theologo nuper editus, in quo rationum solida vis, ac sacræ doctrinæ scientia, cum pari venustate sermonis & lepore jungitur: de quo pronunciare licet multo verius quàm de Litteris Provincialibus nescio quis jactavit, omnem Dialogi artem, leges omnes ac numeros in eo elucere.

Id opus incredibili hominum studio exceptum in Gallia frementibus adversariis, & ad inopinam lucem discussa nocte veluti perstrictis. Cum vero in id incubuerint a multis annis ut Litteras istas Latino sermone donatas usque in ultimos Europæ fines deportandas curarent, visum est mihi Gallicum istud antidotum in Latinum sermonem summa fide convertere, quò & suus esset veritati locus, & obstrueretur os loquentium iniqua. *Fruere, Lector, & quis sit Provincialium Litterarum liber, hodie demum cognosce.*

Provinciales latino sermone donavit, ut nemo nescit, Wendrokius; *id enim sibi nominis Auctor adscivit. Ab ejus interpretatione, cum citandus Paschalis fuit, quibusdam in locis consultò discessimus, ubi vel obscura vel mendosa videbatur; & ut Paschalem ipsum, non ejus interpretem, agnosceres, efficere conati sumus.*

Unum est, antequam desinam, de quo moni-

tos Lectores velim. Cum hujus libri Auctor, cujus sinceritatem tantum laudare jure possum, quantum fidei malæ in Jesuitarum adversariis agnoscitur, intellexisset in eo elaborare me ut suum opus latino sermone donarem; ipse mecum egit ut duo quædam, in quibus peccavit imprudens, emendarem, vel plane tollerem. Primum habetur pagina Gallica 137. ubi inter damnatas ab Innocentio XI. propositiones hanc recenset: Licitum esse in praxi sequi opinionem probabiliter tantum probabilem. *Hanc sane propositionem, pro eo quem legentibus objicit sensu, falsissimam esse arbitratur: at eandem inter damnatas numerari falsum est.*

Alterum extat pag. 161. ubi scribit librum Baunii ab Cleri Gallicani Comitiis censura non fuisse inustum, perinde atque ab Censoribus Romanis notatum constat. At rem ita se habere postea comperit. Minimè tamen fuit ab Episcopis opus Baunii censura confixum ob eam propositionem, de qua hìc agitur; verùm alias ob causas, propter quas defendendum sibi Baunium Auctor noster non putat. Ex duobus istis prius sustuli, quia mature monitus sum: alterum reliqui, quia tardius. Deletum puta, humane Lector, quod & ego, & Libri Author omissum vellemus.

Illu-

Illustriss. ac Reverendiss. Domine.

IUssu Dominationis Tuæ Illustriss. ac Reverendiss. perlegi librum, cui titulus, *Entretiens de Cleandre, & D'Eudoxe sur les Lettres au Provincial*, è Gallico in Italicum, ac Latinum idioma diligentissimè traductum. In eo non solum nil contrà fidem, aut bonos mores: verum etiam miram veritatis elucidationem, ex occasione calumnias rejiciendi, & non inutilem Theologicarum opinionum explanationem deprehendi. ideo dignum, qui typis mandetur, existimo. Neapoli ex nostra Domo Sanctæ Mariæ Angelorum die 28. Octobris 1695.

Dominationis Tuæ Illustriss. ac Reverendiss.

Addictissimus Famulus
Franciscus Maria Muscettula C.R.

Stante suprascripta approbatione quod possit imprimi, licentiam concedimus, ut imprimatur. Datum Puteolis die 4. Novembris anni 1695.

Fr. Iosephus Episc. Puteolanus.

Ec-

Eccellentissimo Signore.

Giacomo Raillard supplicando espone à V.E. come desidera fare stampare li Ragionamenti di Cleandro, e d'Eudosso tradotti in Italiano, e Latino dal Francese, supplica perciò V.E. per la solita revisione, e l'haverà à gratia, ut Deus.

Rev. Abbas D. Franciscus Ridolfi videat, & in scriptis referat.

Soria Reg. Miroballus Reg.
Gascon Reg. Andreas Reg.

Provisum per S.E. Neap. 21. Octobris 1695.
Mastellonus.

Excellentissime Domine.

De mandato E.V. Opus, cui titulus, *Cleander, & Eudoxus, Dialogi, &c.* diligentissimè perlegi, & in eo nihil omnino reperi, quod bonis moribus, seù Regię Jurisdictioni adversetur; ideirco illud typis dignissimum existimo. In quorum fidem *Franciscus Ridolfi* M. P. Neapoli 30. Octobris 1695.

Visa supradicta relatione imprimatur, & in publicatione servetur Regia Pragmatica.

Soria Reg. Miroballus Reg.
Gascon Reg. Andreas Reg.

Provisum per S.E. Neap. 3. Novembris 1695.

Mastellonus.

CLEAN-

EPISTOLA

S. FRANCISCI SALESII

AD R. P. LEONARDUM LESSIUM,

Cujus autographum in theca argentea asservatur Antuerpiæ in Domo Professa Societatis Jesu.

Admodum Reverende in Christo Pater.

ATtulit mihi Paternitatis Vestræ litteras dilectissimus nobis Magister Gabriel, quæ ut perhonorificæ, ita & jucundissimæ mihi fuerunt. Amabam jampridem, imò etiam venerabar te, nomenque tuum, mi Pater, non solùm quia soleo, quidquid ex vestra illa Societate procedit, magni facere; sed etiã quia singillatim de vestra Reverentia multa audivi præclara primùm, deinde vidi, inspexi, & suspexi. Vidi namque ante aliquot annos opus illud utilissimum de Justitia & Jure, in quo & breviter simul, & luculenter difficultates illius partis Theologiæ, præ cæteris Authoribus, quos viderim, egregiè solvis. Vidi postea Consilium, quod a magni Consilii Angelo per te mortalibus datum est, de vera Religione eligenda; ac demum obiter vidi in Bibliotheca Collegii Lugdunensis Tractatum de Prędestinatione; quamvis nonnisi sparsim, ut fit, oculos in eum injicere contigerit; cognovi tamen, Paternitatem Vestram, sententiam illam antiquitate, suavitate, ac Scripturarum nativa

)(au-

authoritate nobilissimam de prædestinatione ad gloriam post prævisa opera amplecti, ac tueri: quod sanè mihi gratissimum fuit, qui nimirum eam semper, ut Dei misericordiæ, ac gratiæ magis consentaneam, veriorem, ac amabiliorem existimavi: quod etiam tantisper in libello de Amore Dei indicavi. Cum igitur ita erga Paternitatis Vestræ merita, quam dudum laudaverant apud me opera ejus, affectus essem, mirificè profectò gavisus sum, me tibi vicissim utcumque etiam charum esse: quod ut semper contingat, & dictum Magistrum Gabrielem commendatissimum habebo, & si quid unquam potero, quod tibi placere cognoscam, id exequar quàm impensissimè. Valeat interim Reverenda Paternitas Tua, & te Deus usque in senectam & senium nunquam derelinquat, sed canos tuos benedictionibus cæli ornet, & compleat. Annessi Gebennensium 27. Augusti 1618.

Adm. Rev. P. V.

Humilis & addictus Frater ac Servus in Christo

FRANCISCUS Episcopus Gebennensis.

FE=

In Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis habita, &c.

SAnctiss. D. N. Alexander Papa VII. præsenti Decreto prohibet, & damnat libros infrascriptos, eosque pro damnatis, & prohibitis haberi voluit, sub pœnis & censuris in Sacro Concilio Tridentino, & in Indice librorum prohibitorum contentis, aliisque arbitrio Sanctitatis Suæ infligendis.

Elenchus Librorum.

Decem & octo Epistolæ Gallico idiomate cōscriptæ, quarum prior inscribitur: *Lettre escrite a un Provincial par un de ses amis sur le sujet des disputes presentes de la Sorbonne, de Paris ce* 23. *Janvier* 1556. Incipit: *Monsieur, nous estions biens abusez.*

(Tum pergit enumerare singillatim Provinciales litteras, pluresque Arnaldi libellos. postremo hac addit)

Præterea Epistolas, libellos, ac libros alios quoscumque, in quibus doctrina Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis, in quinque propositionibus per Constitutiones Innocentii prædecessoris, & Sanctitatis Suę damnata, asseritur, aut quomodolibet approbatur, vel defenditur, tam impressos, quam imprimendos quocumque idiomate, vel quomodolibet etiam in scriptis evulgatos, vel in futurum evulgandos, Sanctitas Sua omnino damnat, & prohibet, ac dānatos & pro-

hibitos esse voluit, mandans, ut nemo, cujuscumque gradus & conditionis existat, etiam speciali, seu specialissima nota dignus libros prædictos, aut aliquem ex illis apud se retinere, legere, aut imprimere, aut imprimi curare audeat, sub pœnis & censuris contra hujusmodi delinquentes statutis; sed statim quicumque illos habent, vel in futurum quomodocumque habebunt, locorum Ordinariis, seu Inquisitoribus sub jisdem pœnis exhibere teneantur &c.



IN-

INTERDICTUM

Adversus Provinciales Litteras á Sancta Inquisitione Hispaniensi promulgatum Nonis Iunii anno 1693.

SANCTA Hispaniensis INQUISITIO, edicto, quod nonis Jun. an. 1693. Madriti edidit, in vetitorum indicem libros aliquot rejecit, eosque inter, Litteras Provinciales Montaltii, de quibus hæc habet: *Prohibe un libro en quarto, cuyo titulo es*, Cartas Provinciales, escritas por Luis de Montalzio à un Provincial traducidas de Frances en Español, con el nombre, al parecer, supuesto de Gracian Cordero, Canonico de Burgos, y suena impresso en Colonia por Guillelmo Meterninch, año de 1684. *Por tener proposiciones hereticas, erroneas, sediciosas, escandalosas; y ser dicho libro un defensorio de la doctrina de Jansenio condenada por la Iglesia; con burla, e irrision de los que siguen las dos Escuelas de Tomistas, y Jesuitas; en grave offensa de Santo Tomas, queriendo persuadir que siente lo mismo que Jansenio; y ser assi mismo injuriosissimo a la Religion de la Compañia de JESVS en todas las opiniones morales.*

Prohibemus (*sunt ipsa edicti verba*) librum in quarto, cui titulus, *Litteræ Provinciales, à Ludovico Montaltio ad Provincialem scriptæ, è Gallico in Hispanum sermonem conversæ à Gratiano Cordero* (fictum videtur hoc nomen) *Ca-*

novico Burgensi, quæ impressa feruntur Coloniæ apud Guillielmum Meternich anno 1684. Quod is liber contineat propositiones hæreticas, erroneas, seditiosas, scandalosas: Quod sit apologia doctrinæ Jansenii ab Ecclesia proscriptæ; non sine ludibrio, atque irrisione eorum, qui geminam Scholam Thomistarum, Jesuitarumque sectantur; ad insignem Divi Thomæ injuriam, quem persuadere conatur unum atque idem cum Jansenio sentire: Quod denique, dum agit de moralibus opinionibus, in Societatem JESU contumeliosus in primis sit.



AP-

APPROBATIO

Illustrissimi Archiepiscopi Mechliniensis.

QUamquam ea sit fueritque semper in Ecclesia Catholica apud summos infimosque de probitate vitæ ac doctrinæ Societatis JESU opinio & æstimatio, quæ ad refringendas calumnias, quibus hoc tempore ejusdem doctrina Moralis per Litteras vulgò dictas Provinciales tantopere impetitur, ipsa per sese apud sapientes & cordatos videatur sufficere: tamen, quia diutina Societatis ejusdem patientia & silentio calumniatores multo insolentiores redditi, pusillis multis nimium credulis non leve scandalum ingenerant; justum & æquum censemus, ut pro communi ejusdem Ordinis fama tuenda, & gravioribus animarum damnis avertendis, in unum collecta imprimantur Opuscula Apologetica, a quibusdam ex eadem Societate Theologis adversus injuriosas illas Litteras antehac alibi separatim edita, videlicet: *Premiere response aux Lettres, &c. par un Pere de la Compagnie de JESVS. Impostures Provinciales du Sieur de Montalte Secretaire du Porto Royal, decouvertes & refuteès par un Pere de la Compagnie de JESVS. Response d'un Theologien aux propositions extraites des Lettres &c. Response aux plaintes &c. par le Pere François Annat. Response a la seizieme Lettre &c.* quæ responsio antehac non fuit edita. *Et Response a la dix septieme*

Let-

Lettre, par le R.P. François Annat, de la Compagnie de JESVS. In quibus cum malevolorum fraudes & imposturæ detegantur, & solidè refutentur, fructum, quem optamus, ex eorumdem impressione secuturum confidimus. Datum Bruxellis die 13. mensis Julii, anno 1657.

ANDREAS Archiepiscopus Mechliniensis.



DÉ-

DECRETUM

Sanctioris Consilii Regis Christianissimi



De Libro, qui inscribitur, *Ludovici Montaltii Litteræ Provinciales &c.* lacerando, & comburendo per carnificem:

Nec non sententia, & judicium Præsulum, aliorumque Doctorum Sacræ Facultatis Theologicæ Parisiensis, qui memoratum librum examinarunt.

REge in Consilio sedente, recitatum est Decretum in eodem Consilio Regio die 12. mensis Augusti proxime elapsi editum super variis querelis ad eum idcirco delatis, quod licet Constitutiones Summorum Pontificum Innocentii X. & Alexandri VII. doctrinam Jansenii Iprensis Episcopi in libro, cui titulus est *Augu-*

sti-

ſtinus,contentã proſcribant; & iſtæ Conſtitutiones à Generalibus Gallicani Cleri Comitiis receptæ fuerint, promulgatæ ab Epiſcopis in ſuis Diœcesibus, ab Academiis uſu receptæ, ipſis etiam Regis declarationibus in Senatus acta relatis confirmatæ; nihilominus exirent in publicum quotidie nova ſcripta, doctrinam hancce condemnatam adſtruere nitentium; atque unum in primis,cui præfixus titulus, *Ludovici Montaltii Litteræ Provinciales &c.* quod præter propoſitiones hæreticas, quas continet, nomini etiam Ludovici XIII. glorioſæ memoriæ, maculam & labem inurit, nec non eorum famæ qui cum eſſent primarii ejus adminiſtri, commiſſa sibi ab eodem negotia tractabant. Eo Decreto Rex, ut malo gliſcenti quantocyus occurreret, edixit ut idem iſte liber inſcriptus, *Ludovici Montaltii Litteræ Provinciales &c.* traderetur D. Baldazar,delegato ad eam rem cognitori,legendus & examinandus; itemque ut exquireret ſententiam Antiſtitum Rhedonensis, Rutenensis, Ambianensis, & Sueſſionensis;nec non virorum doctrina & pietate præſtantium, DD. Grandin, Leſtocq, Morel, Bail, Chapelas, Chamillard,Sauſſoy,& Patrum Nicolai,& Gangy Theologorum, ac Doctorum Sorbonicorum; quibus id negotii datum à Rege,ut ſententiam ea de re ſuam dicerent;atque omnia rite expenſa, & perſcripta eidem Regi deferrentur; qui de re tota poſtmodum ſtatueret.

Lecta ſunt in eodem Regio Conſilio perſcripta rei geſtæ acta, & cognitio per eos inſtituta, quibus id provinciæ demandatum erat, die ſeptima hujus menſis Septembris. Illi in his actis, poſt hunc librum accurate examinatum, decla-

rant,

rant, Janſenianas hæreſes ab Eccleſia condem-natas propugnari, ac defendi tum in dictis Ludovici Montaltii Litteris, tum Willelmi Wendrokii Notis, tum adjunctis Pauli Irenæi Diſquiſitionibus; atque id ita eſſe manifeſtum, ut, ſi quis neget, neceſſe ſit vel non legiſſe librum hunc, vel non intellexiſſe, vel certè, quod pejus eſt, non putare id hæreticum eſſe, quod à Summis Pontificibus, & ab Eccleſia Gallicana, & à Sacrâ Facultate Theologiæ Pariſienſi damnatur ut hæreticum. Teſtantur inſuper, maledicentiam, & petulantiam tribus illis authoribus adeo eſſe familiarem, ut nulli hominum conditioni parcant, non Summo Pontifici, non Epiſcopis, non Regibus, non præcipuis Regni adminiſtris, non ſacræ Facultati Pariſienſi, non Religioſis familiis; ideoque hunc librum eſſe dignum pœna libellis famoſis & hæreticis à *jure* conſtituta.

Audita, ut per D. Baltazar expoſita fuit, cauſa, diligenterque perpenſa, Rex in Conſilio ſedens decernit, præcipitque, ut ejuſmodi liber inſcriptus, *Ludovici Montaltii Litteræ Provinciales &c.* tradatur D. Aubray rerum civilium Regio Judici in Caſtellana Pariſiorum Curia, qui eum, Regio Procuratore adnitente, lacerandum & comburendum in eo Urbis loco, qui Crux Tiroria vulgo dicitur, curet per carnificem; & Regem poſt octiduum de peracta re certiorem faciat. Simul interdicit, ac omnino prohibet, ne quis Typographus, Bibliopola, Inſtitor, vel quiſpiam alius cujuſcumque Ordinis ac loci, excudat, vendat, diſtrahat, ac ne domi quidem retineat hunc librum, ſive cum Notis, ſive abſque Notis, Additionibus, Diſquiſitionibus dictorum Wendrokii, & Pauli Irenæi. Si quis contra fa-

xit,

xit, justæ severitatis exemplum in ipso statuendum decrevit. Atque huic Decreto exequendo nullam afferri moram placuit per ullas intercessiones, aut provocationes, quæ si oboriantur, earum sibi cognitionem reservavit Rex, & aliis quibuslibet Judicibus ademit. Actum in Regio sanctiore Consilio, præsente ipso Rege. Parisiis, die 23. Septembris anni 1660.

Obsignatum. *PHELIPPEAUX.*



JU-

JUDICIUM

Episcoporum, Doctorum,

Et Professorum Sacræ Facultatis Parisiensis.

NOs infrascripti Regis decreto selecti ad ferendum judicium de libro, cui titulus est, *Ludovici Montaltii Litteræ Provinciales &c.* præmisso ejusdem libri diligenti examine, testamur Jansenianas hæreses ab Ecclesia damnatas in eo propugnari, atque defendi, tum in dictis Litteris Ludovici Montaltii, tum in Notis Willelmi Wendrokii, tum in adjunctis Disquisitionibus Pauli Irenæi, atque id esse ita manifestum, ut si quis neget, necesse sit, vel non legisse librũ hunc, vel non intellexisse, vel certe, quod pejus est, non putare id hæreticum esse, quod à Summis Pontificibus, & ab Ecclesia Gallicana, & à Sacra Facultate Theologiæ Parisiensis damnatur ut hæreticum. Testamur insuper maledicentiam & petulantiam tribus illis authoribus adeo esse familiarem, ut nulli hominum conditioni parcant, exceptis Jansenistis, non Summo Pontifici, non Episcopis, non Regi, non præcipuis Regni Administris, non Sacræ Facultati Parisiensi, non Religiosis familiis; ideoque librum esse dignum pœna libellis famosis & hæreticis à ju-

jure constituta. Actum Parisiis die 7. Septembris ann. Dom. 1660.

HENRICUS DE LA MOTHE E. Rhedonensis. HARDUINUS E. Ruthenensis. FRANCISCUS E. Ambianensis. CAROLUS E. Suessionensis. CHAPELAS Cur. S. Jacobi. C. MOREL. L. BAIL. FR. JO: NICOLAI Prædicator. M. GRANDIN. SAUSSOY. F. MATTHÆUS DE GANGY Carmelita. CHAMILLARD. G. DE LESTOCQ.



EX-

Excerptum è Tabulario Senatus Aquensis in Provincia.

CUm significaverit Regis Procurator Generalis traditas sibi fuisse Litteras decem & septem, editas nullo vel authoris, vel typographi nomine, refertas calumniis, mendaciis, & erroribus, maledictis & rebus confictis ac falsò attributis Sorbonicæ Facultati, sacræ Dominicanorum Familiæ, ac Societati Jesuitarum, ut iis ignominia & invidia quæratur, simulque perturbetur publica tranquillitas, cum gravi proborum offensione: cumque idem Procurator flagitaverit, ut huic malo quamprimum occurratur, indicta iis epistolis pœna, quæ famosis libellis irrogari solet, nempe ut in ignem tortoris manu publicè conjiciantur: simul ut omnibus typographis interdicatur, ne illas aut divendant aut spargant in vulgus, constituta, si secus faxint, pœna ut ad triremes damnentur: item ut omnibus prohibeatur, ne quis eas penes se domi habeat, asservetque, sed ad urbanum tabularium æterna sepeliendas oblivione deferat: denique ut inquiratur, num quis contra Decretum suo rogatu edendum deliquerit.


SENATUS, auditis cognitoribus, quibus negotium datum erat, ut memoratas epistolas perlegerent, & expenderent; iisdemque Litteris perlectis, illas declaravit, & declarat famosas, calumniarum plenas, & publicæ rei perniciosas. Quæ cum ita sint, decernit ut in carnificis tra-


dan-

dantur manus igni per eum dedendæ in destinata plectendis sontibus area, quæ est ad plateam à Prædicatoribus dictam in hac Urbe Aquensi. Interdixit, interdicitque typographis omnibus, ne illas prælo iterum subjiciant, aut alias generis ejusdem: Bibliopolis omnibus, aut aliis quibuslibet civibus cujuscumque conditionis & ordinis, ne easdem domi retineant, vendant ac distrahant, constituta quam corpore luant pœna: præcipit iisdem ut illas quam mox ad publicum tabularium deferant, ibi tenebris & merita oblivione premendas, eadem irrogata delinquentibus pœna. Idem edicit ut in eos qui non paruerint, inquiratur per primarium Judicem Regium aut Senatus Accensum: ac merita de ipsis, post quęstionem habitam & cognitionem, sumatur pœna quæ superius est exposita. Atque ut omnibus res innotescat, Decretum hoc legi per præconem ac publicè per vicos & compita hujus Urbis Aquensis pronunciari voluit. Actum in Senatu Provinciæ, Aquis sextiis, & in ipsius Curiæ repagulo promulgatum die nona Februarii anno Domini 1657.

Cum ipso archetypo collatum.

Obsignatum. *STEPHANVS.*





CLEANDER, ET EUDOXUS, SEU DE LITTERIS PROVINCIALIBUS DIALOGI.

I. DIALOGUS.

EOrum, quos hic loquentes facimus, indoles & quasi character, licet artis omnis & fuci expers, non adeò tamen hac nostra ætate frequens, & usitatus est. Amici duo sunt ab omni studio partium in ea controversia, quæ tot animorum dissidia peperit, prorsus alieni. Hoc laborant unum,

I. *Quanã personæ loquentes inducantur in his Dialogis.*

I. DIAL. ne qua opinione præjudicata in hanc potius quam in illam partem se abduci patiantur: atque hunc animi quasi situm & æquilibrium retinent, donec perpēsis synceri judicii, & sagacis intelligentiæ trutina factis, quæ rem continent ac decidunt, uno rationis pondere abrepti ad complectendam veritatem ferantur.

II. *Libri totius argumentum & scopus.*

Id agitur, quid sentiendum de Litteris, quæ ad Provincialem inscribuntur: de libro isto sermonibus hominum tantopere celebrato, tam dubię hactenus & ancipitis famæ; quem alii miris ornant laudibus, alii probris ac diris onerant; quem rei Christianæ utilissimum aliqui dictitant, nonnulli perniciosum & pestiferum esse contendunt. Dignum profecto argumentum, quod nequaquam perfunctoriè tractetur: dignum quod & Jesuitæ & eorum adversarii, quique alterutris favent, disceptari nunc tandem sedulo gaudeant, ac lucem huic negotio hactenus expetitam afferri.

III. *Cur ficta persona induëātur loquentes.*

Cum de iisdem rebus, quas in his Dialogis agitamus, crebros inter se ab aliquot annis sermones contulerint in congressu familiari, & quotidiano viri clarissimi & nobilissimi; potueram, salva veritate & verisimilitudine, colloquentes personas ipsas inducere, & nominibus uti non minus notis, quam magnis. Verum quia id ætatis nostræ consuetudo respuit, in eo plane abhorrens ab veteribus tum Romanis, tum Gręcis, apud quos Crassi, Cottæ, Socrates, ipsi librorum auctores suis nominibus in isto lucubrationum genere colloquebantur; aliam rationem inire sum coactus. Itaque licet clarissimorum virorum N. N. N. sententias, animadversiones,

ar-

argumenta proferamus, Cleandri tamen & Eudoxi colloquentium nomina tantum audientur. I. Dial.

IV. *Occasio Dialogorũ Cleandri & Eudoxi.*

Cleander igitur, & Eudoxus primum inter se de Litteris Provincialibus colloquendi occasionem è libro quodam nacti sunt, qui ab annis tribus, aut quatuor est editus, quique * *Comparatio veterum & recentiorum inscribitur*. Quominus eum, statim atque exiit, lectitarent, longum extra Galliam iter prohibuerat. In patriam reversi eundem unà ferè integrum perlegerant, multaque inter legendum annotaverant (sic enim solent, si quis recens liber editur, quem quidem legere operæ pretium sit) cùm Cleander Eudoxo locum revocavit in memoriam, qui ipsos percusserat; & quem post cetera perpensa reservaverant excutiendum, quòd longioris operæ id examen foret, eamque rem ad plenum denique exquirere, & cognoscere statuissent. Extabat hic locus in secundo tomo, ubi mentio fit de Litteris Provincialibus, & ubi quę inducuntur colloquentes personæ, certatim conspirant ad istas Litteras cumulandas ejusmodi laudibus, quæ, haud scio, an fuerint unquam ullum in librum congestæ, aut congeri aliquando possint. Ipsissima, quæ illis personis affingit * Perraltus, verba refero.

* *Parallele des ancieus & des Modernes. Tome II.*

PRÆSES.

Fateris igitur Lucianum & Ciceronem in arte Dialogi summos esse. Age quosnam hujus ævi Scriptores comparandos illis putas? „ „ „

ABBAS.

Ego vero possem illis opponere non paucos „

* *Monsieur Perrault.*

I. DIAL. V.

Perralti sëtentia de Provincialibus Litteris.

„ qui primas in hoc scribendi genere nunc ferunt. Unus mihi omnium instar fuerit Illustrissimus Paschalis, cum decem & octo Litteris suis Provincialibus. Ex hominum decies centenis, à quibus fuerunt perlectæ, millibus, affirmari potest, neminem unum esse, cui legenti vel levissimum tædium obrepserit.

EQUES.

„ Illas plus decies perlegi; & quamvis natura sim impatiens moræ, atque omnia depropérare amem, ut quæque Litterarum illarum longissima est, ita mihi accidit jucundissima.

ABBAS.

„ Enimvero in iis ubique spirat integritas puri sermonis, elucet sublimis sententiarum dignitas, solida rationum vis, argutissimus in jocando lepos; ubique demum venustas quædam & gratia, quam alibi uspiam haud facilè reperias.

PRÆSES.

„ Istas quidem Litteras amœnitatis & venustatis plenas esse non inficior: sed, amabo, tune decem & octo chartulas conferre ausis cum Platonis, Luciani, Ciceronis Dialogis, qui plurima conficiunt majora volumina?

ABBAS.

„ Voluminum numerus, & moles ad rem nihil pertinet. Si plus ingenui salis est in istis octodecim Litteris, quàm in omnibus Platonis Dialogis; plus argutæ & delicatæ dicacitatis, quàm in Luciani; dicacitatis autem semper candidæ, ac honesto & liberali ingenio dignę: si plus inest roboris atque artificii in istis rationibus, quàm in Ciceronianis: denique si ars

Dia-

Dialogi conficiendi tota in illis cernitur, non- ,, I. DIAL.
ne voluminis exiguitas laudi potius, quam vi- ,,
tio verti debet? Dicamus id quod res est : ni- ,,
hil habemus in hoc scribendi genere perfectius. ,,
Legistin earum interpretationem latinam? ,,

PRÆSES.

Legi, & visa mihi est longè pulcherrima. ,,

EQUES.

Num tibi æque atque ipsum archetypum ar- ,,
risit? ,,

PRÆSES.

Æquè omnino. ,,

EQUES.

Gaudeo. Videntur tibi Luciani Dialogi, si ,,
leguntur Græcè, miros quosdam habere sales: ,,
iidem si Gallicè leguntur in Ablancurtio, in- ,,
sulsi & languidi. Nunc vero ad Litteras Pro- ,,
vinciales quod spectat, Latinis juxta delectari ,,
te affirmas atque Gallicis. Fatère demum te ,,
in flagranti anticipatæ opinionis delicto esse ,,
deprehensum. ,,

Aut istud Litterarum Provincialium præconium, excepit Eudoxus, oppidò nimium est, aut hic Libellus humani ingenii specimen est, & opus omnibus numeris absolutum. Non tantum in illo relucet sermo purus, sententiæ sunt graves, rationes solidæ, arguti joci; verum etiam nihil nisi integritas est, nitor, dignitas, splendor, soliditas, argutiæ meræ ac Veneres. Artificium Dialogi totum ibi apparet atque extat. Quid inesse, quæso, vitii potest huic libro, si res ita se habet; quid abesse laudis & ornamenti? Et est ille quidem Perralti Abbas in quibusdam non nimis hebes ac tardus. Unum, hujus & Paschalis

I. DIAL. V. *Perralti sententia de Provincialibus Litteris.*

„ qui primas in hoc ſcribendi genere nunc ferunt. Unus mihi omnium inſtar fuerit Illuſtriſsimus Paſchalis, cum decem & octo Litteris ſuis Provincialibus. Ex hominum decies centenis, à quibus fuerunt perlectæ, millibus, affirmari poteſt, neminem unum eſſe, cui legenti vel leviſſimum tædium obrepſerit.

EQUES.

„ Illas plus decies perlegi; & quamvis natura ſim impatiens moræ, atque omnia deproperare amem, ut quæque Litterarum illarum longiſſima eſt, ita mihi accidit jucundiſſima.

ABBAS.

„ Enimvero in iis ubique ſpirat integritas puri ſermonis, elucet ſublimis ſententiarum dignitas, ſolida rationum vis, argutiſſimus in jocando lepos; ubique demum venuſtas quædam & gratia, quam alibi uſpiam haud facilè reperias.

PRÆSES.

„ Iſtas quidem Litteras amœnitatis & venuſtatis plenas eſſe non inficior: ſed, amabo, tune decem & octo chartulas conferre auſis cum Platonis, Luciani, Ciceronis Dialogis, qui plurima conficiunt majora volumina?

ABBAS.

„ Voluminum numerus, & moles ad rem nihil pertinet. Si plus ingenui ſalis eſt in iſtis octodecim Litteris, quàm in omnibus Platonis Dialogis; plus argutæ & delicatæ dicacitatis, quàm in Luciani; dicacitatis autem ſemper candidæ, ac honeſto & liberali ingenio dignę: ſi plus ineſt roboris atque artificii in iſtis ratiocinibus, quàm in Ciceronianis: denique ſi ars

Dia-

Dialogi conficiendi tota in illis cernitur, nonne voluminis exiguitas laudi potius, quam vitio verti debet? Dicamus id quod res est: nihil habemus in hoc scribendi genere perfectius. Legistin earum interpretationem latinam? » I. Dial.

PRÆSES.

Legi, & visa mihi est longè pulcherrima. »

EQUES.

Num tibi æque atque ipsum archetypum arrisit? »

PRÆSES.

Æquè omnino. »

EQUES.

Gaudeo. Videntur tibi Luciani Dialogi, si leguntur Græcè, miros quosdam habere sales: iidem si Gallicè leguntur in Ablancurtio, insulsi & languidi. Nunc vero ad Litteras Provinciales quod spectat, Latinis juxta delectari te affirmas atque Gallicis. Fatère demum te in flagranti anticipatæ opinionis delicto esse deprehensum. »

Aut istud Litterarum Provincialium præconium, excepit Eudoxus, oppidò nimium est, aut hic Libellus humani ingenii specimen est, & opus omnibus numeris absolutum. Non tantum in illo relucet sermo purus, sententiæ sunt graves, rationes solidæ, arguti joci; verum etiam nihil nisi integritas est, nitor, dignitas, splendor, soliditas, argutiæ meræ ac Veneres. Artificium Dialogi totum ibi apparet atque extat. Quid inesse, quæso, vitii potest huic libro, si res ita se habet; quid abesse laudis & ornamenti? Et est ille quidem Perralti Abbas in quibusdam non nimis hebes ac tardus. Unum, hujus & Paschalis

I. DIAL. causa, vereor, ne nimia peccetur hyperbole. Istam quidem, reposuit Cleander, qua utitur, cum ait, ab hominibus decies centenis millibus lectas fuisse Provinciales, patitur sermonis vernaculi consuetudo. Neque enim Grammatici tam sunt in putandis numeris & rationibus religiosi & accurati, quàm institores ac mensarii. Quod vero subdit, in hoc infinito legentium numero neminem repertum fuisse, quem istæ Litteræ tædio affecerint, certè Jesuitas exceptos oportebat; quos, opinor, ista lectio non magnopere delectavit.

Ain' tu vero? retulit Eudoxus. Ego complures eorum vidi, qui se hoc libro vehementer oblectatos esse dicerent, & quibus perjucundus esse videretur. Non quod vera censerent esse, quæ istis in Litteris disputantur; omnino enim illos semper candidos & liberales jocos, quales Peraltus appellat, immanes ac putidas esse calumnias contendunt: sed, ut homines ingeniosi solent, pigmenta orationis & flosculos ab iis, quibus pungebantur, aculeis norant secernere.

Næ illis gratulor, subjecit Cleander, qui, dum de ipsis narratur fabula, commodum duxerint ridere cum ceteris. Ita Socratem ferunt, cum illuderetur palam in Aristophanis comœdiis, sese ridentibus & plaudentibus adjunxisse. Ceterum si alio nullo, quam Societatis suffragio & approbatione Litteræ Paschalis niterētur, periculū esset ingens, ut opinor, ne plurimum de sua fama & existimatione deperderent. Itaque faciendum nobis arbitror, ut aliis judicandi regulis nunc utamur; imò nihil fieri posse à nobis consultius puto, quam ut in examinandis universim hinc

VI. *Summa difficultas statuendi de ista controversia, & Libro Provincialium.*

Pa-

Paschalis & ejus amicorum, inde Jesuitarum libris, neutros admodum audiamus. Habent utrique nimirum, cur se invicem judices recusent ac rejiciant, causas non leves; ac multò etiam graviores in eo, quo de agitur, negotio. Hæc una scilicet ex earum genere litium est, quæ cum sponte sua sint implicatæ, alternis tamen ultrò citròque criminandi, respondendi, explicandique vicibus & ambagibus implicantur magis & obscurantur, adeo ut nihil dispicere quisquam possit. Nunquam in varias partes tam distractæ fuerunt mentes hominum, ac sententiæ. Sunt qui reos laxioris morum doctrinæ Jesuitas pronuncient: sunt qui Jansenistas meros obtrectatores esse ac sycophantas arbitrentur, quòd Societatem alicujus in Christiana republica numeri ac pretii, falsis criminationibus ideò vexent, quia operam in ipsorum novis opinionibus & erroribus oppugnandis strenuè collocaverit. Qui nihil aliud nisi Provinciales legerunt, priorem sententiam amplectuntur; qui responsiones dumtaxat Jesuitarum, posteriorem. Ego qui utrasque legi, hæreo anceps adhuc & incertus. Hinc, si lubet, ordiamur: quippe præcipuum est, atque adeo unicum fermè caput, de quo inter nos quærendum hodie sit. Quod enim ad concinnitatem, elegantiam, lepores & munditias sermonis attinet, ambo, ut reor, Perralto assentiemur.

I. DIAL.

VII. *De stylo & concinnitate Libri Provincialium.*

Assentiemur autem? interpellavit non sine stomacho Eudoxus: planè in hoc te non fero. Quid? Cum maxime docere nos videris, quàm diligenter omnis præcepta opinio fugienda sit, ad hunc scopulum adhærescis; ac sine ulla dubitatione calculum tuum & suffragium panegyrico

I. DIAL. rico adſcribis,qualem hactenus nulli vernaculo ſcripto tributum fuiſſe crediderim.Quò elogium iſtud eſt ſplendidius, & magnificentius,quò modum ac limites magis egreditur,eò majori apud nos ſuſpicione laborare debet: ac (fatebor ingenuè) per mihi gratum foret, ſi quas poſſem in eo Sole maculas deprehendere,quem ut nitidiſſimum ſydus oſtentare nobis amant.

Cum opinio præjudicata,retulit Cleander,eſt ejuſmodi, ut communi hominum ſententia comprobetur, præjudicii nomen exuit, ſaltem invidioſum & malè ominatum. Habet id veritas una, & quidem perſpicua, ut omnium favorem extorquere poſſit. Atque hoc tute confiteris, vel ipſos Jeſuitas debitā Paſchali laudem in ea re,de qua te mihi volebam aſſentiri,tribuere.

Ut concedam tibi, reſpondit Eudoxus, quod tanquam universè notum ac verum ſumis; haud tamen citra exceptionem, præſertim cum agitur de ingenii fœtibus, affirmari poteſt. Fateor librum,niſi qui ſit præclarè ſcriptus,publica omnium approbatione commendari non poſſe. Idem ferè libris uſuvenit, atque ſacris Oratoribus,qui Lutetiæ, vel in aula concionantur. Pone Oratorem eſſe mediocri & vulgari facultate dicendi præditum; quantumcumque ſudent amici ad conciliandam homini frequentiam & plauſum, ſeriùs ocyùs concidet. Contra, ſi cui non modo non minuitur, ſed accreſcit in dies numerus auditorum & plauſus, hunc in dicendo jure dixeris magnum. Verum; ut ſunt quidam ad ſummum excellentiæ apicem quaſi gradus,id contendo, ſi ſemel opus reipſa excellens hanc famam excellentiæ fuerit adeptum, poſſe ſtudio

& cu-

& cupiditate hominum illi pertinaciter faventium haberi postea excellentissimum, admirabile, cum alio nullo comparandum. I. Dial.

Quis auctores antiquos enumeret, quorum vitia in pretio & honore sunt habita? quos vel dormitantes & negligentius scribentes, admirata posteritas est, nemine auso criticum in eos acumen & stylum exerere? Nonne hoc ipsum noster ille auctor *Comparationis veterum cum recentioribus*, & quidam Critici ceteris audaciores observarunt? Quid si hæc eadem sors Provincialium litterarum fuit? Quid si, postquam initio persuasum est, Paschalem in iis loqui emendatè, totum opus molliter & affabre fusum, multum esse in eo salis ac lepòris, ea postmodum insedit hominibus opinio; *nihil in eo esse nisi meram sermonis integritatem, splendorem sententiarum, jocorum argutias; ubique Veneres & amœnitates, quas alibi nusquam deprehendas: artem Dialogi totam ibi extare: nihil in eo demum genere pulcrius inveniri ac perfectius?* Equidem non id mihi sumam, ut singulis in paginis aliquid notem vitii, aut pravarum locutionum indicem tàm longum texam, quàm texuit auctor Dialogorum Aristi & Eugenii earum, quæ in libello vernaculo *Imitationis Christi* deprehenduntur, quod item opusculum quasi specimen artis, & puri incorruptique sermonis exemplum ubique venditabant. Verum, aliud agendo, fortasse reperirem satis multas, ut tibi nonnihil de hac præclara, quam vel in hoc ipso genere de Litteris istis imbibisti, opinione adimerem.

Mihi vero nihil feceris gratius, reponit

Clean.

I. DIAL. Cleander. Neque diffiteor a me modò peccatum fuisse contra effatum illud primarium, quod à nobis positum est principio, meque (sic enim loquitur auctor *Comparationis* eo quem proximè legimus loco) in *flagranti delicto* esse deprehensum.

Tum Eudoxus: sic sumus, inquit, omnes; opinionis æstu & consuetudinis abripimur. Neque aliter quam seria & frequenti rerum ipsarum consideratione mentem nostram, ad temerè judicandum sua sponte pronam, inhibemus. Amat illa naturali quodam impetu dicere sententiam de omnibus; simulque contentionem ac diligentiam, qua id fieri possit rectè, fugit: sic veri studiosa, ut vel ipsam veri speciem ac inane simulacrum cupidè amplectatur. Ceterùm sic habeto, nullo in loco plures nobis insidias fuisse compositas quàm in isto, nullibi datam impensius operam, ut in paratos casses incauti duceremur. Utrinque clamitant: Cavete, ne quid anticipatæ opinionis sequamini: germana ratio, mera rerum expositio, experientia sola totius arbitra controversiæ sit.

Purum & integrum ad eas legendas accedere te volo (inquit Wendrokius in ea præfatione quam latinæ Provincialium interpretationi præfixit) *ac tuo magis quam alieno lumine de illis statuere. Unum monebo, si modo sparsa ab Jesuitis adversus has litteras vocula animum tuum occuparunt, æquitatis esse, ut ante omnia ad illam te redigas, quæ lectores decet, præjudiciorum vacuitatem.*

Inde vero Jesuitarum defensor in apologia sua lectoris aurem alteram his vocibus persoNAT:

nat: *Cave sis, Lector candide, ne tibi litterarum istarum scriptor imponat; aut, si jam imposuit, ne tua deinceps ad credendum facilitate abutatur. Id te monitum etiam atque etiam volo.* I. DIAL.

Quid id est? ait Cleander: nisi, nos admonendo ut à præsumptis temere opinionibus caveamus, faciunt utrinque, ut iisdem impleamur toti & occupemur. dum videntur antidotum offerre, virus ipsum propinant.

Rectè narras, retulit Eudoxus; tumque id fermè accidit, ut pars utraque voti compos fiat, si, alterà inauditâ, alteram audias.

Atenim, inquit Cleander, ut negotium hoc totum ea, quam postulas, æquitate ac diligentia disceptemus, video nobis plus una opus bibliotheca fore. Nec enim est in mea, neque, opinor, in tua Escobarius, Fagundes, Delacruz, Veracruz, aliique complures; quorum vel ipsa nomina sic Montaltium perterruerunt, vix ut eos Christianos esse crederet.

Non deerit ista nobis librorum facultas, inquit Eudoxus. Jansenista quodam utor valde familiariter, qui Theologos morales Societatis habet omnes domi, quique nobis eorum copiam libentissime faciet. Nihil esse tamen censeo, quod hinc initium disputandi & investigandi faciamus. Antequam petitos è Jesuitarum Theologis locos recognoscamus, capita sunt quædam generalia, quæ sine bibliothecæ præsidio expendere possumus. Ejus generis est Systema politicæ Jesuitarum astutiæ ad redigendas, ut jactat Paschalis, populorum conscientias in ditionem suam ac potestatem, idque ad majorem Societatis, non Dei ipsius gloriam. Latissime

VIII. *Proponitur primum caput expendendum.*

me

I. DIAL. me caput hoc patet, ex eoque multa sunt apta & suspensa. Datur opera sedulò in litteris ad Provincialem, ne Lectoribus excidat ejus rei memoria: imò, si Wendrokio credimus, in hoc uno Litterarum istarum cardo & causa omnis vertitur. Sic enim Latinam interpretationem suam inscripsit: *Ludovici Montaltii * litteræ Provinciales, de morali & politica Jesuitarum disciplina*. Legamus, amabo, diligenter hac hebdomada & Provinciales & Jesuitarum Responsiones, & quicquid ad hoc pertinet caput; quodque venerit nobis in mentem, alter alteri communicemus, & in medium conferamus. Deinde ad reliqua minutatim cognoscenda descendemus, & quid nobis denique sequendum sit, statuemus.

Quidquid est in me diligentiæ, ac laboris, totum id, ait Cleander, polliceor tibi ac spondeo.

Hic Eudoxus: Mirum profectò quantam Jesuitarum existimationi ac famæ labem inusserint hæ Litteræ, quàm multos ab eorum amicitia Lutetiæ, in Aula, in Provinciis dimoverint. Nihil æquè ad ipsorum adversarios & numero & viribus augendos valuit: nunquam quicquam inventum fuit ab hoste ullo commodius & felicius ad hostiles copias & impetus aliò divertendos. Ab hoc uno libro plures sunt Jansenistæ procreati, quàm ab ipso Jansenii Augustino, quàm ab Arnaldi scriptis in unum collectis.

Hoc amplius, addidit Cleander: idem iste li-

* *Montaltius est ipse Paschalis, qui sibi id nominis indidit in litteris provincialibus.*

liber tertiam quasi factionem & sectam in Gallia edidit, quam mihi certum est amplecti, si modo Montaltius vera de Jesuitis commemorat. hæc factio eorum est, qui novitatem fugitantes indisputationibus de Gratia, & ceteris, quæ veniunt in controversiam, argumentis, Ecclesiæ auctoritati ex animo se subjiciunt, neque, ut eam cavillando subterfugiant, adhibent parum synceras juris & facti distinctiones: neque tamen solutam illam & laxiorem morum doctrinam ferre possunt, quæ Jesuitis objicitur. hæ partes, mihi crede, nihilo minus quam priores duæ, frequentes ac numerosæ sunt. I. DIAL.

Et oportet esse procul dubio numerosas, inquit Eudoxus: videnturque mihi partibus illis esse non absimiles, quæ in Gallia tum coaluerunt, cum regnum auspicatus est Henricus IV. nondum Catholicus. Hinc avitæ Religionis amor, inde iniqua fœderatorum studia homines quam plurimos tenebant velut neutri addictos parti; ut neque fœderatis palam & aperte faverent, neque Regi, donec majorum suorum religionem esset amplexus. Sed vereor ut Jesuitis sententiam mutantibus res tam feliciter cederet, quam Regi Religionem mutanti tunc cessit; utque illorum innocentia palam agnita factionem hanc totam ad ipsorum partes traduceret. Medii homines & nullam in partem propensi, itemque alii candidi & minimè malevoli, se illis præberent non iniquos. at quantus eorum numerus est qui tertiam illam factionem sequuntur, partim quia præteriti fuerunt & neglecti à Jansenistis pariter ac Jesuitis; partim quia in Religione anxii ac diligentes, non ita

sunt

I. DIAL. sunt de Caritate soliciti? Quam multos esse putas, qui cum eam sedulitatem, quam adhibere constituimus, non afferant ad investigandam criminum, quæ Jesuitis objiciuntur, veritatem, de illorum doctrina pejorem in partem existiment, nulla ratione alia & argumento nixi, quam Provincialium auctoritate, aut certorum hominum, qui ut rescirent verum, nihilo plus quam illi laborarunt? Quotus quisque vulgo est, qui ne deciperetur, providerit, aut legendis Jesuitarum responsis, quæ ne inspexit quidem; aut comparandis cum autographo Scriptorum locis, quos isti Patres depravatos ab adversariis, detruncatos, trajectos fuisse pugnant; aut etiam secum reputando nonnulla, quæ sponte se offerunt, eamque vim habere deberent, ut ne quis præproperè, ac parum consideratè de rebus tanti momenti judicaret? Crede mihi, qui simillima obeunt munia & officia, in quibus æmulationi est locus; qui contrarias in Scholis tuentur opiniones; qui cooptati sunt in Congregationem hominum aliquam & Sodalitatem, cujus fama ipsis cordi & curæ sit, & quam aliis antecellere cupiant; proclive est, ut perperam ac temerè de rebus eorum judicent, qui gloriæ ipsorum officere possunt: neque tunc ad normam prudentiæ ac disciplinæ morum severioris omnia exiguntur. Ut ut est, vulnus hoc à Jansenismo impositum dolebit Jesuitis diu.

Plane isti Portuegienses * Doctores, subjecit Cleander, artis politicæ, ac solertiæ specimen ea in re ediderunt. Actum de illis erat. Janse-

* *Ita dicti à solitudine Portu-regiensi prope Parisios*. Le Port-Royal,

Jansenii doctrina damnata Romæ fuerat: calculo suo & obsequentissima voluntate non tantum Gallia, sed Ecclesia etiam universa Romanam sententiam probaverat: eam Rex edicto peculiari ad omnes regni Præsules misso, promulgari & vim obtinere suam jusserat: Pontificiam Constitutionem Parisiensibus Theologis miserat, mandatumque perscriptum, quod Illustrissimus Ecclesiæ Princeps * Mothodancurtius, Rhedonum tunc Episcopus, detulit, quo jubebantur in posterum videre diligenter, ne quid aut in thesibus aut in prælectionibus excideret Professoribus Baccalaureisve, quod ab hac fidei regula vel tantillum dissideret. Huic mandato ut mos gereretur, sancitum Decreto fuerat, nequis Doctor aut Baccalaureus doceret propugnaretve ullam è condemnatis propositionibus; eà pœnà, si quis secus fecisset, constitutà, ut sacro Theologorum collegio excluderetur.

I. Dial.

IX. *Cõsilium Jansenistarum in edendis Provincialibus.*

* De la Mothe Houdancourt.

Gallicani Cleri solennis Conventus, qui tunc Parisiis habebatur, suis ad Innocentium X. litteris eidem & gratulabatur & gratias agebat pro negotio tanti momenti profligato & ad exitum adducto: erantque litteris subscripta Cardinalis Mazarini, ac ceterorum deinceps præsulum nomina. Distinctionem juris & facti, quod unum partibus restare perfugium videbatur, execratus quoque fuerat haud ita multo post alter Cleri Conventus, tanquam inane diverticulum, & inventum calliditatis plenum ac periculi, quod ad restituendum sensim errorem Portus-Regius inducebat. Nihil ad disturbanda factionis consilia opportunius fieri poterat, quàm Epistola

en-

I. DIAL. encyclica hoc de argumento à Præſulibus, qui Conventui aderant, ad omnes alios regni Antiſtites ſcripta; necnon alia, quam continuò miſerunt ad Pontificem, ut eum de novo iſto commento facerent certiorem.

Arnaldi propoſitio, *Oſtendi nobis ab Evangelio, in perſona Petri, juſtum, cui gratia defuerit ibi, ubi eum peccaſſe nemo neget*, * poſt multas in Sorbona deliberationes damnata fuerat tanquam temeraria, impia, blaſphema, jam anathemate percuſſa, & hæretica: ipſe turpiter Sorbona ejectus; ejus nomen expunctum è Doctorum albo; eodem decreto juſſi omnes, qui obtinere aliquem in Facultatis cœtibus locum vellent, omneſque Baccalaurei, qui Theologicas propugnare theſes cuperent, huic cenſurę condemnationique ſubſcribere. Quid plura? nulla factio vexata gravius unquam & agitata, nulla certioribus tum Præſulum, tum Principum telis fuerat appetita: cum de repente ſcenam inverterunt iſti actores egregii: cumque maximè illos alii miſerabantur, alii vituperabant, inſultabant nonnulli, comœdiam occeperunt, quæ ſuperioris tragœdiæ memoriã omnem ſpectatoribus excuſſit. Homines fraudis ignaros ac propèmodum imprudentes ab eo, quod agebatur, negotio, aliò abduxerunt, ipſos etiam Jeſuitas; in quos impetum deinde fecerunt ex improviſo, licet initio velle ſibi rem eſſe cum Sorbona ſimulaſſent. Ita illos, à quibus antea oppugnabantur, laceſſere ſunt aggreſſi, & undique

tam

* *Que l'Evangile nous montre un juſte en la perſonne de S. Pierre à qui la grace a manqué dans une occaſion, où l'on ne peut pas dire qu'il n'ait point peché.*

tam acriter, tam callidè urgère, ut plerique ipsis jam plauderent, qui aversabantur prius & oderant; plurimi qui eos tanquam fidei corruptores aliquandiu habuerant, demum assueverint eosdem paulatim ut Evangelicæ morum doctrinæ defensores ac disciplinæ Ecclesiasticæ instauratores intueri. I. DIAL.

Ut video, inquit Eudoxus, historiam hanc tenes bellissimè.

Cui Cleander: Lutetiæ degebam illo anno, ubi finem perdiscendi juris faciebam: multique mihi erant in utrisque partibus amicitia conjuncti, quos, ut sum cupidior cognoscendi quæcumque ad ejusmodi controversias attinent, eò colebam impensius. utriusque partis consilia & machinationes magnam partem cognitas habebam; historiamque Jansenismi tunc mirificè conscripsissem.

Siquidem ita se res habet, reponit Eudoxus, fac, amabo te, ut memoria repetas saltem quæ ad Litteras Provinciales pertinent, & cuncta mihi singillatim atque ordine persequaris; historiam peculiarem Provincialium, ejusque circumstantias omnes mihi pertexe. Non erit hoc nullius momenti ad instruendam litem, quæ nobis in manibus est. Ego vero ac lubens, respondit Cleander: hæret mihi res adhuc in recenti memoria: eam tibi repræsento.

X. *Historia Litterarum Provincialium.*

Intellexit Arnaldus, quascumque pro sua vel Jansenii causa defensiones graviter ac serio scriberet, serios quoque ac meditatos Judices habituras. Vidit etiam, quantumvis præclarè de se ipso & commodè existimaret, stare se diu non posse, adversantibus Pontifice, Rege, Fran-

I. Dial. ciæ Cancellario, Cleri Gallicani conventibus, Sorbona, omnibus Academiis & Sodalitatibus; ubique enim Jansenismus diro anathemate feriebatur. Difficile est tot pati accusatores, tot judices rejicere, tot in subselliis & curiis causam perdere; & eam nihilominus diu populo persuadere bonam esse. Cum igitur feralis instaret dies, quo plagam illam insanabilem, ac cęteris, quibus hactenus petitus fuisset, acerbiorem erat accepturus, ut videlicet Sorbonà pelleretur, additis & inustis ad turpitudinem fœdissimis notis & titulis, perturbatoris, pertinacis, & hæretici; faciendum sibi duxit, non ut vulnus hoc declinaret, quod fieri nullatenus posse intelligebat, verùm ut jocando cum amicis, elevaret illud ac mitigaret, populoque risum daret: ea scilicet spe, fore ut idem ille populus spinosis, quæ Sorbonam tandiu occupatam tenuerant, quæstionibus defatigatus, ridendi quoque oblatam occasionem fortasse non respueret, atque ita recẽs mimus tragœdiam veterem obliteraret, ac seria opportuno ludo verterentur. Nec diu distulit, quin cogitata perficeret: apparuit confestim prima ad Provincialem epistola. Neque vero ille Provincialis ficta, ut multi putant, persona fuit. Erat ille Pererius * quidam, Senator in suprema rei tributariæ Curia, Claromontii Arvernorum.

* *Monsieur Périer.*

XI. *Unde Provincialiũ nomen.*

Quis esset, novi, ait Eudoxus. Idem ille est auctor celebris experimenti de hydrargyro, in Podio Domensi, * quod rogatu Paschalis, cujus sororem duxerat, fecit.

Is ipse, subjecit Cleander. At quamvis decem

& octo

* *Le puy de Dome en Auvergne.*

& octo litteræ extent, *ad Provincialem* inscriptæ, quæ hodie sub nomine Paschalis circumferuntur, non omnes tamen ad Provincialem sunt scriptæ. Quidquòd ne illud quidem satis constat, si nonnullos audimus, utrum omnes à Paschali sint elaboratæ. Meminisse potes decem priores dumtaxat *ad Provincialem* inscribi. Quæ sequuntur sex, *ad RR. Patres Jesuitas* scriptæ sunt; postremæ duæ ad *Patrem Annatum*.

I. DIAL. XII. *Auctor earumdem.*

Neque hoc me fugiebat, inquit Eudoxus: illud demiror, quod modo dixisti, non satis constare, an omnes illæ decem & octo epistolæ à Paschali fuerint lucubratæ. Atqui omnes ad unam Paschali tribuit Perraltus in eo suorum Dialogorum loco, ubi mentionem ipsarum facit. *Illustrissimus*, inquit, *Paschalis, cum suis decem & octo Provincialibus litteris*. Præterea qui decimam septimam conscripsit, aliarum sexdecim prius editarum auctorem se profitetur. Wendrokius in sua interpretatione latina id videtur ubique pro certo ponere, omnes ab eodem scriptore exaratas fuisse. Quis igitur tibi esse dubitandi locus potest?

In commentariis quibusdam manuscriptis legi, inquit Cleander, tres priores litteras ab Arnaldo fuisse confectas; ibidemque subditur missas ab eo Doctore ad Paschalem, licet aliqua inter se tunc simultate dissidèrent: Paschali satius visum esse, ut ne præterea tractarentur salsè ac festivè res tam graves ab intelligentia vulgari disjunctę, quales in hisce litteris agitabantur. Objiciendum aliud quidpiam populo, quod in sensus ac mentes faciliùs incurreret, quo ille teneretur aut pasceretur: Theologorum

I. DIAL. moralium decisiones campum esse longe amœniorem, in quo hæc jocularis facundia posset exspatiari, neque tam operosum fore in eo versari feliciter & excurrere. Ipse nihil cunctatus totius operis formam quandam rudi pigmento adumbratam eidem proposuit; quæ Arnaldo sic arrisit universoque Regio-Portui, ut sua omnia, operisque totius administrationem confectionemque Paschali permiserint. Itaque post paulò, id est Februario exeunte anni 1656 prodiit quarta ad Provincialem epistola, quæ prima Paschalis fuit; si vera sunt quæ jam retuli, quorum fidem usquequaque præstare nolim, ob ea quæ protulisti Perralti, Wendrokii, hoc est Nicolii, * & epistolæ decimæ septimæ testimonia: facit etiam ipse trium istarum litterarum stylus, ut à communi sententia non abeam. Earum festivitas & lepos Arnaldum non olet, neque satis est in iisdem fellis meri, ut ab hujus Doctoris calamo fluxisse videantur.

* *Monsieur Nicole.*

Ut ut hæc sunt, fertur præterea * Merçus eques, quantumvis secundo plausu quartam hanc Epistolam vulgus excepisset, auctor fuisse tamen Paschali, ut abditas de Gratià disputationes, in quibus adhuc illa versabatur, penitus omitteret, ac latiorem sibi campum aperiret. Paruit, grandi Jesuitarûm malo, quorum in caput, quicquid contra opponerent, tela reciderunt, quæ in Morales Theologos dicacior satyra intorquebat: perinde quasi omnium ineptiarum, quæ in morum doctrina odiosè finguntur & absurdè, onus & invidiam subire debuissent.

* *Le Chevalier de Meré.*

XIII. *Successus & progressus Provincialium.*

Sunt ista, quæ singillatim recensuisti, exquisita sane, reposuit Eudoxus, nec ita multis nota.

Re-

Restant, perrexit Cleander, alia quæ dicam, & exploratiora & reconditiora. Nosti, comœdiarum scriptores quid agant solenni more, antequam suas fabulas in vulgus edant. Fautores nimirum suos & præcones habent, in quibus ferè matrona quæpiam nobilis, genere & ingenio spectata, fabulæ natalibus & fato præsidet; eventumque omnem in se suscipiens, notat suis eos locos, ubi exclamandum, ubi plaudendum sit. Uti placuit hoc innocenti dolo ad promovendam rem Provincialium Litterarum & famam. Nivernensis * Basilica, hodie Contiorum domus dicta, habebatur quasi domicilium venustatis & ingenii, quò solebat convenire quantum erat Parisiis hominum politiorum. I. DIAL.

L'Hostel de Conti.

Eos alliciebat urbanitas summa, elegantia & splendor lectissimæ fœminæ Plessææ-Guenegaldæ, cujus vir à secretioribus epistolis Regi fuit. Ad eam Portus-Regius, ubi non erat ignota, oculos adjecit, ut famam Provincialibus, etiam priusquam in publicum prodirent, conficeret. Ad ipsam itabant frequentius Abbas N. cujus ingenium & præclaræ dotes jam tum enitebant, sed qui librum *de Officiis vitæ Monastica* condere nondum meditabatur: Vir Clarissimus N. itemque alius N. ambo subinde Regi à secretioribus Consiliis, & gestis insignibus tum præfecturis tum legationibus celeberrimi: Dominus N. imbutus adhuc hæreticorum erroribus, & apud Fucquetium summum rei ærariæ Tribunum in primis gratiosus, aliique nonnulli. Iis ipsa recitavit sextam epistolam, quam manu exaratam acceperat; nihilque prætermisit quo lepo-

Madame du Plessis Guenegaud, femme du Secretaire d'Estat.

Monsieur le Surintendant Foucquet.

* *L'hostel de Nevers.*

I. DIAL. lepores omnes & amœnitates à se deprehensas iisdem velut indice digito commonstraret.

Satis intelligis illam auditores habuisse benevolos & ad erogandum suum prolixè suffragium paratissimos, neque cujusquam studium & officium desideratum fuisse. Itaque laudibus, quas ubique plenâ manu congerebant in Epistolam sibi recitatam, accensi sunt cæteri omnes, ut egregium illud opus vehementer expeterent, quod paucis post diebus apparuit, & confestim à Lutetia in reliquas provincias dissipatum incredibili cum fragore fuit, attonitis consternatisque Patribus Societatis. Nulla in re majorem quæstum veredariorum præfecti fecerunt, interpellavit Eudoxus. Missa in omnes regni urbes Epistolæ exempla: & quamvis non magnus mihi cum Portu Regio usus ac necessitudo intercederet, fasciculus eorum non levis, in oppidum Britanniæ Aremoricæ, ubi tunc versabar, ad me perlatus est gratis, & pretio vecturæ persoluto: quem communicavi cum amicis, Epistolamque non sine voluptate perlegimus.

Quod spectat Epistolas deinceps consecutas, eadem fermè ratio inita est, subjecit Cleander. Septima pervênit ad Cardinalem usque Mazarinum: risit affatim ut cæteri. Octava post elapsum dumtaxat mensem exiit; credo ut cupidius exposceretur. Apparebat enim omnia consulto ac dedita opera fieri. Pauci unde manarent istæ litteræ norant; reliqui omnes divinabant. Jactatus est eorum auctor esse Gombervillæus, sparsusque Lutetia tota rumor. Pernegavit ipse, scriptis ea de re ad Patrem Castillonium Colle-

gii

gii Societatis tunc Rectorem, cui erat amicissimus, litteris. I. DIAL.

Ceterum tam secunda Provincialium fortuna nequaquam efficere poterat, quominus plurimi, postquam riserant, secum rem totam considerarent attentiùs, graviterque offenderentur, quòd verborum atrocibus contumeliis laceraretur fama ejus Societatis, cujus integræ non tantum vitæ hactenus tributa laus fuerat, sed etiam doctrinæ. Marchionissa Sablæa, quæ Portui-Regio cumprimis tunc favebat, temperare ipsa sibi non potuit, quin aliquando sciscitaretur à Paschali, utrum quæcunque affirmabat in suis litteris, haberet probè perspecta & explorata. Si enim istis, inquit, omnibus non constat fides ac veritas, qui tandem, citra gravem noxam, posses ea pervulgare, & Corpori Jesuitarum haud sane ignobili tam insignem maculam inurere? cui Paschalis: Enimvero istud viderint, qui materiam mihi litterarum subministrant: mea quidem certè cautio hæc non est, qui duntaxat illi materiæ ordinem suum & structuram addo. *La Marquise de Sable.*

Ego vero, adjecit Cleander, hoc nominatim audivi ex viris duobus gravissimis, & dignissimis quibus fides habeatur, qui hoc idem non semel de Marchionissa eadem Sablæa, postremis quos vixit annis, audierant.

Mihi sane, subjecit Eudoxus, videtur Paschalis fecisse parum congruenter effatis istius doctrinæ morum severioris: ac vereor ut inter placita hujus, ut ipse vocat, laxioris & solutioris, reperiret ullum, per quod ipsi fas esset in ejusmodi negotiis alienæ fidelitati tam oscitanter

 fide-


I. Dial. fidere: præsertim cum non nesciret, eos, quibus operam suam & calamum addixerat, inimicitias cum Jesuitis apertas exercère.

Porrò, inquit Cleander, eæ litteræ, quæ decimam sunt consecutæ, non amplius in lacessendo & oppugnando versatæ sunt. Nam coactus ipse Paschalis fuit ad resistendum se accingere, instantibus Jesuitis, & contendentibus Regii-Portus alumnos complurium fallaciarum & mendaciorum à se fuisse convictos: de quibus omnino conticescere nihilque reponere honestum Paschali ac decorum non fuisset.

XIV. *Interpretatio & appendix Provincialiũ. Quis VVendrokius;*

Nicolius haud ita multo post sub Wendrokii nomine suppetias advenit; vel potius à suis est immissus, ut bellum adversus Jesuitas inchoatum profligaret. Egit atrociter & contenta voce in iis, quos suæ Provincialium interpretationi attexuit, commentariis, ubi Jesuitas, tanquam despicatissima capita, insectatur & vexat. Spem adversariorum ac vota successus vicit. hæc de historia Provincialium comperi.

Hic finem colloquendi fecerunt. Cleander Eudoxum valere jussit, neque se ad institutum de provincialibus sermonem, nisi post aliquot dies, retulerunt, quemadmodum inter ipsos convenerat, ut esset otium relegendi quæ de morali Jesuitarum doctrina utrinque fuerant conscripta.



II. DIA-

II. DIALOGUS.

CUM venisset ad Eudoxum Cleander, ut cum eo sermonem de re nuper proposita conferret, commodùm in Musæo reperit volventem varios libros adversus Jesuitas aut pro ipsis editos, in quibus multa ipse annotaverat, quosque collectos super mensa & paratos habebat. Agedum, inquit, pedem in Musæum inferens, quid tandem censes de politica Jesuitarum arte, & Paschalis in eam animadversionibus? num veram esse comperisti partem primam illius præconii, quod Epistolis Provincialibus tribuitur à Perraltо, *nihil esse non firmum in rationibus, ac solidum*? Enimvero hic ratiocinandum fuit, & acutum profecto, ac sagacem oportuit esse Paschalem, qui abdita penitus ante hanc diem mysteria detexit: neque exigua viri laus est, qui homines in tanta re tandiu cæcutire passus nõ sit. I. *Ingressus in Colloquium.*

Mihi quidem, respondit Eudoxus, Systema politicæ Jesuitarum calliditatis à Paschali excogitatum satis verisimile videtur. De illius tamen veritate nondum quidquam pronuncio: libet antea audire te eo de argumento disserentem.

Mihi vero, excepit Cleander, Systema illud valde suspectum fit pluribus de causis. Systema est, sicut ipse omnino rectè nominasti: videndum proinde, utrum ea, ex quibus est constructum, satis habeant firmitatis ac roboris; an non potius mera sit hypothesis, quæ quidem initio II. *Systema Paschalis de politica Jesuitarum astutia.*

plau-

II. DIAL. plausibilem in modum cum exponitur, eò Lectorem prima specie inducit, ut dicat id quidem ita se habere posse: deinde autem ad extremum usque pari artificio pertexta, & concinnata, sic afficit legentis animum, ut sibi denique persuadeat, haud dubiè rem ita se habere.

Hoc ipsum est, inquit Eudoxus, hujus nostræ disceptationis caput, hæc summa: neque potuit id de quo quæstionem instituimus, præcisè magis ac liquidò proponi. Sed ipsum Paschalis librum inspiciamus. Cedo Epistolam quintam; ibi enim ipso exordio Paschalis politicas artes, & mysteria Jesuitarum exponit. Hæc igitur à Cleandro recitari est cœpta.

III. *Locus è quinta Provinciali ad verbum expressus.*

„ Quod eram pollicitus, exolvo: en tibi prima „ lineamenta moralis illius doctrinæ, quam boni „ Jesuitæ tradunt, Illi *scientia, & prudentia præ-* „ *stantes viri, quos omnes divina regit sapientia,* „ *humana philosophia dux longè certior, longè se-* „ *curior*. Jocari me fortasse credis: at ego prorsus „ seriò loquor; vel potius ipsi sic loquuntur in li- „ bro illo videlicet suo, qui inscriptus est, *Imago* „ *primi sæculi*. Eorum ipsissima, ut in reliquis hu- „ jus elogii partibus, exscribo verba: *Societas est* „ *hominum, seu potius Angelorum, quam sic præ-* „ *nunciavit Isaias: Ite Angeli veloces*. Pote- „ ratne ipsos clarius Propheta designare? *Aquilæ* „ *sunt ingenio. Turbam Phœnicum verè dixeris:* „ *plures enim esse Phœnices quidam Scriptor nuper* „ *ostendit*. Denique *Christiani orbis faciem immu-* „ *tarunt*. Quid credere dubites ipsis de se affir- „ mantibus? Et porro ita esse intelliges ex hac „ Epistola, quæ ipsorum tibi effata exponet. Ea di- „ ligenter pernoscere studui. Non satis habui, quæ

me amicus noster docuerat, cognovisse; nec illo " II. DIAL.
auctore ac fidejussore uno fui contentus. Jesui- "
tas ipsos adire,& inspicere volui. Nihil ab ami- "
co nisi verissimè dictum fuisse comperi. Equi- "
dem ipsum nunquam mentiri existimo : scies "
ubi hæc perlegeris. "
In eo quem habui cum illo sermone, adeo "
inaudita,& immania narravit mihi, ut ægrè ad- "
modum fidem adjungerem. Verùm ea ipsa mihi "
in Jesuitarum libris ostendit, ut ad ipsorum de- "
fensionem nihil reliquum fuerit, quod dicerem, "
nisi plures quidem ex ipsis ita sensisse; non ta- "
men propterea æquum esse, ut illæ opiniones,& "
privatæ sententię Societati universæ tribueren- "
tur. Et verò nosse me ex ipsis aliquos affirma- "
vi, qui non minùs rigidi, ac severi essent, quam "
erant ii, quos citabat, indulgentes & soluti. Hic "
enimvero mihi aperuit Societatis ingenium, & "
arcanam mentem haud sane omnibus notam. "
hanc tibi explicari non molestè, credo, feres. Sic "
igitur ille exorsus est. "
Magnum quidpiam ad Jesuitarum defensio- "
nem,& patrocinium attulisse te arbitraris, dum "
aliquos ex eorum sodalitate cum Evangelicis "
decretis non minus consentire affirmas, quam "
alii quidam dissentiunt; atque adeo pertendis "
molliores opiniones toti tribuendas Societati "
non esse. Fateor istud quidem. Alioqui enim "
locum apud ipsos reperire non possent opinio- "
nes aliæ, illis laxioribus, & mollioribus adeo "
contrariæ, ac repugnantes. Sed profecto cum "
inter ipsos nonnulli sint auctores, ac defensores "
doctrinæ adeo dissolutæ, inde istud vicissim col- "
ligas, Societatis ingenium à severitate Christia- "
na

II. Dial. „ na esse diversum; quo enim pacto opiniones ab
„ ea severitate tam alienas ferrent?
„ Tum ego: quænam igitur est totius corporis
„ mens, quod consilium? Nempe apud ipsos ni-
„ hil est fortasse ratum, ac fixum in commune; sed
„ singulis quod libet, effutire licet. Minime gen-
„ tium, inquit. Tam latè diffusum corpus con-
„ stare, & administrari, nisi certo consilio regere-
„ tur, haud posset. Insit spiritus necesse est, à quo
„ agatur intus, & ratis motibus cieatur. Quid quòd
„ inter ipsorum leges ea numeratur, nihil ut li-
„ brorum edant in lucem absque Præpositorum
„ nutu. At enim, inquio, fieri quì potest, ut isti
„ Præpositi Societatis, & Præsides tam pugnanti-
„ bus placitis subscribant? Audies, inquit. Sic
„ igitur habeto, propositum ipsis finem hunc non
„ esse ut mores corrumpant: sed nec illum etiam,
„ ut eos ad pristinam severitatem, probitatemque
„ revocent. vetat enim id politica calliditas. Hæc
„ mens illorum & ratio. Sat magnificè de se exi-
„ stimant, ut Religioni utile, ac prope necessarium
„ arbitrentur Societatis suæ magnam apud om-
„ nes gratiam, magnam esse auctoritatem; se con-
„ scientiarum omnium esse moderatores, & arbi-
„ tros. Porro quia Evangelica effata & severio-
„ ra certis hominibus regendis idonea sunt, tunc
„ illa usurpant in loco: at quia longe plurimis ea-
„ dem effata non arrident, eadē missa faciunt, quā-
„ do rem cum ejusmodi habent hominibus; ut hoc
„ pacto satis omnibus facere, ac omnibus omnia
„ fieri possint. Hinc adeo necesse est, ut in tanta
„ conditionum, nationum, personarum, quæ ipsis
„ tractandæ sunt, varietate, dissimilibusque stu-
„ diis, habeant morum Doctores ad istam varieta-

tem

tem accommodatos, & versatiles. Hinc etiam „ II. DIAL.
facilè intelligis, si dumtaxat Magistros morum „
benignos haberent, ac remissos, futurum ut „
princeps illud suum & primarium consilium, „
nempe devinciendi omnes, & colligandi sibi, „
pessundarent: siquidem severiore disciplina „
regi omnes pii volunt. Verùm cum sint isti non „
valde multi, severis Doctoribus minimè multis „
ad regendos illos egent. paucis pauci sufficiunt. „
at promiscuæ multitudini laxiorem viam se- „
ctanti, ultro se offert moralium Theologorum „
molliorem doctrinam profitentium multitudo. „
Hac *tam comi*, ut loquitur Petavius, *& flexibili* „
ratione omnes amplectuntur, omnes sublevant. „
Occurrat enim quispiam cui deliberatum sit „
malè parta restituere: non committent, mihi „
crede, ut hominem à proposito deterreant. Lau- „
dabunt potius mentem sanctè, pieque suscep- „
tam, & confirmabunt. Alter contra prodeat, qui „
absolvi petat, nulla restitutione facta; rem opor- „
tebit valde esse arduam, ac difficilem, nisi ejus „
expediendæ vias molles aperiant, quarum peri- „
culum, & aleam omnem in se ipsi recipiant. Ita „
retinent amicos; contra inimicos se tutantur. „
Solutam fœdè ac remissam doctrinam objicis? „
Continuò propalam ostentant austeros illos „
Doctores suos, cum libellis quibusdam de seve- „
ritate legis Christianæ conscriptis; eoque pacto „
imperitis, ac simplicibus, itemque aliis minimè „
res ipsas introspicientibus, satisfaciunt. „

Sic idoneos cuilibet hominum generi Docto- „
res in promptu habent; atque ita solerter, & ac- „
commodatè, prout quisque illos consulit, re- „
spondent, ut iis in regionibus, ubi Deus Cruci „
af-

II. DIAL. „ affixus ſtultitia eſt, ibi ſcandalum Crucis ſilen-
„ tio premant,& Chriſti Majeſtatem gloriamque,
„ cruciatus nequaquam aut mortem prædicent: id
„ quod in Indiis, & Sinenſi Regno præſtiterunt,
„ ubi fictorum etiam numinum ſimulacra colere
„ fas Chriſtianis eſſe voluerunt hoc ſubtili artifi-
„ cio. docent illos videlicet abditam ſub veſte
„ imaginem Chriſti gerere, ad quam tacita cogi-
„ tatione referant adorationem, quam falſo pa-
„ triæ numini Chacim-Choan, & Doctori Keum-
„ fucum palam exhibent. Hoc Jeſuitis Gravina
„ Dominicanus exprobrat. Teſtatur hoc ipſum
„ commentarius Hiſpanus, Regi Catholico Phi-
„ lippo IV. à Franciſcanis Inſularum Philippina-
„ rum oblatus, quem recitat Hurtadus in ſuo li-
„ bro, qui *de Fidei Martyrio* inſcribitur, pagina
„ 427. Quæ res in cauſa fuit, cur Cardinalium *de*
„ *propaganda Fide* Congregatio coacta fuerit Je-
„ ſuitis interdicere nominatim, propoſita pœna
„ excommunicationis, ne adorari fictorum numi-
„ num ſimulacra quocunque nomine permitte-
„ rent; neve Crucis myſterium iis, quos erudirent
„ de Religione, occultarent: imo ne quem ſacro
„ Baptiſmi fonte, niſi priùs ea de re admonitum
„ doctumque, abluerent. Tum etiam ut in ſuis
„ ædibus ſacris Chriſti è Cruce pendentis imagi-
„ nem publicè proponerent, edixit. Quæ fuſius
„ explicat Decretum eiuſdem Cõgregationis da-
„ tum die nona Julii anni MDCXLVI. & à Cardi-
„ nali Caponi obſignatum. En quo modo ſe in
„ Orbem univerſum infuderunt ope, ac beneficio
„ doctrinæ de opinionibus probabilibus, unde
„ hæc labes omnis tanquam è fonte profluxit, &
„ quo uno maximè fundamento cętera illorum
„ doctrina ſtat. His

His perlectis Eudoxus repente in has erupit voces: Bellè profectò, eleganter, festivè! ut scitè *Imago primi seculi* profertur! ut ex eo libro desectæ particulæ inseruntur aptè, ac suis locis includuntur! Stylus ille simplex, & concisus, quem initio adhibet; jocosæ sententiolæ, quas more parenthesis interponit, ad ea, quæ dixit breviter respectans: *Poteratne ipsos Propheta clarius designare? Mentiri hominem nusquam puto*: hæc arrigunt animos pariter & oblectant. Narrationis candor ingenuus: ars præcipua qua Lectorem conciliat, cavetque diligenter ne quid obstet quominus benignè rem totam audiat. Vocula est hic nulla, quæ non collimet, quæ tela non præripiat Jesuitis, & eos inermes ante ipsum certamen hosti non objiciat. Quod nominatim de Sinensi idololatria, velut ex ipsa re natum, & minimè accersitum, injicit cursim expositum, nulla prætermissa tamen circumstantia, quæ valere possit ad fidem ipsa rei narratione faciendam. II. DIAL.

Prorsus, inquit Cleander, amicum interpellans, nisi Jesuitæ non modo rem ipsam factam esse pernegarent, verum etiam quàm esset turpiter conficta, quàm perspicuè falsa, demonstratum à se fuisse contenderent.

Nihil refert, subjecit Eudoxus: sentio me ad credēdum rapi ferè invitum, & multis intelligo, perinde ac mihi, hoc idem persuasum esse debuisse. At enim observa, quemadmodum Paschalis complexus sit his paucissimis verbis ac struxerit, quicquid erat opus ad eam rem, quam præcipue spectabat: nempe ut in Jesuitarum corpus universum conferret allucinationes om- IV. *Quid in hoc loco Paschalis velit.*

nes

II. DIAL. nes & errata, quæ cunctis ipsorum Scriptoribus excidere potuerunt. Quidlibet opponas licet: hæc Epistolæ particula tanti fieri, quanti est, nequit. Cæterum, subdidit, cave propterea de me quidpiam deterius suspiceris. Video enim nihil propius esse, quam ut me vicissim accuses quasi præpostero in Paschalem favore occupatum. Id unum volo, hunc locum solerter, & per quàm affabrè tractatum esse; nihil ad persuadendum, certè ad imponendum, dici potuisse commodius.

Non me fallis, reposuit Cleander; nec facies hodie, ut iniquiorem te Jesuitis esse non persentiscam. Quin vidèris mihi paratus hunc deosculari locum, & in illo acquiescere, nisi eum tibi de manibus excussum, ac probe refutatum cernas.

Ego vero te oro etiam atque etiam, respondit Eudoxus, ne veniat in dubium tibi æquitas mea. Iterum spondeo, ac sanctissime contestor me neutri addictum parti, eundem semper, & ęquum utrique fore: neque oculos quicquam meos ita perstringere potest, ut transfuga veritatis, & prævaricator fiam.

Plane is ego etiam sum, inquit Cleander. Itaque eadem æquitate animi & candore, omissis verborum phaleris & fuco, quid pro Societate dici possit, exponam.

V. *In quo artem Jesuitarum politicā Paschalis posuerit.*

Politica Jesuitarum ars, inquiunt, ac scopus est, ut conscientias omnes in suam potestatem ditionemque redigant. Cum vero duo sint Christianorum genera, alterum illorum, qui veræ pietatis cupidi, tutos fidosque duces expetant, eorum in gratiam, dederunt operam Jesuitæ, ut morum

Doctores

Doctores aliquot severiores haberent, sed paucos paucis: cum contra Doctorum solutiorum agmen ultrò se offerat majori turba laxiorem viam sectantium. Sic totum in orbem, ajunt, sese Societas infudit probabilium opinionum ope, unde tanquam è vitiato fonte cætera doctrinæ flagitia fluxerunt. II. DIAL.

Adderes, inquit Eudoxus, intentionis directionem, cum doctrina vocum ambiguarum. Sunt enim hæc etiam, Paschale teste, Jesuiticæ morum doctrinæ capita præcipua.

Sic est, reposuit Cleander: sed quamvis ea sint præcipua, poterunt à nobis tamen separatim, ut propria quędam, ac peculiaria, quę rem universè non spectant, capita, examinari per otium. In Jesuitarum arte politica nunc hæreamus; in conspirante ad unum, eũdemque finem omnium ingenio; in consentientibus ad Societatis gloriam, & amplitudinem peræquè omnium studiis; in doctrina hinc mitiore, inde asperiore, inter ipsorum Doctores tam præclarè divisa, aliis hanc partem, aliis illam promoventibus, & eandem ad metam per iter tam diversum contendentibus, ope ac præsidio probabilium opinionum. *Hoc aperuisse, est*, si Paschalem audimus, *ingenium Societatis, perpaucis cognitum, aperuisse*. Sanè operæ pretium est hoc unum indagare curiosius. Nam si doctrinæ ista divisio verè probatur esse deprehensa, si non est ficta fabula, si denique hoc unum caput liquidò constat, fidem apud me facile inveniet quicquid in Jesuitas conjicitur. Nihil irascar Wendrokio illos insectanti, & diris conviciisque procaciter obruenti. Sed vix capio, serioque in animum

II. DIAL. vix induco, id consilii potuisse informari, ac tandiu perduci, hoc est, usque ad Paschalis tempora, aut certè usque ad Jansenismi natales, nemine sentiente, atque animadvertente: tot in bellis, quæ cum Ecclesiæ Romanæ Doctoribus Calvinistæ gesserunt, in quibus primi semper Jesuitæ oppugnabantur, neminem ex illis pervicacissimis hostibus extitisse, qui eos hoc telo peteret: tot inter homines, qui studium in hoc suum, laborem, meditationesque contulerunt, ut ipsorum instituta, leges, & artes, ut isti vocant, politicas cognoscerent, carperent, probris, maledictisq; vexarent, arcanum hoc abditum, & ignotum fuisse. Id meo judicio fidem nullam habet.

VI. *Arx Jesuitica calliditatis à Paschale exstructa, an satis firma sit.*

Age enim rem ipsam quæso suis expendamus momentis, & in istam, si fas est, calliditatis Jesuiticæ artem ingrediamur. Quis hujusce consilii tam insolentis artifex? Ignatiusne Societatis conditor? Quænam operis ejusmodi extat in Societatis Constitutionibus, non dico descriptio, sed linea, & adumbratio? Quæ decreta in ipsorum Congregationibus Generalibus edita huc spectant? Num quis ex eorum Præpositis Generalibus ab Ignatio ad hanc diem produci potest, qui hanc exitialem Evangelio, & integerrimæ Christi de moribus doctrinę pestiferam conspirationem fuerit machinatus? Caraffa, credo, vir, omnium consensu, inter homines, qui sanctitatis laude nostra memoria floruerunt, numerandus, quique post gubernatam annis aliquot Societatem, vix è vita cesserat, cum Paschalis hæc præclara de Jesuitis est commentus. Omninò enim ut gubernetur ejusmodi consilium, ac negotium ita constitutum delibera-

tum-

tumque, ut Paschalis narrat, ad cujus effectionem conspirare aut universum corpus, aut è singulis certè membris plurima in unam coeuntia mentem, ac sententiam debent; opus est dux, & qui molem totam intus agat, spiritus, ex quo membra hæc omnia apta sint, & suspensa. Cum Titus Oates, & Bedlous Anglicanam illam, qua periere Staffordius, Colmanus, & quinque primarii ejus regni Jesuitæ, conjurationem confinxere, hanc similitudinem veri, & colorem suis nefariis consiliis obducere diligenter laborarunt. Societatis Præpositus Generalis, annuente summo Pontifice, omnia dabat, quæ ad bellum administrandum opus forent, mandataque; omnia Regni Anglicani munia, Magistratusque pro Imperio donabat. Affirmabant testes conspectum à se diplòma sigillo Societatis obsignatum, quo Arondelius Angliæ major Cancellarius dicebatur. Altero Powisius supremus Ærarii Præfectus creabatur. Tertio Bellassius copiis contra Regem scribendis præficiebatur. Petersius in eodem exercitu Belassii Legatus nominabatur. Omnia obsignaverat Societatis sigillo, *Joannes Paulus Oliva* ejus Præpositus Generalis. Ita res videlicet definiuntur, & designantur singillatim: Dux, conjurati appellantur. Itaque plebs Anglicana auribus totis, & animis fabulam hausit, & in artes Jesuitarum politicas debacchata nimirum est. Quin igitur ad hunc ferè modum hæc altera, quæ illis objicitur, conjuratio informata proponitur? Præsertim quum admoneamur, ut in quinta Provinciali fit, hanc Evangelicæ morum disciplinæ labem, & pestem, non casu, temeritate, levitate, sed II. Dial.

certo consilio invectam fuisse: id quidem Jesuitis unum, aut præcipuum, quò perveniant, non esse propositum: viam tamen hanc in commune ipsis constitutam esse, ac fixam, quam viam singuli quotidie, ut cuique commodum est, sine ulla dubitatione, ac deliberatione ineant, ac persequantur.

Vah! lepidam comparationem hanc tuam, excepit Eudoxus: Titus Oates, & Bedlous cum Paschale componuntur! Illi veteratores, quorum consilia dementiæ plena non minus quam sceleris usque eò bilem Arnaldò moverunt, ut se tenere non potuerit, quin eos furciferos in sua Catholicorum Apologia nominaret. Cæterum ipse Paschalis, si hæc eadem ab illo quæsivisses, haud scio an non hæsisset, incertus quid responsi tibi daret. Quanquam in eo, quem modò legimus, loco videtur nodum hunc vidisse, ac solvere voluisse. Cum enim hoc probare, ac stabilire nitatur, quod in ipsius litteris tam latè patet, nempe varietatem istam, quæ inter morum Magistros, alios molliores, rigidiores alios intercedit in Societate, ut ipse quidem sentit, non à casu, aut singulorum in eligendis, quas sequantur, opinionibus arbitrio proficisci, hæc habet.

Cognins. Tom. 1. pag. 191.

„ Quænam igitur, inquam, totius corporis „ mens, quod consilium? Nullum fortasse cer„ tum, ac stabile, sed singulis, quod libet, effutire „ licet. Hoc vero esse nequit, respondit alter: „ constare tantum corpus, & contineri non posset, „ si cæco impetu, non ab una mente motus ejus„ dem omnes moderante regeretur. Præterquam „ quod lege apud ipsos cautum est nominatim, ne „ quid librorum in vulgus edant, Præpositorum

injussu.

injussu. Quid illi Præpositi, quo pacto tandem " II. Dial.
possunt illis opinionibus subscribere? hoc jam "
ex me audies. Sic igitur habeto &c. "

Istud ipsum in Provinciali nona, ut res momenti longe gravissimi, repetitur. Quid ais? "
(inquit Jesuita, qui loquens hoc loco inducitur) "
an ignoras Societatem nostram suorum om- "
nium libros præstare, & eorum aleam in se di- "
scrimenque suscipere. Te vero id rescire operę "
pretium est. Hoc igitur ex me cognosce, cau- "
tum esse in Societate nostra, & vetitum ne Ty- "
pographi, ac Bibliopolæ quilibet opus ullum à "
nostris elucubratum divendant, sine Theologo- "
rum nostrorum approbatione, ac Præpositorum "
injussu. Itaque toti Corpori præstandi sunt sin- "
gulorum libri. Hinc fit, nullum ut à nobis opus "
exeat, quod imbutum Societatis ingenio non sit. "
Hoc te doceri ad rem attinuit. "

VII. *Jesuitarum Regula, qua vetantur libros edere injussu Præpositi Generalis Societatis.*

Hinc vides, inquit Eudoxus, id velle Paschalem, ut ars hæc politica sit penès Præpositos Societatis, quibuscum cæteri communi consensu ad finem toti propositum corpori assequendum conspirent. Neque id vult solum, sed etiam probat hoc argumento, quòd lege apud ipsos nominatim cautum sit, uti revera est, ne quid in vulgus edant Præpositorum injussu.

Tum vero Cleander; en illæ, quas modo dicebas, ex intimo artificio depromptæ voces, quę velut obiter, & cursim jaciuntur, sine arte, & fuco; quæ tamen Lectorum animos vehementius feriunt. Quàm sæpè, quàm procaciter Jesuitarum adversarii, arrepta ex editis in eorum gratiam defensionibus occasione, decantaverunt hanc privatam ipsorum legem, quà vetantur li-

 bros

II. DIAL. bros ullos pervulgare, sine venia Præpositi totius Societatis? Ego vero cum hac hebdomada mecum hæc tacitus agitarem, incensus sum cupiditate penitius eam rem præ cæteris cognoscendi. Itaque conveni nudius tertius Jesuitam, quicum vetus mihi usus intercedit, hominem ingeniosum, & spectatæ inter suos eruditionis, ac famæ: statimque in hunc sermonem ingressus, Scin', mi Pater, inquio, legem istam, quam in regulis haberi vestris constat, ne opus ullum absque Præpositi vestri facultate in vulgus exire patiamini, ab adversariis vestris tanquam gravissimum in vos telum adhiberi; eàque fieri, ut quicquid peccatur privatim à singulis, id universo corpori tribuatur.

Næ tu, reposuit ille, vir bonus es; qui tam facile te in fraudem induci patiaris. Ita scilicet os tibi sublinitur? Legem hanc nobis peculiarem, ac privatim latam dicis, quasi nobis non esset communis cum universis ferè Sodalitatibus, & Corporibus, quorum partes ordine aliquo sunt nexæ, vinculisque regularum. Sed unis videlicet nobis ea lex, ut fraudi sit, laboratur. Cognosce quo res tota geratur pacto: quam nullius roboris sit quidquid indè consequi volunt adversarii, facile perspicies. Nefas nobis sine Præpositi Generalis nostri nutu librum quenquam in lucem edere. Quid id est? hoccine, ut Præpositus Generalis libros omnes, quicunque ex officina Jesuitarum exeunt orbe toto, legat, recenseat, & digni sint necne qui edantur in lucem, per se ipse statuat? Id vero muneris, operisque si illi imponatur, abundè illi negotii fuerit legendis dumtaxat libris; otii satis nunquam erit.

erit. Fuit enim, quo Societatem gubernante, tot edita sunt de controversiis solummodò Catholicos inter, & hæreticos quæstionibus volumina, in Germania, Flandria, Francia, & Anglia, ut illud omne, quod exegit in Societate administranda, tempus perangustum iis evolvendis futurum fuisset. Id ergo sic fermè peragitur. II. DIAL.

Præpositus Generalis eam Provinciarum Præfectis potestatem facit, ut conscriptos ibi, ubi præsunt, libros approbent. Cave autem putes istos etiam ab ipsis Provincialibus perlegi libros. Iis per occupationes varias nō vacat. Designant igitur, ac præficiūt huic muneri tres, quorum è suffragio probant ipsi librum, vel improbant. Porro illi tres delecti ad hoc munus, hanc servant præcipuam in judicando regulam, ut ex arbitrio, & mente sua nihil statuant, aut è privatis opinionibus, ac judiciis; sed (præsertim in rebus Theologicis) sententias in Catholicis Academiis, & Scholis vulgò receptas sequantur. Ad hanc fermè regulam, quæ alias plerasque longè optimas conjunctas habet, sua suffragia dirigunt. Habes quomodo res tota peragatur: neque vero confici aliter potest. Ita vix quidquam esse discriminis vides inter librum tribus Sorbonicis Doctoribus approbantibus editum, si spectes totam domum Sorbonicam; & librum tribus itidem Theologis Jesuitis approbantibus vulgatum, si totam Jesuitarum Societatem spectes. Nec magis Jesuitæ cujuspiam opus universæ Societati, quam Doctoris unius Sorbonici librum Sorbonæ toti esse tribuendum.

Ita mecum ille: redegitque mihi tum in memoriam quemadmodum vexata Societas fuisset

II. DIAL. Patris Cotoni temporibus, itemque quando in Galliam primum est inducta; cum libris ex Italia, & aliunde accersitis Jesuitæ Galli perduellionis rei, aut jurium, ac libertatum Ecclesiæ Gallicanæ hostes traducebantur: & quemadmodum Aula pariter & Parisiensis Senatus temporibus illis, tametsi alienas quasdam, & acerbas de Societate opiniones imbibissent, & injectis assiduè suspicionibus atrocibus adversus eandem incenderentur, sese nihilominus in ista causa candidos illi Judices, & æquissimos cognitores præbuissent.

Siquidem est ità, Cleander addidit, si aliter esse nequit; quid censes de politica Jesuitarum arte, & systemate à Paschale composito? Quam tibi stabile videtur, ac firmum, quod fundamento tam infirmo, & vitioso nititur? Nec nimis igitur absurda forrasse fuerit ea, quà sum usus, comparatio, etsi tibi parum commoda, mihi non usquequaq; integra, & absoluta videbatur. Quæ, malùm, isthæc ratiocinatio est? Hispanæ Jesuitarum Provinciæ Præpositus calculum suum ascribit suffragio trium è Societate Hispanorum aliquem librum approbantium. Ergo liber, utpotè ab isto Præposito Hispaniensi approbatus, universæ Societatis ingenio est imbutus. Ergo, cum iisdem de rebus aliud alii Jesuitæ sentiant in suis libris, hæc diversitas, quæ cæteros inter Theologos quotidie reperitur, partus erit artis politicæ Præpositi Generalis, omnia gubernantis, idque providentis in rem Societatis, & gloriam, ut hanc sententiarum partitionem conficiat, ac foveat; quantumvis hinc certissimum Ecclesiæ exitium, quamvis morum, ac disciplinę la-

VIII. *Bella Paschalis ratiocinatio.*

labes, pernicies Evangelii ac ruina Orbi Christiano impendeat! Pudeat fabulæ, si quis hanc paulum modò apud se reputet. II. Dial.

Eudoxus, cui pergratum acciderat ista ex Cleandro audivisse, sic est subsecutus. Rem ipsam attigisti: eam exposuisse, Paschalem exarmasse est, ejusque litterarum inanitatem & imbecillitatem patefecisse. Noli tamen ea de re nimium placere tibi. Ita tibi concedo hujus systematis labefactati laudem, ut nonnihil etiam de illo suspicatum esse me confitear ultro & prædicem; etsi perfida luce oculos intuentium perstringat. aut enim constat, aut nititur quibusdam paradoxis parum probabilibus, & ab vulgari hominum opinione sensuque omnino disjunctis. nam si vera sunt, quæ de Societatis gubernatione Paschalis docet, planè oportet eos omnes, ad quos ista gubernatio pertinet, scientiæ politicæ miros quosdam magistros esse. Atqui novi profecto complures ex illis in hac arte non peritissimos. Imo esse conscceleratos oportet, ac pietatis professos hostes & Religionis. Age enim, Paschalem iterum appello. Quid agunt illi, quid moliuntur, quid cogitant? Quid? nisi Evangelium convellere, nisi morum disciplinam carni sensibusque amicam, pro cælesti doctrina Christi substituere, nisi Religionis mysteria sanctissima temerare? idque scientes ac volentes, ex compacto, via certa & ratione, collatis inter se capitibus & consiliis, suis cuique in tam detestabili coitione partibus attributis; imposita his atroci & rigida persona, illis blanda & indulgente. Ita non modo ipsorum Præpositi, sed omnes eorum Theologi, Con-

Confessarii, Rectores animarum, tam diræ conjurationis conscii erunt ac participes, hoc est, tanti Corporis pars longè maxima ac præcipua, exceptis enim junioribus, qui sacris Ordinibus nondum sunt initiati, plerique omnes, plus minus, ad animarum regimen adhibentur. hoc vero ipse confirmo, ac in me recipio, nec mihi, nec tibi, nec Parisino cuiquam aut è Gallia reliqua, ac ne ulli quidem ex iis, quos vocant, Jansenistis venisse in mentem, ut in aliquem Jesuitam privatim sibi notum, & usu aliquo ac familiaritate conjunctum, hæc scelerum monstra cadere putarent posse. Neminem adhuc audivi, qui de aliquo illorum nominatim diceret: hic Jesuita mihi notus, homo est nequam, dissolutus, atheus; qui nihil religioni habet; qui animam suam æternis oppignerare suppliciis pro Societatis suæ gloria commodisque non dubitet. Quidquod illis universè virtutum certarum gloria conceditur, quas retinere sine studio religionis ac Numinis timore haud facilius quisquam possit, quam ipsam religionem & Numinis metum cum istius infandæ politicæ legibus effatisque conciliare? Legistin' aliquando in Jansenistarum libris communes quosdam, in gratiam suarum partium & commendationem, locos? Eos quandoque arripere sibi ac in rem suam transferre integros, ut sunt, Jesuitæ possent. En tibi unum ex iis locis: illum excerpsi è libello cui titulum fecere, *Pater Buhursius calumniæ convictus*. * Eo utamur licet tanquam epiphonemate & clausula eorum quæ modo sunt à me dicta. Verba ipsa recenseo.

IX. *Jesuitarum mores calumnias adversariorum refellunt.*

Næ

* *Le Pere Bouhours convaincu de calomnie.*

Næ illum esse animo pravo & perquàm corrupto necesse est, qui tantam pravitatem animo cujusquam inesse suspicetur. Nemo plane, nisi popularis auræ captator perditissimus, putet alios deditâ operâ fidem ac salutem suam pro inani gloriola aut insulsa benè vel malè audiendi voluptate, pacisci velle. „ II. Dial.

Mitto quærere, inquit Eudoxus, quam istud verè fuerit ab iis pronunciatum. Valeat sane in hominis alicujus privati causa: sed quantò valere debet magis, si agatur de Præpositis Societatis, de Confessariis, de animarum rectoribus, de Evangelii apud exteras gentes præconibus, universè ac simul sumptis? Vin'dicam quod sentio? Minoris portenti loco ducerem unum aut alterum è doctoribus Jansenistis existere intus impium ac flagitiosum, speciosum foris larva & simulatione virtutis; quàm totum illum Jesuitarum gregem esse fidei, Numinis, religionis expertem.

Quid dico autem Præpositos, animarum rectores, præcones Evangelii? Ex quo Paschalis arcana hæc mysteria retexit, ut quidem gloriatur, atque in Jesuitarum omnium manus Provinciales litteræ venerunt; ex quo istarum fide ac fiducia litterarum tam multi sibi fas putant esse, Societatis doctrinam de moribus, ut fractam turpiter & remissam, agitare; nonne juniores illi Jesuitæ, ordinis mysteria celati hactenus, solertes iidem ut plurimum & ingeniosi, oculos aperuissent, & in corpore tam corrupto præterea censeri perhorruissent? Quam multos desertores ac transfugas hæc tam justa in speciem, tam probabilis causa facere debuisset?

Ne-

Neque enim eſt iſtius Ordinis eadem ac cęterorum ratio & conditio. Patet ſemper ad exitum porta, aut iis certè, quibus exire certum eſt, pateſcit. Quis prætexendæ illorum aut inertiæ, aut inconſtantiæ ſpecioſior color? Quod vero ad illos ſpectat, qui nonnunquam è Societate propter mores minus compoſitos dimittuntur, ecquam ultionis viam poſſent nanciſci faciliorem ac tutiorem, quàm ſi hæc myſteria retegerent? an Præpoſiti Societatis, præter ſuam illam politicam artem, eam quoque vim & poteſtatem habent, ut faſcinent homines, ut puncto temporis atheos efficiant tam multos, qui ea tantum mente in religioſam ſe familiam receperunt, ut corruptelam ſæculi & contagia devitarent? Occulta igitur eſſe inter ipſos Jeſuitas illa politica fraus & calliditas nequit. Quod ſi non latet, ſi palam eſt; nonne portenti ſimile prorſus ac monſtri foret, ſi nemo illorum tam diras artes graviter & indignè ferret, nemo ad eas in lucem publicam emittendas prorumperet?

X. *Quam ſit incredibile Paſchalis commentum.*

Tum Cleander: Illud vero monſtri ſimilius foret, homines ita comparatos, uti nobis aliquando Jeſuitæ deſcribuntur, vias ad Societatis ſuæ gloriam amplificandam, uno conſenſu inire & perſequi tam diſſidentes ac diverſas, quam diſcrepantia ſunt ejuſdem Societatis munia & officia. Ex iis quidam in aula verſantur fama pollentes, auctoritate, gratià apud Principes; in ore hominum & honore ſunt: interim dum alii Canadenſibus in ſylvis errant, inedia & frigore confecti: alii graviore & æſtuoſo cælo Inſularum Auſtralis Americæ valetudinem debilitatum eunt, nulla ſpe illius in poſterum recrean-

dæ;

dæ; ſiquidem vix trigeſimus quiſque illorum, qui in eas oras commigrant, vincere iſtius gravitatem cæli poteſt. Mitto dicere de Anglicanis patibulis, de ignibus & ſcrobibus Japonum, quibus extincti plerique præcones illorum Evangelici. Sic enim fertur, ſic ſcriptis publicè libris affirmatur, Jeſuitas qui degunt in exteris iſtis regionibus, nihilo eſſe his noſtratibus meliores. Faciant illic mercaturam, ſi Superis placet, idque ipſis uſque uſque oggeratur; & magnas colligant opes: levis hercle quæſtus foret pro tantis impendiis. Ac vereor ut inſtitores benè multi mercaturam ea conditione facere ament.

II. Dial.

Moralis practica tom. 2. in præfatione.

Convolabunt videlicet ad Iroquæos boni Jeſuitæ, ut Barbarorum ingluviem & avidas cruoris humani fauces ſuis carnibus elixis, toſtis, vivi ac videntes expleant: exigent aſperas hyemes in deſertis nemoribus cum fera & immani gente, nullo alio domicilio, quam contexta ex arborum corticibus caſa, ubi lenire frigoris vim ad malignum focum tentantibus fumus præcludit *ſpiritum, oculoſque urit.* Quo tandem *conſilio?* ut glorientur & gaudeant in ſinu molliorem diſciplinam morum ubique operà ſuà ſparſam; ut propàgent nomen Societatis; ut concionis pars aliqua ſint, in qua orator, ut ſit, rogatus verba facere ad populum de Sancto Ignatio, gratulabitur Patribus Pariſinis, eoſque fratrum ſuorum piis, & Apoſtolicis laboribus commendare geſtiet. hoc ſi cuiquam probabile ſit, coaleſcet olim, ſpero, ſocietas aliqua prædonum, qui arctiſſimo fœdere ad furta facienda, populationes, cædes, incendia devincti, ſic inter ſeſe paciſcentur ac tranſigent, ut nonnulli

ex

II. DIAL. ex ipsis fruantur pacatè rapto, & sociorum laboribus gaudeant, immunes ipsimet aleæ & periculi; alii vero, post abactas undecumque nullo suo emolumento prædas, rotas & cruces deposcant ultro sibi, ac supplicia excipiant acerbissima, ut gratificentur sociis, eorumque incolumitatem ac securitatem suo periculo exitioque redimant.

Sic profecto sunt homines, retulit Eudoxus, amant ipsi se impensius, quam ut publicæ utilitati, sua spreta, totos se devovere velint. Mihi crede, homo sic factus fictusque, ut rei suæ prorsus oblitus, uni publicæ studeat, ut suam oblectationem, commoda, quietem, vitam præ commodis & gloria ejus corporis in quod est cooptatus, pensi nihil habeat, si mores hominum, ut sunt, æstimas, somnium est. Ego vero hunc hominem eique consimiles iisdem verbis possem affari, quibus Jesuitam navigantem in Sinas hæreticus Minister ante aliquot annos compellavit. Quæsivit ex eo, qua mercede ipsum induxisset Papa, ut iter hoc susciperet longum, difficile, periculosum. Cui Pater, nullà. Ehò! subjecit Minister Batavus vernacula sua latinitate, *Benè stulti estis vos.*

Epist. Patris Verbiest.

Et facerent stultè profecto, reposuit Cleander, si tot è periculis tam inanem gloriolæ captarent fructum ambitiosè. Subtilior hæc & parum usitata laudis aviditas est. Quos enim dabis mihi homines duos eadem vitæ conditione, ætate, ingenio, facultate prope pares, qui ubique consentiant inter se, nunquam dissideant, nunquam alter alteri, occasione datà, noceant; si modo sint honoris amantiores, & eorum animis

mis ea cupido insederit? Idem tu nihilominus II. DIAL.
existere affirmabis hominum complura millia, qui (si credimus architecto illius, quod excutimus nunc, systematis) sint incensi omnes incredibili cupiditate gloriæ, qui sint iidem eruditi magnam partem & ingeniosi, quos eorumdem officiorum ambitus & æmulatio deberet suâ sponte inter se committere & componere: eos, inquam, affirmabis, æquissimo animo, citra querelam omnem & contentionem, tam inæqualia obtinere loca & munia; in quibus tantum est discrimen, dissimilitudo tanta si vitæ quotidianæ opportunitates, domos, alimenta spectes; si usum & consuetudinem cum aliis hominibus, occupationes, animi tranquillitatem, in qua natura & sensus acquiescunt; quanta inter pulcherrimas maximasque Galliæ urbes, & Americanas ac Monomotapenses solitudines intercedit. Planè si hoc ambitione & inanis gloriæ studio efficitur, si artis politicæ opus est, nihil ætas ulla parturiit in hoc genere magis eximium ac singulare.

Quocirca (pace illius dixerim qui *Comparationem veterum & recentium scriptorum* edidit) ex iis quibus Provinciales litteras exornavit laudibus, eximam *rationum firmitatem*, saltem quod attinet ad primarium ac præcipuum illud caput: idque unum tribuere Paschali videor posse, ut ejus industriam comparem cum artificio eruditorum pictorum, qui longos in tabulis prospectus exhibent Opticæ beneficio, quique innumera objiciunt oculis miracula, quibus jucundissimè falluntur, in quibus tamen dijudicandis ratio & mora brevi corrigit judi-

cium

cium sensuum fallax & præproperum.

Amo te, inquit Eudoxus, de ista comparatione: nihil dici potuit similius, nihil ad rem accommodatius.

Atqui, Cleander adjecit, est aliquid prætcrea quod dicam longè validius, quodque per se ita occurrit Provinciales legentibus, sed attentè legentibus & omni præjudicata opinione amota, ut in mentem venisse quoque tibi nullus dubitem.

XI. *Inepta Paschalis ratio ad probandā Jesuitarum Politicā calliditatem.*

Paschalis omnino promissis non stat. Id receperat se facturum ut veram ac germanam artis Jesuitarum politicæ imaginem nobis ob oculos poneret: artis autem ejusmodi, nihil ut in rerum humanarum tractandarum scientia subtilius quidquam ab quoquam excogitari potuerit. Illius technas ac præstigias omnes à se detectum iri pollicetur. Quo tandem id pacto præstat, quam init viam, ut eò quo volunt Jesuitæ perveniant? eam rem ab illis adhiberi fingit, quæ ipsis cum aliis omnibus religiosis Ordinibus, cum cæteris Sodalitatibus, cum Academiis universis planè communis est; ex qua proinde non possit effici Jesuitas esse astutiores cæteris, aut appareat certe alios nihil de calliditate illis concedere.

Quærebat nimirum, quomodo fidem aliquam & auctoritatem faceret illi varietati, quam affirmat apud Jesuitas inter morum & animarum privatos rectores intercedere, quorum alii molles & benigni sunt, alii austeri & duri. Quid ait? vult à Jesuitis inventam esse in Theologia doctrinam opinionum probabilium; cujus ea vis & facultas est, inquit, ut è contrariis Docto-

rum

rum sententiis utramlibet eligere non modo fas, verum etiam utile ac necessarium sit. II. DIAL.

Satis commodè hoc à Paschale excogitatum, excepit Eudoxus: & ista diversitas quam reperire est in rectoribus animarum, quorum hi severè decidunt, illi indulgenter & benignè, utcumque fit verisimilis & probabilis, posita opinionum probabilitate, quæ reipsa in causa est cur aliter alii pronuncient.

Rectè narras, inquit Cleander. Verùm hoc Paschali perincommodè accidit, quod nemo nesciat hanc doctrinam Jesuitis antiquiorem, imò adeo non peculiarem ipsis, ac propriam esse, ut antequàm tam atris coloribus descripta populo proponeretur, hoc est, ante annos triginta vel quadraginta, ubique trita in Scholis & pervulgata foret. Itaque Jesuitæ sui purgandi causa, & hanc a se culpam suspicionemque amovendi, demonstrarunt edito in eam rem libro, hanc sententiam doctrinamque probabilitatis opinionum, qualiscunque demum illa sit, suæ magis Societatis non esse quàm Sorbonæ, quàm Lovaniensium Theologorum, quam Dominicanorum, Franciscanorum, aliorumque omnium: illudque pugnaverunt, ac, meo quidem judicio, vicerunt, se nihil ea in re docuisse quod non præcipui ac ferè omnes istarum Scholarum tam inter se pugnantium Magistri docuissent. Fiet à me tibi hujus libri copia cum libebit: nam hujus rei, cęterà exploratissimæ, probatio nos aliò longius abduceret. Hoc unum interim ex eo nunc effici volo; si opinionum probabilium doctrina politicæ Jesuitarum calliditatis summa & caput est, Dominicanos, *Quæstio facti.*

II. DIAL. Franciscanos, Augustinianos, Sorbonam, Lovaniensem Academiam, cæterasq; omnes nihilo esse in hac arte Jesuitis inferiores. simul colligo, hinc quidem honorem haberi Jesuitis, quem non merentur, nec verò postulant, ut celeberrimis tot Societatibus ingenio & solertia præstare dicantur; inde vero agi cum iisdem iniquissimè, dum isto nomine eorum in caput conferuntur omnia quæ in corruptam morum doctrinam, verè an falsò, jactantur.

Hoc amplius. In his omnibus, sive Familiis religiosis, sive Academiis, non solum reperies hoc politicæ Jesuitarum artis principium admirabile ac fundamentum, videlicet opinionum probabilium doctrinam, verum etiam omnia quæ huic adjuncta sunt & nexa capiti, quæque huic fundamento astruuntur: eodemque filo & ductu orationis, quo telam hanc Provincialium adversus Jesuitas Paschalis non minùs subtilitèr quàm benevolè contexuit, dabo tibi & ostendam in Sorbona, in Academia Lovaniensi, in Dominicana cæterisque religiosis Familiis, istos duplicis generis & coloris moderatores animarum, severos & commodos: ac mutato duntaxat nomine Jesuitarum in alicujus illarum Familiarum & Academiarum nomen, existet illarum tibi panegyricus extemporalis, huic simillimus quo Jesuitas in quinta Provincialium Paschalis commendavit. Tollam ex illo fortasse historiolam Joannis Albani, itemque fabellam probabilis alapæ Compendiensis, pigmenta quædam ex *Imagine Primi Seculi* hausta: quorum in locum, si mea scrinia paulisper excussero, non sufficiam tantùm

paria

paria complura & reponam, verùm etiam auctarium largè dabo. Ibi tum ut triumphabo! ut me jactabo! ut Paschalis more cavillabor & ludos faciam, contextis & arbitratu meo dispositis, quos è variis auctoribus consarcinaverim, locis, eadem ac ille concludens, easdem nunc comparationes accersens, nunc insectationes ingerens, nunc apostrophas adhibens! ad extremum Dominicanos compellabo graviter, aut alios quospiam, quo ferè modo Paschalis sub finem Epistolæ decimæ tertiæ, Jesuitas est adortus. Quando igitur, inquit, Opinionum ista probabilitas id præstat, ut quæ sunt à quibusdam Scriptoribus vestris bene & laudabiliter scripta, ea Ecclesiæ inutilia, utilia vestræ tantùm politicæ calliditati fiant; quid aliud inde concluditur, nisi ex illa sententiarum discrepantia duplicem animum vestrum planè cognosci? quem utique palàm detexistis, cum hinc è vobis alios contra homicidium, alios, nec ignobiles Scriptores, bene multos pro homicidio stare declarastis; ut sic duplicem hominibus aperiretis viam, profligata & eversa simplicitate divini Spiritus, qui ambiguos illos & ancipitem insistentes viam execratur his verbis: *Væ duplici corde & ingredienti duabus viis*..

II. DIAL.

Neque hoc ipsum, Eudoxus ait, Jesuitæ pridem suis in Apologiis non observarunt. Quod si ita est, hinc prorsùs arguitur quod volebas, nempe rationes a Paschale allatas ad probandum, nequaquam solidas ac firmas esse, si soliditatem rationum ac firmitatem interpreteris, ut interpretandas monet vulgaris notio his vocibus subjecta. Sed easdem, credo, paulo beni-

II. DIAL. gnius & laxius Comparationis Auctor interpretabatur. Academicus est: juris nonnihil in significationem vocum habet. Parùm solidæ sunt Paschalis rationes ipsæ per se se: at solidas ingenium Auctoris, unde sunt natæ, fecit. Quid enim tu solidum aliud in cogitando, in scribendo firmum reris, nisi scopum ictu certo petere, eò lectores dirigere, facere, ut eadem tecum & sentiant & velint, ut litem & causam ei quem legunt scriptori adjudicent, abjudicent adversariis? An hoc Paschalem consecutum negas? Teritur omnium manibus: illi creditur a multis: ferè ab universis, tanquam vera aut simillima veris dicenti, plauditur. Exactam illam & rigidam veritatem, ut normam, secutus non est, certe in iis, de quibus modo agimus, litteris: passa detrimenti quoque nonnihil fuit Christiana caritas, cujus nomen adeo percrebuit è libris Portu-regiensibus: severiorem morum doctrinam in ea re non usquequaque audivit: cæterum voti compos denique factus est. Hoc qui faciat, eum ego vel ob id unum, ut Perralto gratificer, solide ratiocinari dicam. Tum autem, an putas id spectasse Paschalem, ut verus ubique censeretur? Inire gratiam ab amicis voluit, famam colligere, sibi aliisque risum excutere voluit....

XII. *Laus Paschalis, ejusd. astutia.*

Hic interfatus Cleander: Erras, Eudoxe; Paschalis mentem non assequeris. Audi Wendrokium. Nec mora extremam partem Notæ in undecimam Epistolam primæ sic legit: *Male & injuste de iis sentit qui Montaltium putat id unum studio habuisse, ut risus de Jesuitis excitaret, & populorum animos ingeniosis scriptionibus deliniret. Gravius omnino sanctiusque ejus consilium,*

lium, Jesuitarum & Ecclesiæ utilitatem unicè spectans. II. Dial.

XIII. *Caritas & benevolentia Montaltii ejusque gregalium ergà Jesuitas.*

Hic arridens Eudoxus, Lepidè dictum, inquit. Hic Wendrokium agnosco & ejus gregales. Sic est, hoc unum viri boni studuerunt ut Jesuitis amicam rem & perutilem facerent, cum Provinciales conscripsère; cum easdem ubique dissipant; cum suis candidatis & asseclis eas, ut quintum Evangelium, tradunt; cum religiosi Ordinis, cujus nomen consulto reticeo, alumni ipsis non infensi, illas publicè in triclinio suis Convictoribus prælegi ante biennium voluerunt; cum editi sunt in lucem sex septemve Tomi *Moralis Practicæ*, qui in Seminario Diœcesis N. olim dabantur promovendis ad sacros Ordines, instar pii libri, statis horis lectitandi; cum accersuntur è Japonia, è Sinensi Regno, è Philippinis Insulis, è Paraquaria, libelli omne genus in Societatem scripti: cum *Theatro Jesuitico*, quod opus perhibetur ab maledicentissimo & ineptissimo scriptore fuisse consutum, præfixum est nomen optimi & illustrissimi Hispaniæ Episcopi; cum in circulis, in lucubrationibus, & libris; virus omne obtrectationis & calumniæ in Societatem effunditur. Divus certe Paulus recensens caritatis dotes, & ejusdem effectus Corinthiis exponens, istos omisit. Mihi vero sæpius venit in mentem dubitare, num caritas Janseniana ejusdem esset cum Christiana speciei. Nullum vidi monstrum ex tam pugnantibus contrariisque partibus conflatum, ne dicam majori impietate & sacrilegio imbutum, quàm illud ex caritate a divino afflata Spiritu concretum, & ex eo felle ac malevolentia, quæ

II. DIAL. ubique prorumpit atque extat, quam afflare omnibus, clam, palam, privatim ac publicè, moliuntur. Hac sola cogitatione instructum nullæ me fraudes, nullæ fallaciæ in partes istorum pertraxissent: ac vehementer miror sperasse homines non ineptos, se posse perdiu hac arte fucum facere mortalibus; qui, etsi corrupti ac depravati, non usque eo tamen cæcutiunt, ut quæ a Deo, quæ a cupiditate ac libidine sunt orta, non videant.

Equidem, addidit Cleander, nunquam risum tenere potui, quotiescumque vidi (vidi autem millies) usurpari ab Arnaldo & ejus amicis artem illam admirabilem & arcanam pie, sanctéque adhibendi maledicta & obtrectationes vel atrocissimas. Molierus alterum Tartuffum in scenam si induxisset, aut fallor, aut hanc illi personam & characterem affinxisset; nec minorem iste risum dedisset hominibus, quàm hic prior, sua impietate famosus. *Moliere.* Nos verò, inquit, eandem in sententiam de Systemate, quod Paschalis ad exhibendam Jesuitarum artem politicam excogitavit, satis, ut video, convenimus. Ignoscis Perralto, qui solidum illud & firmum appellet, quia scriptor rectà collimat ad scopum, idque perficit subtiliter & apposite ad destinatum finem, ut verisimilitudinem ubique aspergat orationi, simulque amœnitate styli & festivitate sic lectorem teneat, illi ut non vacet attendere quàm vana sit fallaxque totius operis compages & structura. Hoc tibi do sanè ac remitto.

Sed illud etiam concedis mihi, hanc politicam artem Jesuitarum præclaram atque mirabi-

bilem, nec minùs execrandam, rem propiùs intuenti meram apparere fabulam, quæ, si secernas fucum veteratorii sermonis, ne probabilitatem quidem habeat, sed nec habere possit ullam, nisi in Anglia & Hollandia, ubi Judice populo, Jesuitam inter & magum interest prorsùs nihil. II. Dial.

Sic planè sentio, retulit Eudoxus. Quid igitur vetat, quominùs imitati Marchionissam Sablæam, de qua in priore Colloquio mentio est a te facta, quæramus a Paschale, quo tandem pacto, salvis conscientiæ morumque regulis, risum movere sibi ac populo potuerit conficta fabula & veri simulacro, quod etsi vacuum & inane sit, ac tale introspicientibus appareat, tetram tamen atque horridam imaginem imprimit in lectorum animis complurium? Quam fidem bonam, quam caritatis legem secutus laboraverit sedulò in litteris consequentibus, ut hanc imaginem adornaret pigmentis vividioribus, eique oculos hominum assuefaceret: mox, quasi de illius veritate constaret, eandem ad inurendam nomini Societatis non obscuræ notam fœdissimam adhibuerit? Ut enim recte annotasti modò, illi Paschalis joci non continuerunt se se intra eos limites & cancellos, quibus multi continendos putabant: vim opinione majorem & successum habuerunt. Ipse jocularíam hanc hypothesim de conspiratione Jesuitarum ad Societatis suæ amplitudinem, cui omnia vel sanctissima illos posthabere ac devovere vult, quasi pro suo jure usurpat in rem suam: hac utitur machina, ut eandem Societatem tanquam Ecclesiæ pestem proponat; ut quidquid ab ea

II. DIAL. ubique prorumpit atque extat, quam afflare omnibus, clam, palam, privatim ac publicè, moliuntur. Hac sola cogitatione instructum nullæ me fraudes, nullæ fallaciæ in partes istorum pertraxissent: ac vehementer miror sperasse homines non ineptos, se posse perdiu hac arte fucum facere mortalibus; qui, etsi corrupti ac depravati, non usque eo tamen cæcutiunt, ut quæ a Deo, quæ a cupiditate ac libidine sunt orta, non videant.

Equidem, addidit Cleander, nunquam risum tenere potui, quotiescumque vidi (vidi autem millies) usurpari ab Arnaldo & ejus amicis artem illam admirabilem & arcanam pie, sancteque adhibendi maledicta & obtrectationes vel atrocissimas. Molierus alterum Tartuffum in scenam si induxisset, aut fallor, aut hanc illi personam & characterem affinxisset; nec minorem iste risum dedisset hominibus, quàm hic prior, sua impietate famosus. *Moliere.* Nos verò, inquit, eandem in sententiam de Systemate, quod Paschalis ad exhibendam Jesuitarum artem politicam excogitavit, satis, ut video, convenimus. Ignoscis Perralto, qui solidum illud & firmum appellet, quia scriptor rectà collimat ad scopum, idque perficit subtiliter & apposite ad destinatum finem, ut verisimilitudinem ubique aspergat orationi, simulque amœnitate styli & festivitate sic lectorem teneat, illi ut non vacet attendere quàm vana sit fallaxque totius operis compages & structura. Hoc tibi do sanè ac remitto.

Sed illud etiam concedis mihi, hanc politicam artem Jesuitarum præclaram atque mirabi-

bilem, nec minùs execrandam, rem propiùs intuenti meram apparere fabulam, quæ, si secernas fucum veteratorii sermonis, ne probabilitatem quidem habeat, sed nec habere possit ullam, nisi in Anglia & Hollandia, ubi Judice populo, Jesuitam inter & magum interest prorsùs nihil. II. Dial.

Sic planè sentio, retulit Eudoxus. Quid igitur vetat, quominùs imitati Marchionissam Sablæam, de qua in priore Colloquio mentio est a te facta, quæramus a Paschale, quo tandem pacto, salvis conscientiæ morumque regulis, risum movere sibi ac populo potuerit conficta fabula & veri simulacro, quod etsi vacuum & inane sit, ac tale introspicientibus appareat, tetram tamen atque horridam imaginem imprimit in lectorum animis complurium? Quam fidem bonam, quam caritatis legem secutus laboraverit sedulò in litteris consequentibus, ut hanc imaginem adornaret pigmentis vividioribus, eique oculos hominum assuefaceret: mox, quasi de illius veritate constaret, eandem ad inurendam nomini Societatis non obscuræ notam fœdissimam adhibuerit? Ut enim recte annotasti modò, illi Paschalis joci non continuerunt se se intra eos limites & cancellos, quibus multi continendos putabant: vim opinione majorem & successum habuerunt. Ipse jocularíam hanc hypothesim de conspiratione Jesuitarum ad Societatis suæ amplitudinem, cui omnia vel sanctissima illos posthabere ac devovere vult, quasi pro suo jure usurpat in rem suam: hac utitur machina, ut eandem Societatem tanquam Ecclesiæ pestem proponat; ut quidquid ab ea

II. DIAL. proficiſcitur, in odiū, invidiamque vocet. Hinc ſi qua de moribus quæſtio perperam fuerit, aut videatur perperam ab Societatis Theologo fuiſſe deciſa; non jam id humani ingenii imbecillitati, ut in aliis Theologis usùvenit, aſcribitur: ſcelus eſt conſultò admiſſum; facinus eſt ad profligandam Chriſti doctrinam meditatum atque cogitatum. Fruſtrà proferuntur è primariis Societatis Theologis viginti, qui contrariā tueantur opinionem, ac doceant; valet hoc eò dumtaxat, ut commentum de partitione Doctorum in rigidos, molleſque ſtatuatur magis, & confirmetur. Quamcumque defenſionem opponant Jeſuitæ, patet hic Paſchali ſemper ad eos oppugnandos locus.

Nimirum hoc dicis, excepit Cleander, falſum illud, & commentitium ſyſtema, quod tanquam verum ubique ſumitur, & ex quo vim ſuam, ac robur habent quæcumque in Provincialibus proferuntur, immanem eſſe calumniam, fallaciam capitalem, à ſummo ad imum eodem tenore contextam.

XIV. *Erratum Jeſuitarū grave.*

Quin dedocebant igitur populum Jeſuitæ? inquit Eudoxus: quin arcem hanc evertebant ſtatim? Imago fallax, quæ cum eſt aſpecta curioſiùs, inanis apparet, ac vacua, detractis pigmentis, & fuco, evanuiſſet: riſiſſent homines, & pugilem hunc pro ſeveriore morum doctrina immiſſum in arenam, ac laniſtas imperitos ſibilis exploſiſſent; retortiſque in ipſos, ut par eſt, ſeverioris doctrinæ legibus, & effatis, ſuo illos, ut dicitur, gladio jugulaſſent. Omittendæ Jeſuitis erant illæ undetriginta impoſturæ ſingulares, quarum reos peragere adverſarios propa-
lam

Iam sunt conati; ab hac generali, & principe fallacia ducendum initium pugnæ fuit: hac detecta in lucemq; protracta (& eam detegere proclive, ac promptum erat) præparati ad rejiciendas alias animi hominum accessissent: excussæ hoc pacto fuissent, ac debilitatæ protinus Paschalis responsiones: quæ, non secus, ac primæ illius criminationes, in hoc uno stant omnes, ac volvuntur cardine. Non est discussum, ac disjectum à Jesuitis sat maturè spectrum illud: effulsit aliquandiù suis fucatum coloribus, ac pro terriculo circumferri cœpit, quo ab eorum partibus avocati plerique, & fugati sunt. De me ipse confitebor, hoc si mihi fuisset à Paschale persuasum, quod multis fuit, non meliores Magistros morum, & Rectores animarum Jesuitas, quàm Antichristum ipsum, putavissem. Quin mihi videntur, qui hoc Paschali crediderunt, egisse cum illis benigniùs. Reos impiæ in Christi doctrinam conjurationis Jesuitas, ac tanti sceleris convictos in profluentem abjici, rapi in malam crucem oportuit, & eodem exemplo, atque Judæos à Sacræ Fidei Quæsitoribus in Hispania convictos pertinacesque, mactari. Tam immane scelus exploratum, & compertum, non leviore luendum pœna quam igne fuit. II. Dial.

Atrox edictum, & immane, inquit Cleander subridens! Malè profecto cum Jesuitis ageretur, si res illis foret cum Jansenista bonæ fidei, qui esset ita, uti es, comparatus. Actum de illis, & conclamatum extemplo foret. Non eos comperendinares: pulchrumque tibi duceres imitari virum illum bonum religiosæ in Hispania Familiæ alumnum, qui, etiamnum vivente S.

Igna-

II. DIAL.
In Vita S. Ignatii.
XV.
Quæ mens Paschalis fuerit, cũ Provinciales cõscripsit.

Ignatio, candidè, ac seriò affirmabat, *Jesuitas omnes, à Perpiniano Hispalim usque, esse concremandos*. Non tam atrociter Paschalis edixisset. Ipse quidem clarè, ac sine circuitione dictitabat Jesuitas, conspirantibus animis, & consiliis, de profliganda doctrina morum Evangelica inter se constituisse, ut sua sacræ Pœnitentiæ tribunalia, ædesque sacras populo frequenti complerent: deliberatum hoc illis, & certum esse; attributas ipsorum Doctoribus, & Rectoribus animarum suas cuique in hoc negotio procurando, promovendoque partes. Videbat ipse nihilominus fidem sibi affirmanti non sic habitum iri, ut ad extrema statim deveniretur: imò non dubitabat multos fore, qui non perinde in ipsius, atque in Evangelii, jurarent verba. Satis hoc illi erat ad eam rem quam moliebatur, ut huic fabulæ speciem, ac tectorium probabilitatis induceret. Dubitatio mera, vel suspitio eam vim, quam sperabat, apud plerosq; viros probos, & integros erat habitura; ut nimirum diffiderent Jesuitis, alienarentur, abscederent. Satis superque hoc futurum erat ad plurimos, qui non nimis sunt ipsis amici, & benevoli, stimulandos, ut occiperent declamitare palã, ingemiscere clam in aurem amicorum, fractos, & solutos Societatis mores, doctrinamque deplorare. Istæ querelæ jactatæ in populum, isti gemitus arte simulationis eruditi, commovent homines, & imis audientium sensibus defiguntur. Atque hunc in modum nata est opinio præjudicata quam dicimus. En Paschalis, aut Factio, quæ Paschalem huic operi præfecerat, voti cõpos. Prodiit subindè Wendrokius ille, non

jam

jam Paschalis ritu jocari amans, sed convicia in Jesuitas plenis buccis ingerens, & fidem, ipsa scribendi confidentia, extorquens. Vidi ipse Parisiis non unam Sodalitatem, virum in Aula Principem nonneminem vidi, excellenti pietate præditum, à quibus poneretur hoc tanquam certum, de quo nullus esset ambigendi locus, Doctrinam de moribus tradi à Jesuitis solitam, esse omninò corruptam, ac dissolutam. Quid ita? Docebit unus, inquiebant, Wendrokius: dicent Provinciales Litteræ. Religiosus vir N. in reconditiore scientia pietatis apprimè versatus, ad eundem modum de illorum doctrina semper mecum est locutus: me Sacerdos virtute, ac sanctimonia præstans, ut genus hoc hominum diligenter fugerem, nec mihi quidquam rei cum illis unquam esse vellem, admonuit.....

Quid ex istis omnibus efficitur, interpellavit substomachans Eudoxus, nisi Paschalem subtilissimum, & unum ex omnibus maximè malitiosum, atque exitialem impostorem esse, qui cùm Jesuitis crimen imponeret tàm atrox, quā commentitium, imò, si ex hominum communi more, ac sensu res penditur, prorsùs incredibile, satis habuerit ingenii, ut fidem, & plausum tàm ineptæ calumniæ conciliaret: ac proinde illum meritò culpam sustinere judiciorum omnium, quæ falso, ac temere super ea re facta sunt olim, ac porrò nunc fiunt.

Nec tibi non assentior, ait Cleander; nec tamen adeò syncere, præfractèque loqui velim. *Paschalis impostor*, inusitata vox est, in communi sermone peregrina, & insolens. Diceres *Paschalem illustrissimum*; *admirabilem* cum plerisque omnibus appellares. Au-

II. DIAL. Audio, retulit Eudoxus: attamen idem ille tuus *illustris*, & *admirandus* Paschalis, quem appellare planum, & impostorem religioni habes, is, inquam, Judicum sententia ità tractatus

XVI. *Litteræ Provinciales cremata publicè &c.* est, ut ii solent, quibus hæc nota, hoc nomen imponitur. Ejus Litteræ Provinciales publicè ad ignominiam fuerunt concrematæ ex Edicto Senatus Aquensis anno 1657. *ut plena calumniarum, mendaciorum, obtrectationum, ac rerum falsò suppositarum*. Sunt ipsius Edicti concepta verba. Legas licet: en illud tibi ad calcem Responsionum à Jesuitis tunc adversus Provinciales editarum. Quo etiam in libello extremo, post Edictum Senatus Aquensis recognosces, cũ libuerit, elogia, quibus Episcopus Mechliniensis* easdem Provinciales prosequitur: quas appellat *contumeliosas, scandalosas, fraudulentas, ac veteratorias*; earumque Auctores vocat *protervos calumniatores*.

* *De Malines.*

Commemini, addidit Eudoxus, mihi nuper in scriniis meis nescio quid quæritanti obsoletas inter chartas incidisse in manus unum ejus generis elogium: illud seposui, & in hoc plutei mei loculamentum conjeci. Videsis. Judicium est, ac censura de Provincialibus, & Wendrokii in hasce Litteras Notis, à quibusdam Galliæ Episcopis, & Theologiæ Parisiensis Doctoribus, quos iisdem examinãdis Rex præfecerat, edita.

XVII. *Judiciũ Episcoporum Galliæ, & Doctorũ de Provincialibus.*

„ Nos infrascripti Regis Decreto selecti ad ferendum judicium de libro, cui titulus est: *Ludovici Montaltii Litteræ Provinciales &c.* præmisso ejusdem Libri diligenti examine, testamur Jansenianas hæreses ab Ecclesia damnatas in eo propugnari, atque defendi, tum in dictis

Lit-

Litteris *Ludovici Montaltii*, tum in *Notis Wilhelmi Wendrokii*, tum in adjunctis *Disquisitionibus Pauli Irenai* : atque id ità esse manifestum, ut si quis neget, necesse sit vel non legisse librum hunc, vel non intellexisse; vel certe, quod pejus est, non putare id hæreticum esse, quod à Summis Pontificibus, & ab Ecclesia Gallicana, & à Sacra Facultate Theologiæ Parisiensis damnatur, ut hæreticum. Testamur insuper maledicentiam, & petulantiam tribus illis Auctoribus adeò esse familiarem, ut nulli hominum cōditioni parcant; non Summo Pontifici, non Episcopis, non Regi, non præcipuis Regni Administris, non Sacræ Facultati Parisiensi, non Religiosis Familiis: Ideòque librum esse dignum pœna libellis famosis, & hæreticis à jure constituta. Actum Parisiis die 7. Septembris anni 1660. *HENRICUS DELA MOTTE Episcopus Redonensis*. *HARDUINUS Episcopus Ruthenensis*. *FRANCISCUS Episcopus Ambianensis*. *CAROLUS Episcopus Suessionensis*. *CHAPELAS Cur. S. Jacobi*. *L. MOREL*. *L. BAIL*. *JOANNES NICOLAI*. *M.GRANDIN*. *SAUSSOIS*. *DE GANCY*. *CHAMILLARD*. *DE LESTOCQ*.

Quid animi nunc tibi est? perrexit Eudoxus. Certè nisi tales erga se, tamque studiosos sui amicos nactus Paschalis fuisset, qualem se in eorum causa præbuerat, ea vox, *Paschalis impostor*, non esset locutio tam nova, tam inusitata. Næ isti Jesuitæ viri sunt minimè mali, qui omnium istorum memoriam non refricent hominibus identidem, qui eam oblivione deleri paciantur.

Ha-

II. DIAL. Habent Paschalis fautores, inquit Cleander, quod respondeant: nimirum istas omnes Censuras, Edicta omnia, & Decreta per gratiam, auctoritatem, versutasque Jesuitarum artes esse confecta.


Quid enim aliud respondeant? subjecit Eudoxus. Extremum hoc illis & facilè perfugium est. At nos illis perinde accredemus? Finge nihil quidquam esse falsi in omnibus Provincialibus, nisi hoc unum, de politica Jesuitarum arte, princeps, & palmarium caput, quod sua ruit sponte; tamen Decreto Sanctioris Consilii, Senatus Aquensis Edicto, Censuris Mechliniensibus æquitas summa, & ratio constaret. Grave profecto præjudicium, omen ingens, ex quo liceat conjicere, quid de cæteris capitibus existimandum sit.

Valeant, quæso, præjudicia, interpellat Cleander. Paulum interquiesce; mihi videris commotior. Judicem adhuc rationem unam secuti sumus; hanc audire pergamus. Docuit illa nos hactenùs, arcanum illud percelebre Jesuitarum, merum esse somnium: compactum à Paschale systema nulla verisimilitudine colorari: si morum doctrinam Jesuitæ labefactarunt, id nequaquam ab illis factum consilio, & communi consensu: Jansenistam inductum à Paschale in quinta Provinciali facere imprudenter, cùm tam aperte, ac vehementer explodit, quod ipsi respondebatur, varietatem, & discrepantiam Jesuitarum in solvendis quæstionibus ad mores pertinentibus, non tam ab aliqua conspiratione proficisci, quàm à nimia dicendi, quodcunque venisset in mentem, facilitate, ac licentia. Effugium

gium hoc reservare, ac seponere, usurpandum cum res posceret, debuit. Huc enim, velit nolit, recidat oportet, ac revolvatur. Age igitur, expendamus, sodes, num sit verior in cæteris, & candidior: num reliqua sint Jesuitis ad defendendum æque, ac istud primum, prona, & expedita. Respuamus, ac pendamus pro nihilo quęcunque Paschalis imponit huic vitioso fundamento de duobus generibus eorum, qui animabus dirigendis navant operam. Leviculum est, ac puerile mentis vanas procudentis imagines inventum; jocus omni specie veritatis vacuus. II. Dial.

Neque verò nos ludificentur magis hæc, ad quæ tanquam ad intercalarem clausulam identidem redit malignè, ac procaciter, sed inaniter, ac putidè: *En vobis aliud politica vestra disciplina arcanum; en quo vestra iterum perniciosa consilia perducunt*: & alia id genus sexcenta, quæ declamitandi causa jactat. Verba hæc sunt.

Cum primũ conveniemus, de opinione probabili, totius politicæ Jesuitarum artis primario fundamento, si videtur, differemus. Perplacet, inquit Eudoxus: abdita, & ad investigandum præclara materies, nec sanè perfacilis: ac vereor ut eam explicare sine adjutore, subsidioque possimus.



III. DIA-

III. DIALOGUS.

I.
Abbatis, quõ Cleãder apud Eudoxum offendit, indoles, & judicium de Provincialibus.

COndicta rursùs ad colloquium Eudoxi domus fuerat. Eò Cleander adveniens offendit Abbatem N.... Is ad Eudoxum forte visendi causa & salutandi accesserat; homo doctus ille quidem, & apertus, & veri tenax rectique, etiam fere plus justo: qui post annos quinquaginta, quàm natus erat, nondum consuescere potuerat, æquo ut animo videret homini ab homine fraudem & fucum fieri. Neque verò satis intelligebat qui posset aliquis haud syncerè agere: cumque alia omnia ignosceret facile, tum si quid fide non bona geri cerneret, stomachari, obstupescere, velle, similiter atque Molieri Misanthropus, ab hominibus demigrare, ne quem (ita enim dictitabat aliquando) cogeretur mendacem intueri vel planum, cui, cum veritatis damno atque injuria, plauderetur. Habebat hunc Paschali honorem, ut illum in hoc fallacium hominum numero collocaret. Acumen ingenii, concinnitas sermonis, jocorum argutiæ, quarum habebat gustum non vulgarem, cum ipsum satis delectarent in aliis scriptis, nequaquam in Provincialibus itidem litteris arridebant. Eas laudari non ferebat, illudque dicere erat solitus, hanc unam earum Auctori laudem concedi posse, quæ venefico cuipiam tribueretur, ob toxicum ita scitè conditum ac paratum, ut ejus mortifera suavitate nemo non caperetur.

Eu-

Eudoxus, qui hac Abbatis indole, & studio sinceritatis interdum se oblectabat, hominem, cum Cleander advènit, irritare, & commovere occipiebat; eique commodum in manus dederat Tomum alterum *Comparationis veterum Scriptorum cum recentioribus*, &, num legisset, sciscitabatur. III. Dial.

Abbas libri titulum intuitus, cum illum aperuisset certo in loco, cui apposita fuerat ab Eudoxo nota, incidit in Provincialium Panegyricum: at eum vix delibaverat perlectis versiculis tribus quatuorve, cum librum in mensam projiciens, Neque dum legi, neque porrò legam, inquit. Nemòne, adjecit indignabundus, nemòne existet unus, qui Sorbonam nostram, qui Religionem, ejusque defensores vindicet ab istarum Litterarum petulantia? Non erit, ut conticescant aliquando, qui librum istum à sacris pariter, & profanis Judicibus aut detestatum, aut flammis damnatum, laudibus ad fastidium exquisitis palam extollere non dubitant?

Risum Cleandro movit stomachus Abbatis: &, Magnam igitur gratiam, inquit, nobis habiturus es, cum scies nos id agere modò, ut ejus, in quem adeò concitatus vidèris, causam cognoscamus? Ades opportunè, subjecit Eudoxus. Tuũ erit, si videbitur, cognitionem hanc nostram, & disceptationem adjuvare pro virili. Tam impedita, difficilisque causa solertiam hominis eruditi, scientiamque desiderat. Verùm amamus omnia expendere æqua, & sedata mente, ac suis momentis æstimare. Quocirca, si nos audis, æstum hunc animi paulisper comprimes.

Vos vero cur hæc de me cura solicitat? ex-

III. DIAL. cepit Abbas duriuscule. Deceat hæc Judices lenitas, & moderatio, quales vos in hac esse causa libenter patior. At ego jam habeo constitutum quas partes agam. Mihi pridem, quid sit de libro, ejusque auctore sentiendum, liquet: jam nunc me utriusque accusatorem profiteor; dumque has partes sustineo, aliquanto vehementius agere, opinor, minime dedeceat.

Laudo, inquit Cleander: nos vero, addidit Eudoxum respiciens, advigilemus; caveamusque ne, dum Abbati optimo gratificari volumus, nos æquiores Jesuitis, iniquiores Paschali præbeamus.

Tum Abbas, plurimi Jesuitas facio, inquit; non tamen me illorum res, & causa nunc movet: movet amor oppressæ veritatis: movet hominum præceps, & suscepta temere opinio de hoc libro, & existimatio, quam confirmare in dies, & augere nonnulli satagunt in compluxium animis, qui eam cõtinuò deponerent haud dubiè, si modo ad causas, quæ insigne hoc specimen, & exemplum calumniæ pepererunt, aliquantisper animum attenderent.

II.
Cur Provinciales editæ fuerint.

Constat inter omnes hunc librum ab suis auctoribus eo dumtaxat editum fuisse consilio, ut objecta sibi crimina ulciscerentur, ac vicissim accusatores suos per fas, & nefas criminarentur. Inusta fuerat Jansenistis, Ecclesiæ Decreto, hæreseos nota. Quid restabat, nisi ut ipsorum adversarii moralis saltem Doctrinæ corruptores essent? At enim in tam patenti campo quousque demum progressi estis? Semel dumtaxat ea de re inter nos egimus, inquit Eudoxus. Jam tamen unum gravioris momenti caput sic discep-

tavi-

ravimus, ut sententiam secundùm Jesuitas tulerimus adversus Paschalem, & systema de politica Jesuitarum arte ab illo per jocularem licentiam fabricatum. III. Dial.

III. *Quid sentiendum de Paschalis systemate.*

Hujus systematis quasi solum, & fundamentum est, quędam conjuratio quam Theologi Societatis, moderatoresque conscientiarum finguntur cum suis Præpositis adversus Evangeliũ, & Evangelicam morum doctrinam iniisse. Scopus autem conjurationis, amplitudo, & gloria Societatis; merces, ac fructus, ipsorum exitium, simulque hominum innumerabilium pernicies æterna. Credant hoc Paschali, qui volent. Ego, itemque Cleander, confirmamus hoc tibi, nequaquam nos esse tam obesæ naris, id ut illi assentiamur, quod utrique nostrum non modo veritatem, sed ne speciem quidem veritatis visum est obtinere.

Hem! Paschalis ipse utrum id unquam credidit? exclamavit Abbas. creditne Arnaldus? quamvis mira quadam credulitate ductus, conspirationem illam, hoc est rem omnium maxime incredibilem, quasi veram, exploratam, contestatamque, suis passim in scriptis statuere videatur.

IV. *Argumentũ, & materia tertii Dialogi.*

Excutiendum hodie nobis est, perrexit Eudoxus, caput de Opinionum Probabilitate, quo tanquam fundamento niti Politicam Jesuitarũ machinam Paschalis contendit, quodque moralis ipsorum doctrinæ primum elementum vocat. Hoc fuco nimirum colorare studet lepidam illam partitionem, quam inter conscientiarum rectores instituit, alios faciles, & cõmodos, alios severos, & immites; de qua inter ipsos Jesuitas,

III. DIAL. ut affirmat, convenit. Nihil æque crebris ſermonibus nunc uſurpatur, atque Opinionũ Probabilitas: hoc argumentum quotidie illis, qui pietatem palam profitentur, itemque flagitioſis, & improbis in ore eſt. Hanc alii execrantur: cavillantur alii, ac ident: propugnare audent pauci. Quin ipſe pagi mei Parochus, cum nuper Dominica die, poſt Miſſæ ſolennis Evangelium, turbam agreſtem, ut fit, adhortaretur, totum quadrantem in inſectanda validis rationibus Opinione Probabili collocavit. Quid plura? Videntur omnes contra iſtam Probabilitatem conjuraſſe. Porrò autem quidquid atrocius in hanc jactatur, id totum confertur in Jeſuitas, qui taciti, ac ſcientes cauſam tradere adverſariis videntur. Age vero, ea de re quid cenſeas expone, niſi moleſtum eſt.

Equidem ſic exiſtimo, reponit Abbas, neminem eſſe qui, ſi paulummodo rem ipſam, quæ in controverſiam vocatur, cognorit, ac primas ſaltem communis ſenſus leges adhibeat ad judicãdum, non ſtatim intelligat, quàm mala fide Paſchalis, quam injuſte cum adverſariis egerit; quĩ iniquis artibus ſit uſus, quò voti fieret compos, nempe ut odium iiſdem, invidiamque conflaret.

Quam immania narras & ſtupenda! inquit Cleander. Hoc ipſum quod modo audiviſti, reſpondit Abbas, niſi probavero, cauſæ nihil dicam, quin me ſycophantam & veteratorem non tu modo clames, ſed quantum eſt hominum proborum, & ſapientum. At tu contra, ſi Paſchalem apud me purgas, ſpondeo me, quamvis armorum fragore omnis Europa circumſonet, in

Bel-

Belgium,& Hollandiam usque profecturum esse ad Arnaldum, ut solenni apud ipsum sacramento, meum in Jansenistis nomen profitear. Auscultate. III. Dial.

Enimvero hic ridere Eudoxus,& Cleander,ac de Belgico Bataviçoque itinere cum Abbate tantisper jocari, donec ille serio probare, quod erat aggressus, hunc in modum perrexit.

V. *An Jesuitæ Auctores Probabilitatis.*

Quod Opinionum Probabilium doctrinam Paschalis objiciat Jesuitis,fero,inquit,ac patior: sed quòd solis objiciat, quòd hanc eorum causam esse præcipuam velit, ac propriam, quantumvis aliud nihil dicant eam in rem, quàm quod cæteræ Societates,& Academiæ antea docebant quàm ipsi nati forent, hoc quid est, nisi calumnia, nisi injuria est? Quis enim potest hominum sensus esse, cum Scriptorem vident, disseminatis Lutetia tota, & Gallia libellis, Jesuitas ad publicum tribunal quasi unco impacto pertrahere; illos reos nominatim, ac propriè peragere; contestari palàm detectũ à se fontem unde cætera illorum doctrinę flagitia profluant; ostentare Societatis universæ Theologos, animarum rectores, & Præpositos, velut convictos, & in manifesto crimine deprehensos, tanquam pestiferum dogma inducant, doceāt, exerceant, quo scelerum omnium immanitati, ac turpitudini conciliatur auctoritas, laxantur fœdissimarum frena cupiditatum, Mahometis denique profana superstitio in Evangelii locum nefariè subrogatur: deplorare, ac lamentari animarum interitum, quas corrumpant quotidie, quas in supplicia sempiterna dejiciant;earum rationem ab ipsis reposcere: demum tetra hæc, & impia

III. DIAL. placita venditare, tanquam peculiarem doctrinam Societatis: conclamare propalam, & bellicum non minori tumultu canere, quàm si de omnibus Christiani Orbis Doctoribus, & Theologis in sacram militiam adversus infensissimũ, & acerrimum Religionis hostem conscribendis ageretur. Quæ potest, inquam, de Jesuitis esse hominum opinio, cum hæc audiunt? Ecquid bonæ fidei, & æquitatis in ejusmodi accusatione, si eadem est Jesuitarum causa cum cæteris & innocentia? aut si eadem est, vel gravior cæterorum, quam ipsorum privatim culpa? Volo in Probabilium Opinionum doctrina tantum esse periculi, tantum sceleris, quantum Paschalis pugnat, quantum persuasit benemultis, qui doctrinam illam ex ejus dumtaxat Epistolis, ubi tam falsò tamque malignè explicatur, cognoverunt.

VI. *Jesuitarum doctrina de Opinione Probabili, ipsis cum omnibus Catholicis Doctoribus est communis.*

Esset nihilominus longè levius Jesuitarum crimen, si Lector admoneretur hanc ipsis esse cum Catholicis omnibus Scholis, cum Lovaniensi Theologica Facultate, cum Parisiensi, communem. Essent qui vel hoc uno præjudicio commoti non auderent de illa ipsa doctrina pronunciare, seque à ferenda sententia sustinerent. Essent qui, cum cernerent eandem tam tetris depictam fuisse coloribus, de artificis manu, ac mente inquirendum censerent, num quo imbuta fuco, ac veneno foret. Nemo ad extremum, nisi justitiæ professus hostis, derivanda in Jesuitas unos erroris tam infandi probra omnia, & exitia judicaret: conjicerentur saltem in promiscuã reorum turbam, ac venia fortasse non indigni censerentur, quod eorum peccassent exemplo, quibus dignitas sua, professio, eruditio, ætas:

omnis

omnis id tribuit, ut honoris causa Magistri nominentur. III. DIAL.

At verò quòd ex usu, & consuetudine sermonis in Portu-Regio recepti, doctrina morum dissoluta, & doctrina Jesuitarum, duæ sint loquendi formulæ idem sonantes; quòd ità loquãtur, ac sentiant homines innumeri, neque modo virtutis, pietatisque contemptores, sed ejusdẽ etiam cultores, qui cum studio pietatis obstinatum in temerè susceptis opinionibus animum, sæpè etiam livorem, aut rerum suarum, ac privatæ utilitatis studium fovent; quòd Jesuitæ nota *illa* infami passim in quotidianis hominum congressibus, in libris, in concionibus designentur; demùm quòd conjurate in eos factio effecerit, ut hæc ipsorum doctrinæ velut forma, & character haberetur, eoque ipso cunctis Doctoribus Catholicis oppositi statuantur, quorum ipsi nihilominus vestigiis institère; hæc, inquam, quis non injustissima, & indignissima esse fateatur?

Præclare tu quidem, & cordatè, ait Eudoxus, Abbatem collaudans: unum hoc requiro, ut vera hæc esse doceas. Hoc vero incumbit probandum tibi. Nam si constat non aliam Jesuiticæ Scholæ quam aliarum omnium, quas hactenus inter Catholicas numeravit Ecclesia, doctrinam esse; proculdubio non tantum fecit injustè Paschalis, qui omne crimen detorserit in Jesuitas, verum etiam, ut recte animadvertisti, vel hoc nomine uno existimare quisque posset doctrinã ejusmodi non esse tam exitialem, ac pestiferam, quam ipse conatur demonstrare. Hæc autem est Facti, ut loquuntur, quæstio; quæ ut solvatur, to-

ta nobis opus Bibliotheca foret.

Ego vero Bibliothecam illam integram, quæ nobis opus foret, attulissem, inquit Abbas, si mihi hodie oblatum iri locum defendendæ causæ istius tam justæ putavissem. Libellum dico pagellis admodum quinquaginta constantem, cui titulus, *Quæstio Facti:* in quo expenditur, an doctrina de Probabilitate sit Jesuitarum propria. Recenset auctor Academias totius Europæ celeberrimas, & omnium Religiosorum Ordinum Scholas enumerat. Ostendit, inter Scriptores à Jesuitis diversos, qui quæstionem de Opinione Probabili tractarunt, aut etiam delibarunt ab centum ferè annis, quorum indicem texit bene longum, usque ad annum 1659. quo libellum hunc edidit, unum extitisse Antonium Perez, qui ab una hujus doctrinæ, cæteris omnibus communis, parte discesserit; illius, inquam, doctrinæ quæ, honoris credo causa, & benevolentiæ, solis Jesuitis tribuitur. Addit auctor idem, ac planè demonstrat, doctissimos Societatis Theologos magno consensu doctrinam illam arctioribus cancellis circumscripsisse, quam laxioribus, & liberioribus pristini Doctores incluserant.

VII. *Libellus inscriptus*, Quæstio Facti.

Demum Scriptorem unum Societatis, nomine Comitolum, citat, qui solus communem omnium super ea re Theologorum sententiam ex omni parte oppugnaverit, à quo contendit sumpsisse Wendrokium quæcumque validiora profert ad vexandam Probabilitatis doctrinam argumenta.

VIII. *Comitolus quis fuerit.*

Ex iis omnibus auctor istius opusculi duo cōcludit: primum, esse quam iniquissimum imponere Jesuitis onus præstandi quodcumque est-

pe-

periculum in ea sententia, quam nisi ducibus, comitibusque tot Theologis amplexi non sunt: alterum, si quid laudis habet istius doctrinæ oppugnatio, laudem hanc Jesuitis hactenus fuisse peculiarem; ac de Wendrokio cõqueritur, quòd cum isti *Comitòlo* tantùm deberet, tam parum illi gratiæ retulerit; neque istud saltem Lectores monuerit, illum è Societatis Scriptoribus unum esse. III. Dial.

Factum vero benè, inquit Cleander: penes me est is ipse, in quo tantum roboris, ac momenti ponis, libellus; mentionem de illo feceram nuper cum Eudoxo differens: attuli hodie, ut ipsi ostenderem. En illum tibi.

Beasti, inquit Abbas: sumit confestim, evolvitque unà cum Eudoxo, cui protinus adnumeravit novem decemve Episcopos, idest, eos ferè omnes hujus generis, & nominis, qui de hoc argumento scripsere, jam usque ab Sancto Antonino, qui hoc numero comprehenditur: recitat locos omnes, ac nomina librorum: item paginas appellat suis quasque numeris signatas, unde illi erant loci descripti. Indicavit deindè, quæ in eam rem scripserunt tres illi Sorbonæ Doctores spectatissimi, qui de Theologia universa Commentarios ediderunt, Gamachius, Isambertus, & Duvallius. Libelli auctor Baillium addit, ipsum quoque Parisiensem Theologum, & Parisiensis Ecclesiæ Propœnitentiarium. Denique in consequentibus ejusdem opusculi capitibus ostendit planè consentientes super ea re Doctores omnes, Thomistas, Franciscanos, itemque aliorum Ordinum, necnon Lovanienses, Salmanticenses, Complutenses &c.

Si

Si res ita se habet, subjecit Eudoxus, omninò nulla unquam minus propria Jesuitarum fuit, quàm hæc de Opinionibus Probabilibus doctrina. Sed locos omnes excussisti probè? & ut pernosceres quàm essent verè, fideliterque descripti, cum ipsis auctorum libris contulisti?

Ad hæc Abbas, tria sunt, inquit, quæ respondeam. Primum est, libellum hunc à Theologo Societatis P. Stephano Dechamps fuisse conscriptum, homine accurato, & probatissimæ auctoritatis, ac fidei, cujus integritati, ac virtuti habetur honor à viris tota Gallia & genere, & auctoritate principibus, atque adeò ab iis Jansenistis quibus aliquis cum ipso usus intercessit. Alterum est, neminem unum inventum fuisse post annos ampliùs triginta quàm hoc opusculũ exiit, qui locos illos tanquam falsò citatos argueret: quod factum proculdubio fuisset, si quis daretur arguendi locus. Unus, quod sciam, Baronus è Dominicana Familia Theologus, exiliter, & jejunè jurgatur de quibusdam circumstãtiis, quæ nihil admodùm faciunt ad rem ipsam, prout à P. Dechamps proponitur, ac defenditur. Tertium est, ex innumeris locis inspectos mihi, & comprobatos fuisse propemodum triginta: nihil erit in me moræ quin eos tibi repræsentem in duabus tribusve Lutetiæ Bibliothecis, ubi alios etiam locos, quos explorare nondum mihi licuit, aut eorum certe magnam partem reperiemus.

Præstò erant Eudoxo in Bibliotheca sua satis lauta Sorbonici Doctores illi tres, cum Thomistis quibusdam. Ventum continuò in rem præsentem est. Educti primùm Doctores Parisini:

ex iis suum quisque sumit in manus, & locos in libello indicatos requirit. Eos, utpotè non semel perlectos, habebat Abbas in promptu: itaque Isambertum aperiens in Primam Secundæ D. Thomæ, ostendit quæstionem de Opinione Probabili tractatam à pagina 133. ad 140. Ibi Theologus ille insignis, & in rebus ratione, ac via tractandis eximius, definit primum ipsa vocabula, & quid sit Opinio Probabilis, quid Probabilior, exponit. Deinde in articulo secundo quærit, *Utrum liceat agere secundum conscientiam opinativam*; atque ita respondet. *Licet agere secundum conscientiam opinativam*; *ideſt, quando conscientia dictat aliquid esse probabiliter licitum, & honestum, tunc licet illud facere. Ita*, subdit, *communiter omnes*. Pergit. *Secunda Propositio. Quando sunt duæ propositiones æque probabiles de honestate, & obligatione alicujus operis, tunc potest voluntas sequi quam voluerit.* In sequenti articulo id objicit sibi. *Dices: Quid si ex duabus illis opinionibus æque probabilibus quædam sit magis tuta, ideſt excludens omne periculum peccati, quia scilicet censet opus istud esse illicitum, à quo abstinendo nullum est peccatū; altera vero non sit ita tuta; quia asserit prædictum opus esse licitum, & proinde qui illam sequitur non ita tuto operabitur; quia cum fortasse pars ista sit falsa, peccatum committit: dices, inquam, an tunc ex duabus illis opinionibus probabilibus poterit operans sequi quam voluerit? Respondetur in tali casu posse sequi minus tutam: quemadmodum defendit Soto libro 3. de justitia, & jure, quæstione 6. art. 5. cum multis aliis: & probatur &c.*

III. DIAL.

IX.
Isamberti Doctoris Sorbonici sententia de Opinione Probabili.

Ti-

III. DIAL. Titulus hic articulo quarto præfixus est. *Utrum quando probabilitas versatur circa honestatem, vel obligationem operis alicujus, liceat voluntati, relicta probabiliori opinione, sequi minus probabilem.* Sic respondet. *Quando circa honestatem, vel obligationem operis alicujus sũt utrimque Opiniones probabiles; quarum tamen altera est probabilior, potest voluntas in operando sequi probabilem, relicta etiam probabiliori.*

Posteà quædam sibi objicit, in primis illud axioma juris: *In dubio partem tutiorem esse sequendam. Superius explicatum est*, inquit, *de veris tantum dubiis, quæ proprium locum non habent in opinionibus.*

Denique articulo 6. num. 8. *Quando*, inquit, *dantur duæ sententiæ, una probabilis, altera probabilior; hæc tutior, illa minùs tuta, circa honestatem, vel obligationem alicujus operis, quod me tangit, non obligor ex charitate ad operandũ secundum sententiam probabiliorem, & magis tutam; sed sine peccato possum operari secundum probabilem, & minus tutam sententiam, omissa etiam tutiori, ut supra ostendimus.*

Videtis, inquit Eudoxus, hoc loco recitato, nõ modo non prolixè nimis, & copiosè citatum à P. Dechamps Isambertum fuisse, sed multa etiam omissa ex eodem, & relicta.

Pergamus porrò, subjecit Abbas: videamus quid sentiat idem Doctor de cæteris, quæ doctrinæ Probabilitatum appendices quædam, & consecutiones sunt. Extemplo articulum quintum legit, ubi quærit Isambertus: *Utrum Doctor consulenti possit respondere secundum sententiam probabilem, relicta magis probabili, & quidem*

sua.

sua. Post explicatos hujus quæstionis varios sensus, respondet: *Debet prudenter omnia considerare, personam, & omnes circumstantias tam personæ, quam temporis; & tunc omnibus diligenter pensatis potest consulere, imò aliquando expedit, & oportet consulere id quod est tantum probabile, relicto probabiliori; quia &c.* III. Dial.

Inspiciamus etiam, pergit Abbas, articulum octavum, & nonum. Inscriptionem octavi hanc legit. *Utrum liceat agere contra propriam opinionem sequendo aliorum sententiam. Sensus articuli est*, inquit Auctor titulum exponens; *an, quando ex duabus opinionibus probabilibus una mihi magis placet, & in eam magis inclinat animus meus, imò & assentitur, possim nihilominus in operando sequi alteram probabilem ei oppositam, non deserendo assensum prioris meæ sententiæ?* Tum subdit: *Pars affirmans, quam loco propositionis ponimus, est communis... Eam enim omnes ferè S. Thomæ interpretes admittunt, & facilè probatur ex dictis &c.*

Articuli noni titulus est hic. *Utrum aliquando homo teneatur operari ex probabili aliorum sententia contra propriam suam sententiam etiam probabilem*. Responsio hæc. *Dantur casus aliqui, in quibus non tantùm licet agere contra propriam suam sententiam, sed etiam in quibus tenetur homo operari ex probabili aliorum sententia contra propriam suam sententiam etiã probabilem. Ita communiter Doctores*. Isti porrò casus sunt: Sicubi Confessarius pœnitentem audiat versantem in opinione probabili quidem, sed quæ Confessarii ipsius opinioni contraria sit: Si Præpositus præcipiat subdito quidpiam proba-

III. DIAL. babiliter licitum, quod tamen subditus tale esse non judicet: tunc, si audimus Isambertum, tenetur & Confessarius pœnitentis, & subditus Præpositi sententiam sequi.

Adverte porrò, adjunxit Abbas, S. Antoninum ab Isamberto, ut suffragatorem suæ sententiæ citari, qui hac tantùm circumscriptione illam restringit: nempè, si Confessarius sit Pastor pœnitentis, debere tunc hujus opinioni probabili accommodare sese, eique absolutionem impertiri: si autem Pastor non sit, posse non absolvere.

Duriùs illud pauló, inquit Eudoxus: attamen S. Antonini auctoritas, & argumenta quibus sententiam suam Isambertus firmat, hoc saltem mihi persuadent, esse opinione difficilius de istis rebus planè, ac præcise statuere. Cæterùm, adjecit, si Paschali venisset in mentem, Isambertum Sorbonæ totius nomine loquentem in suis ad Provincialem Litteris inducere, eique dare partes, & locum illius Jesuitæ, viri minimè mali, quem Societatis nomine fabulantem facit, eandem Isambertus personam agere commode potuisset. Imò eandem imponere personam, æque jocularem, & ridiculam, ipsi Divo Thomæ Paschalis potuisset, excepit Abbas. Proponenda tantùm fuissent, ac certo ordine collocāda quędam Sancti Doctoris placita, ut in doctrina Jesuitarum factitavit, omissis rationibus, circumscriptionibus, explicationibus idoneis, & cautionibus, quæ necessario sunt adhibendæ, ut ea, quæ docentur, in usum, & opus conferri jure possint. Amplius dico; si quis impius, ac nebulo unum in acervum colligere aggrederetur pro-

po-

positiones minus veras, quæcumque sanctis Patribus exciderunt; si eorum locutionibus nonnullis deteriorem, quem haud semper apertè respuunt, sensum subjiceret, accisis aliquot verbis, aliis adjectis, & insertis; opus longè majoris, quàm Provinciales, molis componeret, cui facere titulum hujusmodi, *Patrum Dogmata de moribus, ac Religione*, perinde posset, ac libro cuidam inscriptio hæc nuper est indita, *Moralis Jesuitarum Theologia*: cujus libri mera excerpta, Provinciales Litteræ sunt, auctiora illa quidem, & ornatiora; itemque alteri libro longè uberiori, qui posteà emissus fuit hoc nomine, *Moralis Jesuitarum Doctrina*: quique in media, ante urbanam Lutetiæ Basilicam, platea, in ignem est conjectus anno 1670. de sententia, & auctoritate plurimorum Sacrę Theologię Parisiensis Doctorum, ut famosus libellus, mendaciis refertus, calumniis, auctorum locis falsò citatis, hæresibus &c. Opus, ut ajebant, elucubratum à Doctore Perralto fratre illius Perralti vestri, qui *Comparationem veterum Scriptorum, & recentiorum edidit*. III. DIAL.

Minimè jam hunc miror, ait Cleander, si tam splendidus, tam effusus Provincialium buccinator est: utrumque fratrem idem spiritus afflabat. Ad rem, inquit Abbas, redeamus. Non id jam agitur, rectè an secus Isambertus docuerit. Hoc viri probitas, & eruditio exorare à nobis debet, ut saltem judicium nostrum inhibeamus, neque in illum quidquam acerbius indicta causa pronunciemus. Id agitur, id constat, quod oculis ipsi cernitis, nimirùm Sorbonam, non minori tunc eruditionis fama, & Religionis Catholicæ stu-

III. DIAL. studio, quam nunc florentem non cohorruisse, non reclamasse, cum hæc in ejus Scholis doctrina traderetur, quæ modo in Jesuitarum libris execranda,& detestabilis esse prædicatur. Sed sinite me paulisper, ut quos è Duvallio, & Gamachio postulatis locos, exquiram. Jam illos vobis inventos dabo.

Monsieur de Gamache.

In eum ipsum quem volebam Gamachii locum, subjecit Cleander, incidi, pagina 155. non tertia, ut à Typographo P. Dechamps perperam est editum.

X.

Gamachius Doctor Sorbonicus quid sētiat de Probabilitate Opinionum.

Nos tantum ponemus aliquot assertiones. Prima est: non tenemur in foro conscientiæ sequi probabiliorem partem, sed satis est absolutè si sequamur probabilem, quæ peritis, & doctis placeat; donec Ecclesia contrarium statuerit, aut prima illa opinio è Scholis Theologorum omninò explosa fuerit. Navarrus... Medina... In foro tamen exteriori cavendum scandalum infirmorum, & habenda ratio consuetudinis.

Quos hic infirmos dici censes? inquit Eudoxus: Jansenistas fortasse, quos hæc doctrina tam graviter offendit. Atat periculum multo majus est, excepit Abbas, ne in crimen incurrant scandali Pharisaici, quod scandalo infirmorum opponunt Theologi. Ut tu semper istis infensus es! ait Cleander: sine me, quæso, ut quem incepi locum absolvam; restant perpauca.

Secunda Propositio. Sacerdos, sivè proprius, sivè delegatus, potest contra suam ipsius opinionem absolvere pœnitentes, quos videt esse in opposita sententia, licet minus certa, ac tuta; dummodò ea sit probabilis, habeatq; aliquot Auctores Catholicos, ac peritos. Imò non solùm potest, sed etiā debet.

Sa-

Satis superque est, inquit Eudoxus. Age Duvallium audiamus, num istis succinat. En locum in Tractatu de actibus humanis quæstione 4. articulo 12. pagina 115. paragrapho, cujus inscriptio hæc est: *Quid agendum sit in conscientia opinativa*. Easdem usurpat fermè voces, atque Gamachius.

III. Dial. XI. *Duvallii, & Baillii testimonia.*

Secunda Conclusio. Non tenemur in foro conscientiæ sequi probabiliorem partem; sed satis est si absolutè sequamur probabilem, quæ peritis & doctis placeat, licet quibusdam similiter doctis displiceat: quod tamen sub hac restrictione intelligendum est; donec scilicet Ecclesia contrarium non statuerit, aut prima illa opinio è Scholis explosa non fuerit. Ita Medina, & Navarrus in Caput Si quis. de Pœnit. *ubi expressè ait, nos non semper teneri tutiorem opinionem sequi, sed satis esse sequi tutam.*

Interim autem dum Eudoxus, & Cleander cætera, quæ ibi traduntur à Duvallio perlegebant, obtulit se Abbati liber Ludovici Baillii *de triplici examine*. Et hunc etiam, inquit, eos respiciens, Doctorem Parisiensem consulamus. Baillius est, olim Ecclesiæ Parisiensis Propœnitentiarius, quod ille munus magna cum dignitatis, & doctrinæ existimatione gessit, sic, ut esset oraculum totius Civitatis. Hæc ille scribit. *Quamvis multi universaliter doceant securitatem sententiæ minus probabilis; limitanda tamen videtur hac doctrina in materia præceptorum, & extra materiam Sacramentorum illorum, quæ sunt necessaria, & instituta à Deo cum suis omnibus partibus necessariis, quæ, si deficiant, nihil efficiunt ex opere operato, quantumvis bona fide, &*

III. DIAL. *cum opinione probabili suscipiantur*. Habentur hæc verba in hoc meo editionis quintæ libro pag. 47. *de Examine pœnitentium*. Quid sibi porrò velit, intelligis. Nempè contendit, cum de re Sacramentorum agitur, nefas esse ob peculiares quasdam causas, opinionem sequi minùs probabilem; at fas esse in iis, quæ pertinent ad præcepta, cùmque de re aliqua, licita sit, nec ne, quæritur.

Sed operæ pretium est, quid superiori pagella dicat, animadvertere. Ibi, ut virum prudentem decet, graviter admodum, & cautè disserit. Cum enim hinc quidem videat fieri posse, ut doctrinam illam aliqui pravum in sensum accipiant, eaque abutantur, dum opinioni attingunt probabilitatem, quæ nulla sit; inde autem pro certo habeat fas esse opinionem probabilem amplecti, quæ verè sit probabilis, hunc in modum loquitur. *Quare nondum satis mihi videtur pro rei gravitate, ac momento discussa doctrina, quæ ferè invaluit, de probabilitate opinionum; cuperemque doctiores hanc sibi provinciam assumere, ut nodos illius omnes dissolverent. Non tamen propterea existimo illum viam tutam non sequi, qui regitur opinione probabili, etiamsi forsitan benignior sit: quia via tuta est qua peccatum vitatur, ut verè vitatur opinione quacunque probabili, vel etiam minus probabili, si tamen probabilis sit. Neque etiam arbitror illum non excusatum iri apud Deum, qui sequitur opinionem probabilem, cum illam sequendo ne quidem venialiter peccetur*. Audin?

Audio enimvero, ait Cleander, simulque hinc efficio Paschalem, & eos, qui materiam illi, quã po-

poliret scribendo, suggesserunt, Jesuitarum dũtaxat Scholas frequentasse, nec alios quàm Jesuitarum Thelogos lectitasse. Necessè itidem est, ut Arnaldus Provinciales Litteras, cum ederentur, non viderit. Qui enim sineret Jesuitas cum ignominiæ nota perhiberi architectos doctrinæ, quam in Sorbonæ Scholis tradi ab iis qui, se vivo, ac vidente, tum docebant, Professoribus, cerneret? Quod si postea nihilominus eas commendare Litteras, iisque auctoritatem in vulgus, & famam conciliare non destitit, gravibus profecto, quæ nos fugiunt, caussis impulsum ad id fuisse necesse est. Viri excellentes, & à vulgo semoti, magnorum administri nogotiorum, partium duces, quarum fama ipsis commissa, suas quasdam habere possunt conscientiæ regulas, quas usurpare cæteris fas non sit.

III. Dial.

XII. *Paschalis, Arnaldi &c. bona fides.*

Age, age, inquit Abbas, mecum candidè, & sine circuitione dicito, id quod hæc facta tam perspicua docent, Paschalem, Arnaldum, aliosque partium istarum antesignanos, qui ea in re aliisque de genere hoc permultis delinquere per ignorantiam nequeunt, bellissimos esse planos, histriones certissimos, & nequissimos simulatores, qui male credulam plebem inani larva ludant. Dic illos furere cæca in adversarios invidia, & omnem movere lapidem, ut eorum existimationi, ac famæ sempiternas turpitudinis maculas inurant. Parumne res ipsa loquitur? Quid opus circuitione, & ambagibus, quasi quid sentias non viderem?

Oh! silere prudentem interdum decet, inquit Cleander. Eudoxum vide; præ illo verbosus sum.

III. Dial. Male vero ſit huic Abbati, ait ſubindignans Eudoxus; ita mihi rationes omnes conturbavit. Veneram alacer,& ad jocandum expeditus. Probabilitas Opinionum, Jeſuitarum indulgentia, & facilitas, magna mihi viſa erat ridendi ſeges, & cum amico garriendi. Nunc iſte quantam mihi religionem injecit, ac metum ne me hactenus temerarii judicii culpa ſexcenties implicuerim!

Atqui iſtos tibi ſcrupulos augebo,inquit Abbas: reſtant alia,quæ audias,longè graviora.Sed antequam tibi Thomiſtas, Scotiſtas, & cæteros ferè Theologos cum Sorbonicis Magiſtris idem ſenſiſſe, atque iſtos ſimùl omnes doctrinæ morum corruptores dici, tamque præclaro elogio haud ſane minus quam Jeſuitas ornari poſſe demonſtrem; libet exhibere tibi inſignem Wendrokii locum,in ejuſdem ad Provinciales Notis, quas non te fugit ab ipſo Paſchale perlectas, emendatas, & approbatas fuiſſe. Cedo mihi Wendrokium.

Id Jeſuitæ, tanquam iniquiſſimum, queſti erant,perrexit Abbas, quod nempè ſibi unis imponeretur onus,& crimen ſolutæ,ac depravatæ, verè an ſecus,Theologiæ;cum tamen in doctrina morum aliud nihil, quàm cæteri communiter, docerent; cùmque, utpotè omnium noviſſimi, aliorum veſtigia perſecuti tantùm eſſent. His querelis Wendrokius reponit locum communem bene longum, idque graviter pronūnciat: *Nihil ad vitium excuſandum facit delicti ſocios habere*. Nec habuit neceſſe, inquit poſt paulò, *Montaltius libros ineptos undique conquirere, & ſcrutari,ut illud cognoſceret, an ſoli* Je-

Jesuitæ flagitiosi fuerint. Sic ille Jesuitas appellat, comiter, ut vides, & urbanè. Subdit postea: *Etiamsi Jesuitæ hinc inde corruptelas varias ex quibusdam aliis arripuerint, tamen illarum auctores merito dicuntur*. Quid ita? Quia *latebant hæc dogmata in Bibliothecarum angulis; paucis nota paucis nocebant. At ipsi Jesuitæ super tecta prædicarunt; in Aulas Regum, in familias privatorum, in Curias Magistratuum invexerunt*. III. Dial.

Hem tibi, inquit Abbas, tot Theologorum scripta, tot eruditæ commentationes, ineptos inter libros recensentur! Doctores Sorbonici, ac Professores nullius sunt auctoritatis, ac nominis: Eorum Schola Theologica, præ Jesuitica, pagus est cum Lutetia comparatus: Quicquid ab clarissimis ipsorum Doctoribus, viva voce, libris editis, scriptum, dictum, literis, ac monumentis consignatum est, *paucis notum, paucis nocet*, paucis prodest.

Mittamus ista, quæso, interpellat Eudoxus: adeò inepta prorsùs, & absurda sunt.

Nec plura in eam rem Abbas, lætus, quod veritatem, & æquitatem hoc primo conflictu tam strenuè propugnasset adversus calumniam, & pertinaciam. Nam Eudoxus, cæteroqui suâ sponte æqui, ac recti amans, pertinacius adhuc dissentiebat, ac multo etiam magis quàm Cleander, qui Theologorum in scriptis hospes non erat. Is adeò, cum haud pœnitendum ad institutam disceptationem fructum ex Abbatis animadversionibus capi posse cerneret, utendum opportunitate illa censuit. Quocirca hominem compellans perhumaniter: Quin tu verò pergis?

III. Dial. gis? inquit: tam belle progressus hic subito intersistis? Age, si quid habes in eam rem præterea, nisi molestum est, exprome.

Tum ille: Nihil est, æquè quod faciam libens. En igitur alterum, quod à Paschale, & ejus amicis factum iniquissimè, ac fallacissimè assero, quodque nisi verum esse planissimè demonstro, quin mendax, ac veterator, item ut illi ipsi, habear, non recuso. Accipite: ajo, larvam quandam istius probabilis, quam vocant, Opinionis, & inane simulacrum esse ab iis confictũ, ut haberent, quem nullo negotio vincerent, hostem; ac portentosum, spuriumque Jesuitis fœtum, nunquam ex ipsis natum, supponerent.

Cedo enim quas opiniones Paschalis oppugnet? Nempè illas quarum ope, si illum audimus, *vel unus Doctor omnium conscientias sursum deque vertet, & quo volet inflectet; idque semper impune, ac citra noxam*: *Idem nova morum præcepta condet*: Christianus verò quilibet præscriptas à Scriptura, Conciliis, Patribus regulas, & sanctiones impune contemnet; infidelis, & hæreticus tutò in falsis Religionibus permanebũt.

Epistola 5. 6.

VVendrok. in Notis ad Epist. 5.

XIII. *Doctrina Jesuitarum de Probabilitate depravata, & male proposita.*

Cohorrescimus, & merito quidem, cum hæc audimus monstra; & fontem, unde hæc labes Christianæ rei tam pestifera fluxit, execramur. Sed quosnam istis petunt Paschalis, & ejus interpres? quibuscum adversariis susceptum sibi certamen esse volunt? Nàm istas quidem duas, ut opinio sit probabilis, ac talis à Theologo haberi possit, conditiones generatim, ac leges Jesuitæ statuunt: Primam, ut Fidei dogmati non repugnet, ut universè nihil habeat Ecclesiæ placitis adversum, ac propositionibus, quarum verita-

tatem aut eadem Ecclesia, aut evidens ratio quę-libet astruit: Alteram, ut idoneis rationibus nitatur, neque à communi, & usitato Doctorum sẽsu, ob levia quædam argumenta discedatur. His profecto limitibus valdè circumscribitur Theologi moralis licentia, qui *nova morum præcepta velit condere*. Potest ne, qui has regulas sequatur, qui hanc Probabilis Opinionis definitionem à Jesuitis positam retineat; num potest, inquam, ab effatis, placitisque Scripturæ, Conciliorum, Patrum, impunè discedere? Potest ne hæreticus, aut infidelis superstitionem impiam, errorémque tutò retinere? Num Ecclesiæ calculo probata, & sancita veritas cum ea pugnat, quam Sacræ nobis Literæ, Canones Conciliorum, monumenta Patrum tradunt? aut hanc respuere quisquam potest, qui veneretur illam ac teneat? III. Dial.

Pergant enimvero dicere adversarii Jesuitarum, illos ab istis regulis discessisse, definitionibus à se positis non stetisse: doceant hoc, inquã, sed planè, & dilucide, non decurtatis, aut falsò prolatis eorum scriptis, non simul assutis librorum, & locorum laciniis, ac frustis, quæ inter se juncta faciem novam induunt, aliudque prorsus videntur significare, atque illud quod, suo singula si legantur loco, revera significant. Id si planum faciunt, do manus; hostis Jesuitarum professus, capitalisque sum. At ne mihi quispiam blaterator dictitet principia Jesuitarum portenta esse immania, unde alia itidem pullulent mõstra, in publicæ rei, & Christianæ perniciem certissimam ac ruinam: ne pueriliter nugetur cum bono Jesuita, qualem in quinta, & sexta Epistola Paschalis vir longè optimus naso suspensum

III. DIAL. adunco per omnes ineptias circumducit, tum è ridiculo sermone conclusiones absurdas, & falsas æquè, ac impias eliciat. Ne hic quidem Abbati non assentiri potuit Eudoxus; petiit ab eo tamen probari sibi, quæ de Opinionis Probabilis definitione attulerat. Refragatur, inquit, Wendrokius, & contra vehementer pugnat; ac perpaucos vulgò invenias, quibus persuasum sit hanc definitionem istis limitibus circumscriptam, istis conditionibus temperatam, Jesuitarum esse.

Nempè, inquit Abbas, quia plerique Litteras Provinciales dumtaxat, & earum interpretem lectitant; quia multis non libet, pluribus non licet adire Jesuitarum libros: quia Wendrokium ignorant, dum litigat de ista definitione, neque sincere, neque cordate agere; quod faxo jam ut liquidò perspicias. Præstò sunt apud me domi in Musæo meo celeberrimorũ Societatis Theologorum de hoc argumento loci à me excerpti: date mihi hanc veniam eos ut requiram: excurro.

Digresso Abbate, cui domus erat in vicinia, cœperunt Eudoxus, & Cleander multa secum ipsi reputare. Ac prior Eudoxus: Quamvis, inquit, deliberatum nobis erat, nihil, quod opus ad veritatem indagandam foret, omittere; haud parum nobis tamen fuisset negotii, mea quidem sententia, nisi suppetias advenisset opportunè Abbas eruditus. Ita omnia Paschalis, & Wendrokius permiscuerũt; ita res ipsæ tenebris obsitæ sunt; ita doctrina morum illa, quæ se nimia severitate commendat, blanditur ingeniis hominum, & speciem veritatis belle assimulat: cõtra

XIV. *Quid profuerit initio Jesuitarum adversariis. Eorum artes.*

tra autem germana, & Christiana morum disci- III. DIAL.
plina nonnunquam absterret intuentes prima fronte, & ejus effata quædam vix placent, ac sapiunt, si leviter, ac perfunctoriè degustentur. Viderunt hoc isti Portus-Regii satellites Paschalis, & Wendrokius; dumque placita utriusque moralis doctrinæ, liberioris, ac rigidioris, opponunt aliis alia, indidem non parum in suam rem profecerunt. Huc accedit, quod ita confidenter, & affirmate loquuntur, ut dubitandi pene facultatem eripiant: tum vero hominibus permultis attulerunt consuetudinem more suo loquendi, sic, ut quæ ab illis asseverantur, licet paradoxa penitùs, ac minimam speciem veritatis præ se ferentia, publica ferè vox & sententia esse videantur.

Neque vero solùm, addidit Cleander, difficultate materiæ per se abstrusæ, ac reconditę, & vario quasi ancipitis doctrinæ vultu abusi sunt ad fucum faciendum, & causam contra Jesuitas suffragiis vulgi vincendam: adjuverunt ipsi quoque Jesuitæ, dum editis contra se scriptis opposuere scripta, vera illa quidem, & solida, sed sicca, & jejuna, lepore quodam venustatis, & succo destituta: de illis loquor, quæ principio sunt ab iis edita. Superi, quantùm interest inter unam aliquam Paschalis Epistolam, & eam, quæ hoc titulo prodiit: *Responsio prima adversus Litteras Jansenistarum?* Hinc ille scilicet Jesuitas præ se despiciens triumphare cœpit, perindè quasi sibi res non esset cum hostibus ad pugnam accinctis, sed cum disjectis, palantibusque copiis, quas fugientes ageret, pelleret, obtereret.

Video, inquit Eudoxus, quàm id Portu-Regiis

pro-

III. DIAL. profuerit, obfuerit Jesuitis. At, quæso, nemone istis Scriptor unus erat, qui rem Societatis, famamque fulciret?

Non ignobilem inter Scriptores locum adhuc obtinebat Pater Moynius, retulit Cleander; nec video cur illum Paschali nō objecerint, hominem ingenio liberali, & ad excogitandum prompto, in scribendo peramęnum, ac vividum, nec nullo inter eos numero, qui exculti bonis artibus, & humanitate perpoliti habebantur. Libellus Apologeticus ab eo multis ante annis editus contra librum, cui titulus erat præfixus *Theologia moralis Jesuitarum*, non minorem famam est adeptus, quàm ejusdem *Strigilis Pegasi Janseniani*.

De P. le Moyne.

Non satis idoneum fortasse Patres Societatis illum censuerunt, excepit Eudoxus, qui Paschalis æmulari stylum leniter, & sponte profluentem, ac simul nativo sale sparsum, posset. Hoc enim P. Moynius peccat, quòd ejus dictio parùm ingenua sit, ac nativa, quòd ornare omnia, & expingere satagat, quod nihil non ingeniosè dicere amet, nihil apertè, ac simpliciter eloquatur. Quid, si diffidens ipsemet sibi, conferre signa cum novo adversario, & in campum descendere non est ausus? Ut ut est, non jam ista rectè, ac politè scribentium penuria laboratur apud Jesuitas: profuit illis semel vinci: decem, aut undecim post annis prodiit Epistola ad virum in Aula Principem....

Lettre a un Seigneur de la Cour.

A quo fuerit conscripta neminem fugit, inquit Cleander. Is enimvero Paschali jam tum opponendus erat: jocatus fuisset bellè, Scriptor elegans & urbanus, nec iracundè rem, atque atro-

atrociter egisset, quod Jesuitis tum accidit. Simillimo congressus stylo foret: compositæ, comparatæque cum responsis fuissent Litteræ, quæ tunc adeò tollebantur, ac præstabant, ut quod à Jesuitis exibat, jaceret penitus, vixque dignum luce putaretur. Novem ab hinc, vel decem annos & se tuentur, & oppugnãt adversarios acriter, ac strenuè: atque ut omittam *Defensionem recentium Christianorum, & Evangelii apud Sinas Praconum*, quæ Jansenianæ factioni gravem plagam needum obductam imposuit, meminisse potes, quemadmodum accepti fuerint, quibus hominum studiis probati quatuor admodum, aut quinque libelluli, qui pro Jesuitis in Philosophici peccati causa prodierunt, ac merito sane laudati sunt. Arnaldum enim petunt, & ejus amicos, qua maximè parte nudum, & patens vulneri latus præbent: neque commissa semel pugna absistunt, mittuntve hostes, quin victos penitus illos, & profligatos habeant: Sistunt illos, si divertuntur, ac declinant quopiam; eosdem ad certa quædam capita revocant; ad debitam verbi gratia, & negatam hactenus tamen legitimæ potestati obedientiam: ad Auctorum locos insignes, quos depravatos improbè, atque corruptos ita ipsis demonstrant, ut mutire contra, vel inficias ire nequeant. Hæc omnia istos urunt, ac male habent, quippè qui resistendi necessitatem sibi allatam esse doleant, & quibus multo faciliores lacessendi, provocandique partes erant. Sed quoniam à te injecta mentio fuit Jesuitarum, qui tentare aleam scribendi contra Paschalem ausi sunt, rescire velim de P. Annato quid censeas, à quo exaratus liber est hoc titulo, III. Dial.

Bo-

III. DIAL. *Bona Jansenistarum fides*, & ad quem decima septima & duodevigesima Provincialis sunt inscriptæ?

Mea quidem sententia, reponit Cleander, Annatus excellenti vir ingenio fuit. Nihil à Jesuitis commodius & luculentius scriptum, quàm quod ab eo litteris mandatum est de istis, quæ tum calebant, contentionibus & controversiis. Erat in optimo illo viro (talem quippe novi; modestiæ specimen diceres & comitatis) facultas non vulgaris ad scribendum etiam vernaculè, si patrium sermonem diligentius excolere studuisset. Emicant identidem in ejus libris quædam subtiliter cogitata, prompta festivè, acriter dicta & vividè, nihil ut alibi viderim acutius.

Assentior tibi, inquit Eudoxus: atque ut nihil dicam de eximia viri virtute, quam à contrariæ factionis asseclis laudatam audivi, ingenium quidem certè in eo comperi exactum & accuratum, dicendi verò genus acre, delicatum, non abhorrens à jocis & salibus; quod in Theologo, ut vocant, Scholastico mirari sanè licet.

Hæc inter se familiariter sic & amice Cleander & Eudoxus agitabant, cum domo reversus Abbas è capsula quadam sua deprompsit commentariolum, quo rem a se propositam demonstraret; collectos in unum videlicet locos variorum è Societate Theologorum de Opinione probabili, atque inprimis eorum quos Paschalis tam contumeliosè in suis litteris appellat.

XV. *Laymäni sententia de Opinione Probabili.*

Primus occurrit opportune mihi Laymannus, inquit Abbas, quem in suis ad quintam Provincialem notis citat Wendrokius, ut ostendat fu-

futilem esse querelam Jesuitarum, doctrinam suam depravari, ac perperam exponi, ut illi scilicet conflerur invidia, quiritantium. Non feret opinor gravatè, si quem ipse testem dat, accipimus. Sic igitur Laymannus loquitur. III. DIAL.

Tract. 1. c. 5. §. 2. n. 6.

Opinio probabilis definiri sic vulgo potest: *Quæ certitudinem non habens, tamen vel gravi auctoritate, vel non modici momenti ratione nititur. Auctoritas gravis hoc loco censeri debet, quæ est saltem unius viri docti & probi.*

Hæc tantum è Laymanno Wendrokius refert, ut probet nihil esse cur Jesuitæ querantur ex ipsorum principiis hæc deducta esse, nimirum *doctorem unum posse conscientias ad arbitrium suisdeque vertere, & nova morum præcepta condere; posse Christianum his nixum principiis decreta Scripturæ, Conciliorum, Patrum impune contemnere.*

Hic interfatus Cleander: Ponamus, inquit, nihil à Laymanno aliud scriptum esse; nihilominus absurda hæc Wendrokii esset oratio. Liquet enim Doctorem istum, quem Laymannus doctum ac probum vocat, ab Ecclesiæ & Patrum decretis non facile discessurum: in quibus rudem ac peregrinum illum non esse credibile est, ut pote doctum; nec adductum iri, ut ea depravet corrumpatque, ut pote probum. Ac si de re, quæ in dubium venit, statuere per me ipse non possum, facere prudenter videor, si ejus sententia sto, quem probum esse peritumque judicaverim.

Cum Abbas: Hoc ipsum Laymannus præclare animadvertit; & animadvertere Wendrokius, dum hæc ejusdem verba legeret, debuerat.

Qui

III. Dial. *Qui tamen* (Doctor videlicet auctorque idoneus Opinionis Probabilis) *talem doctrinam non inconsideratè ac temerè, sed post perspecta rationum pondera, quæ in oppositum afferri possunt, amplexus est: quod quidem ab ipso factum fuisse alii plerumque præsumere possunt, præsertim qui indocti sunt.*

Monsieur de Sainte-Beuve.

Mane paulisper, ait Eudoxus: depromam tibi ex isto Musæi mei loculamento Casus conscientiæ à Sanctabovio editos; qui, nisi me fallit animus, disertè docet nihil esse quod quisquam dubitet in ejusmodi Doctoris sententia decretoque acquiescere, nisi si qua peculiaris ratio suppetat cur aliter videatur esse faciendum. En tibi Tom. 1. pag. 517. casu. 169. legas licet. Quęritur, *an citra salutis periculum liceat stare sententia hominis qui vulgo doctus habeatur & pius?* Respondet, *Fas esse citra peccati periculum amplecti sententias hominis qui vulgò doctorum & piorum in numero habeatur: nisi subsit aliqua nominatim causa, cur ejus decisiones in dubium & suspicionem veniant.* Locum notabo, addidit Eudoxus; quem, ubi res feret, ipsi Nicolio commonstrem.

Atenim, pergit Abbas, non hic hæret Laymannus. In eorum gratiam qui de Theologorum moralium decretis cognoscere ipsi atque existimare possunt, hæc subdit: *Ea verò sententia probabilis censeri alteri non debet, quam unus pluresve Doctores contra communem invenerunt; alii verò postea examinantes communi calculo tanquam improbabilem ac singularem rejecerunt, adductis rationibus vel principum decretis, ad quæ priores illi vel non attenderunt,*

vel

vel solidè respondere nequiverunt. Videri potest S. Thomas, Sylvester, Navarrus. III. Dial.

Secundo dixi probabilem sententiam esse, quam non modici momenti ratio aliqua confirmat, veritatique consonam persuadet: quod intelligi debet de viro docto & rerum perito, qui fundamenta contraria sententia, licet alioquin communis, perspexerit ac dissolverit; sicuti docet Vasquez, Sanchez, Azor. Id tamen limitandum arbitror, nisi singularem viri docti sententiam alii postea examinantes, tanquàm improbabilem & erroneam damnent.

Omnino, inquit Eudoxus, nihil dici potuit sapientius, nihil certis justisque limitibus adstrictum accuratiùs. Neque jam video, his conditionibus servatis, quid insit in hac propositione periculi: *Posse opinionem fieri probabilem gravis Doctoris auctoritate.*

Mane, dum cognoscas cætera, inquit Abbas. Antequàm Laymannus istis veluti cancellis hanc materiam includeret, quæ hoc habet cum reliquis morum præceptis commune, ut abutentium errori vel improbitati opportuna sit, nec minus imprudentium inscitiæ, quam calumniæ malevolorum pateat, propter sexcentas admodum subtiles & lubricas circumstantias, quibus singulis nisi animum advertas diligenter, si unam prætermittas, vel adjicias, satis superque est, ut omnis hæc doctrina in odium & invidiam adducatur. Laymannus, inquam, principio ejusdem paginæ hoc posuerat: *Ceterùm cui una pars quæstionis per rationem evidens, vel per fidem certa apparet, ei pars opposita sivè contradicens, nullo modo probabilis videri potest, sicut notavit Valentia.* Hic

III. DIAL. Hic Valentia Societatis itidem Theologus est, subjecit Abbas: & amicum intuens, Quid hæc videntur? inquit: utrum censes periculum esse, ne opinio probabilis, quæ auctoribus Jesuitis desinit esse probabilis, fitque improbabilis, statim atque Fidei decretis apparet contraria; ne, inquam, ejusmodi opinio sanctissimas morum leges a Sacra Scriptura, Patribus & Ecclesia traditas convellat? an hæc demum principia Jesuitarum ac definitiones congruunt cum iis definitionibus ac principiis, unde tam multa tam belle Paschalis deducit? Quid sibi voluit infelix Wendrokius, cum Laymannum velut solutioris in hoc genere doctrinæ exemplum & specimen attulit; cum eum produxit testem, ex quo intelligeretur Jesuitas injuria conqueri, qui dicerent suas opiniones neque rectè neque bona fide a Paschale proferri? vel in duobus illis, quos e Laymanno recitat, versiculis, licet detruncatis, & a reliqua oratione divulsis, affatim est unde hic Theologus omni culpæ suspicione liberetur, unde refellantur omnes ridiculæ conclusiones, quæ ex ejus doctrina perperam proposita mendosè derivantur. Abbate paulùm interquiescente, Eudoxus & Cleander notam Wendrokii perlegerunt, ac majorem in modum obstupuere, istius Scriptoris confidentia & mala fide perculsi.

XVI. Non vos tandiu tenebo citandis, qui restant, locis, inquit Abbas; sunt enim breviores. Continuo locum Suaris protulit, ubi duas ille conditiones requirit ut opinio sit probabilis. Primam, Ut *non repugnet auctoritatibus ab Ecclesia receptis, aut evidenti rationi: neque etiam teme-*

Suarez de Opinione Probabili quid sentiat: itemque Azor, Filliucius &c.

re-

re contradicat communi & recepta doctrina Doctorum. Alteram, *ut solido nitatur fundamento.* III. Dial. Tract. 3. in 1. 2. disp. 12. sec. 5.

Adjunxit alium Jesuitæ Theologi locum. En vobis, inquit, Azorius: audite, amabo. *De Opinionibus deligendis possumus disputare dupliciter: nimirùm aut in foro exteriori conscientiæ, aut in foro interiori. Primùm expediam, quænam opinio sit in foro exteriore amplectenda.*

Prima præceptio. Quotiescunque sententia aut definitio Fidei verbis apertis manifesta est; tunc, quicquid Doctores alioqui gravissimi tradiderint, opinio, quæ hujusmodi sententiæ, vel definitione Fidei inniti aut fulciri dicitur, aut quæ ei maximè accedit, est omnino tanquam certa & vera, quorumcumque Doctorum sententia posthabita, tenenda.

Planum hoc quidem & præcisè dictum, retulit Eudoxus. Hujus regulæ beneficio Decreta Fidei, & Evangelica de moribus præcepta in tuto sunt. Sed observa Jesuitam hunc, ut ipse indicat locus, agere de Opinionum delectu *in foro exteriore*. At nunc inter nos maxime agitur de Opinionum delectu *in foro Conscientiæ.*

Tum Abbas; quod quæris dabitur. Azorius post regulas complures de foro exteriore traditas, sic scribit principio capitis 16. *Restat, ut nunc breviter explicemus, quæ opinio sit in foro conscientiæ deligenda. Primo quæritur an regulæ seu præceptiones traditæ à capite 9. usque ad 13. sint etiam in foro conscientiæ observandæ? Respondeo regulas priores tres, capite scilicet 9. 10. & 11. traditas, etiam in foro conscientiæ esse servandas, quia in utroque foro locum & vim ha-*

G bent,

bent, ut ex ipsis planè constat. Quam proximè vobis recitavi regulam, ea prima est in capite nono. Age, Filliucium audiamus.

Nimirum unus ille est e viginti quatuor Senioribus, ait Cleander subridens.

Is ipse, reposuit Abbas; atque adeo unus ex iis, quos honoris, opinor, causa Paschalis nominat, citatque, ad demonstranda flagitia, quæ ex pestifero Probabilitatis fonte fluxerunt. Atqui hæc ille scribit tractatu 1. de Decalogo cap. 4. num. 163. *Infertur ad opinionem probabilem requiri, ut communiter non reputetur continere errorem, nec esse abrogata per canonem aut decretum Superiorum*. Vultis Reginaldum? Azorium duntaxat exscripsit.

Reginaldus lib. 13. cap. 2. num. 103.

Abunde est, inquit Eudoxus. Quid si autem egressi sunt Jesuitæ cancellos ac limites quos sibi ipsi præscripserunt?

Hoc vero mox viderimus, adjecit Abbas, velut aliquantum succensens. Sed priusquam huc imus, nonne hoc mihi concedes hodie, Paschalem tuum, & ejus adjutorem Wendrokium, verba populo prorsùs dare, cum profitentur ac simulant explicare se Jesuitarum doctrinam (si hæc Jesuitarum doctrina potius, quàm omnium, qui ad illud tempus de moribus scripserant, Theologorum Catholicorum, dicenda fuit) ejusdem vero temperamenta omnia dissimulant, modos & circumscriptiones occultant, ut ex ea sic deformata & conficta, conclusionum portenta quędam eliciant: cum affirmant audacter & contestantur, hanc a Jesuitis labem in Christianum Orbem esse invectam ope Probabilium Opinionum, quarum fines im-

immane quantum protulerint, ut nullus jam in Theologia morali sit Evangelio Canonibusque sacris locus, quorum in sedem recentioris Scholæ commenta fuerint substituta? III. Dial.

XVII. *Definitio Opinionis Probabilis apud Jesuitas recepta.*

Opinionem Probabilem Jesuitæ sic universè definiunt: *Sententia est auctoritate gravi nixa, vel argumento non levi, contra quam nihil afferri possit, quo falsa esse demonstretur*. Iisdem nihilominus, perinde quasi essent Ethnici, apud quos auctoritas Scripturæ & Conciliorum non censeretur in eo genere argumentorum esse, quæ certissimam fidem faciunt, exprobratur quòd alias penitus quàm Scripturæ, Conciliorum & Patrum regulas in sua de moribus doctrina sequantur, quod consilia & effata, quibus conscientias hominum regunt, ex argutiis duntaxat suorum Doctorum & arbitrio moderentur.

Ego vero, ita ille institit ardentius, affirmare non verebor, atque adeo comprobabo, & certis exemplis evincam, hunc usitatum esse in docendo scribendoque morem apud Jesuitas Theologos (excipio nonnullos qui varia ex aliorum scriptis excerpta colligunt, aut eorum epitomen conficiunt, quibus aliud quidpiam est propositum quam ipsis auctoribus quos colligunt contrahuntque) ut ubicumque res ipsæ de quibus disputatur, sunt ejusmodi, in quibus a Scriptura aut Conciliis aut Patribus peti possit agendi regula, ibi semper isthæc præ aliis omnibus argumenta responso Theologi ac decisioni subjuncta cernantur. Ibi Sacræ paginæ testimonia, canones Conciliorum, Pontificum decreta, Civilis etiam juris scita, aut principem

III. DIAL. inter probationes locum obtineant, si clara sint; aut, si ambigua, in disceptationem vocentur. Aio nullos unquam extitisse Scriptores, qui è purissimis illis doctrinæ morum fontibus plura hauserint, quàm primarios Jesuitarum Theologos, Azorium dico, Suarem, Vasquem, Laymannum, Lessium, Thomam Sanchem... Mihi non creditis? Legantur ipsimet, aperiantur, proferantur: vel tacita librorum vox adversariorum mendacia refutabit: evanescent ad veritatis lucem confictæ a Sycophantis præstigiæ: calumniantium inepta loquacitas, quæ ipsis pro omni argumento est, deprehensa & convicta turpiter obmutescet.

Places cum sic irasceris, ait Eudoxus non sine risu; neque me piget quod te commoverim: Jesuitarum certè interest sic tibi stomachum nonnunquam moveri. Quam acriter modo causam illorum egisti! Hui! dixisti pulcrè. Cæterùm mihi quoque persuasum est, eorum adversarios in amplificandis rebus ac sermone augendis modum non tenere, indulgere sibi plus æquo Provincialium auctorem; ac bono illi Jesuitæ, quem in his loquentem facit, nequaquam impositas fuisse a Societate partes mandatamque provinciam dicendi omnia, & concedendi, absurda, ridicula, insulsa, quæ illi Paschalis affingit.

Tum Cleander; nondum, inquit, Abbati æquissimo & sinceritatis amantissimo satisfacis; suo quidque nomine appellari vult. Hoc a te concessum illi modo fuit, meram esse calumniam, quòd objecta criminis loco ac piaculi fuerit Jesuitis doctrina nusquam ab ipsis tradita;

dita;

dita, nisi cum Episcopis omnibus qui de hoc argumento scripserunt; nisi ducibus auctoribusque cunctis Sorbonæ Professoribus, qui suos de universa Theologia commentarios litteris mandavere, nisi comitantibus ac viam eandem terentibus Thomistis, Scotistis, Academia Lovaniensi, Theologis propemodum universis. Id etiam contendit, improbitatis ac malitiæ multo etiam majoris esse, quòd eadem illorum doctrina deformata fuerit, quòd teterrimis & falsissimis depicta coloribus & populo proposita, quòd definitiones mutilatæ, quod falsis interpretationibus depravatæ fuerint, ut ex illis consectaria depromerentur tetra atque immania. Hoc tu vocas exaggerare, modum in augendis rebus non tenere; ille vero pugnat esse aliud nihil, quàm corrumpere, veneno inficere, mentiri, calumniari. III. Dial.

Isthæc vero, Abbas clarissime, subjecit Eudoxus, mera de vocibus controversia est. Idem ego tecum sentio, idem nobiscum Cleander: quid quæris amplius? Quin potiùs, ut instituisti, si quid præterea observatum habes, amicis impertiri pergis? Bonam atque utilem, ut vides, operam nobis navas.

Restant adhuc quæ dicam, non pauca, subjunxit Abbas; sed, ut ingenuè fatear, temperare mihi non possum, quin invehar in Paschalem & Wendrokium, cum intueor ab iis hac arrepta occasione tam indignum in morem habitos per causam & nomen Casuistarum, tot excellentes probitate ac doctrina viros; qui, dum viverent, magnum sunt honorem consecuti ab iis omnibus, quos Ecclesia tum ut lumina sua & or-

namenta suspiciebat. Frustra, frustra, quò plus habeant apud populum fidei, offensionis & invidiæ minùs, deditâ operâ simulant sibi rem cum Jesuitis unis esse, quos male perditos volunt, itemque cum aliis nonnullis, quorum existimationi parcere haud valdè sua interesse putant. In hac *nube Casuistarum* (sic enim loquitur Wendrokius, eosdem ranis comparans quæ Ægypto toti, Pharaonis temporibus, incubuerunt) pars quota Jesuitæ sunt?

In notis ad Epistolam 5. sect. 6. §. 3.

XVIII.

In quos Paschalis & VVendrokius per Jesuitarum causam & nomen invehantur.

Præeunt illis antesignani, quorum ordo & dignitas omnibus non ambiguæ fidei Catholicis eximiæ cuidam venerationi semper fuit, Episcopi nimirum ævo suo peritissimi, Doctores lectissimi, celeberrimi Canonum & Pontificii juris interpretes. In iis recensetur Sanctus Antoninus ille Florentinus Archiepiscopus, Probabilitatis doctrinam unà cum cæteris amplectens; disrumpatur licet Wendrokius, qui hujus Sanctissimi Theologi auctoritatem, ac splendorem quo utitur, aut obscurare objectis mendaciorum umbris nititur, aut elevare clam & in contemptum adducere studet.

Quod si Jesuitæ nonnulli, ut Suares, Vasques, Sanches, Lessius &c. in Theologorum commentariis nominati sæpe sunt unà cum reliquis Theologiæ luminibus, & honorificè appellati, non id ob eam causam est factum, quod *in eorum scriptis nulla pietas, nulla reluceat eruditio*, ut protervè asseritur: sed quia in iisdem eruditio pietasque pari cum perspicuitate, firmitate rationum & ordine conjunctæ, itidem ut in præstantissimorum operibus Doctorum, ènitent. Neque vero Paschalis, aut Wendrokii, aut alio-

VVendrokius loco citato §. 1.

rum

rum, qui Theologos Societatis nunquam inſpexerunt, judicio in ea re ſtabitur: Sed arbitra & judex erit optima Sorbonæ pars; ſed ipſa Lovanienſis Academia, exceptis tamen Baji Janſeniique diſcipulis; ſed eruditiſſimi Galliæ noſtræ Antiſtites; ſed Sacerdotes qui aures conſitentibus præbent, quique diu in hoc ſacro miniſterio verſati, & quotidiana experientia docti ſibi ipſis conſcii ſunt, quantas ex eorundem Theologorum ſcriptis utilitates capiant. Audientur Summi Pontifices, qui plurimos ipſorum tam luculentis præconiis cohoneſtarunt: audientur teſtimonia plena dignitatis & commendationis, quibus cœtus ipſe & ſodalitas, cujus olim pars fuerunt, eoſdem propter egregiam virtutem & ſanctimoniam ornavit: a quibus profecto teſtimoniis eo magis abeſt falſi ſuſpicio, quòd nemo tum divinabat, futurũ aliquando ut Doctores tam catholicos, tam accuratos ut plurimum, tam ſolida eruditione præditos, Paſchalis aut Wendrokius aliquis tanquam doctrinæ moralis corruptæ reos accerſeret. III. Dial.

XIX. *Paſchalis, & VVendrokius, cujus auctoritatis, & pretii, in hac cauſa.*

Eſſais de Morale,

Quæſo enim, perrexit Abbas, deponamus opiniones præjudicatas, & rem ipſam ſuis momentis expendamus. Quiſnam tandem Paſchalis eſt? quis Wendrokius? quo, inquam, uterque loco habendus & numero, in jis quæ nunc agitantur contentionibus? Scripſit Wendrokius Morales Diſſertationes: Paſchalis erat diſciplinis Mathematicis eruditus, ornatè, politèque ſcribebat: ambo nihilominus Patres meros crepant, & cenſoria gravitate illos morali Jeſuitarum Theologiæ, Eccleſiæ Decretis, Sorbo-

III. DIAL. næ decisionibus opponunt. Atqui ille Patres profecto, nisi oculis Portu-Regiensium, non legerat: Wendrokius planè miserabilis est, ubi quid Theologicum in rebus istis attingit. Ille tenet animos legentium, quo pacto? jocandi & garriendi arte; hac enim pollet: hic, si nonnullis imponit, id assequitur insigni licentia scribendi, confidentiaque. Et imponere nonnullis miror; ita fertur œstro quodam, & furore percitus, nũquam mentis, nunquam sui compos. Uterque Religiosis viris, quorum pietas hactenus in dubium non venerat, aggrediuntur inurere impietatis notam; insulsitatis & ineptiarum, viris eruditis, qui sapientiæ pariter, & scientiæ fama sẽper floruerant, quique profitentur eam tenere se doctrinam, quæ in Scholis omnibus Catholicis vulgo traditur. In hos testimonium isti duo dicunt, qui homines, cujus auctoritatis, integritatis, fidei? manipulares duo legionis in Ecclesiam rebellis, incitati contra Sorbonam, & Jesuitas ab Arnaldo, & immissi. Consuunt decerptos è variis libris, auctoribusque locos; disponunt eosdem arbitratu suo; quædam interserunt è suo deprompta sensu; captant risum, adhibita consulto, quæ interloquatur, persona ficta, & ridicula: hæc omnia infarciunt, intexuntque simul, ita ut qui legit, aversetur, ac perhorrescat. Quod si quis eos ipsos auctorum locos in illam, unde sunt abstracti, sedem reponat; jungat assertionibus à quibus abjuncti fuere; accipiat, ut se habent, cum suis limitibus, & circumscriptionibus quibus arctantur, atque illigantur; tum videat nihil vulgò in iis esse, quod non sit sapienter dictum, & sanioris Theologiæ, quæ de moribus disputat,
pla-

placitis consentaneum. Dixi, vulgò nihil. Nàm, ut id rursùs moneam, nequaquam animus est, eam Jesuitis præter cæteros omnes Theologos vindicare prærogativam, ut falli, ut errare nequeant: quod ne ipsis quidem Sanctis Patribus datum fuit. III. DIAL.

Hic interfatus Cleander, & ad Abbatem conversus, Tu vero, inquit, si nobis locorum istorũ, & quorundam, quæ singillatim perstrinxisti modò, factorum veritatem ita perspicue comprobas, ut est à te comprobata illorum de quibus hodie disseruimus, nihil erit in nobis moræ, quin ambo in tua juremus verba, quin auctorem initæ *Comparationis inter veteres Scriptores, & recentiores*, valere cum suo Provincialium elogio jubeamus.

Fiet, cum vobis erit commodum, ait Abbas. Id vereor, ne vos detinuerim non sine tędio, dum facta uberius prosequor, quæ, cum in hunc ingressi sermonem sumus, fortasse obiter delibata volueratis.

Obiter autem? Minimè gentium, retulit Eudoxus. Isthæc facta rem ipsam continent, & ad vindicandos ab adversariorum calumniis Jesuitas vel sola sufficiunt: nec nihil ad ipsam quęstionem juris dijudicandam valent. Quin ego, cum te audiebam, nonnulla cœpi mecum attentius pensitare, quæ me in eam magis mentem induxerunt, ut crederem id quod initio prædicavi, multo plus esse, quàm homines vulgò putant, laboris, de hac re tota statuere. Ac sane quo acrius in eam examinandam incubui per istos dies, eo magis fui, quam potissimùm partem amplecterer, solicitus, atque anxius.

Ju-

III. DIAL. Juxta tecum fermè, subjecit Abbas, incertus animi pendeo. Sunt quorum falsitas comperta mihi denique, ac perspecta est. Sunt quę necdum habeo penitùs explorata. Nihil reticebo, cum primum vos revisam: judicium vestrum erit.

Ibi tum quidem finis de Opinionum Probabilitate disputandi factus est: sermo ad Litteras Provinciales rediit; in iisque paulisper hæsit.

XX.

De libro Litterarum ad Provincialem quædam generatim animavertenda.

Abbas, utpotè sagacissimi judicii, & apprimè gnarus quemadmodum oporteat, quod in libro solidum, & expressum est, ab eo, quod est vacuũ, & adumbratum, seponere; satisque intelligens fallaci verborum splendore perstringi aciem imprudentium, & effatis quibusdam, sententiisque vagis, nihil certum, ac definitum spectantibus, expleri cassam, & inanem veritatis orationem, fulcirique causam æquitate destitutam; multa graviter amicos in eam rem admonuit.

Primum ipsis breviter in memoriam redegit, librum exiisse nullum, qui potiori jure deberet esse suspectus, quàm Litteras ad Provincialem; sive spectaretur officina in qua procusum illud opus; sive occasio, quæ illum fœtum excluserat; sive schedæ quarum fidem auctor ejus libri & artifex in scribendo secutus erat; sive modus quo & conscriptus, & vulgatus; sive denique sententia de illo ab iis dicta, qui eundem excusserant funditus, & excutere pro suo jure debuerant. Librum hunc ajebat eorum domi fuisse fabricatum, quorum saltem dubia in Catholica Fide integritas foret: editum per occasionem Censuræ à Sorbona factæ de Arnaldi doctrina: eo modo esse conscriptum, ut in illo derideretur palam Facultas Theologiæ Parisiensis, ejusque do-

doctrina in eo capite, quod ipsa primarium esse censeret, ac penitus necessarium, ut rata Decretis Ecclesiæ vis auctoritasque constaret. In eodem libello ejusdem Sorbonæ comitia, & cœtus ludibrio haberi, spretis per jocularIam audaciã, illusisque viris honoratissimis totius Regni, & spectatissimis, qui iisdem affuissent, Regis ipsius jussu, & nomine: ad extremum istas Litteras aliud nihil esse quam comœdiæ genus quoddam, quo populus oblectaretur, Jesuitarum sumptibus, ac dispendio, quòd per eos opera præcipuè data crederetur in condemnandis quinque Jansenii Propositionibus. III. DIAL.

Addidit secundo loco, librum esse nullum in quo nequius, & callidius usurpentur sententiæ quædam generales, in speciem splendidæ, revera perquam appositæ ad faciendum fucum ingeniis, aut hærentibus in extimo rerum cortice, aut parùm laborãtibus exquirere quò istiusmodi sententiæ pertineant, & quas ad res privatim, quàm sincerè accommodentur. Ibi usque & usque prædicari nullam esse propositam Christianis regulam morum aliam præter Sacras Litteras, Patres, Concilia: quæ vero à recentioribus excogitata sunt, vel ob ipsam novitatem, lubrica merito & periculosa censeri.

XXI. *De Theologis Moralibus, sive Casuistis, quid sentiendum.*

Uberius in isto capite, ac diutius paulò versatus est Abbas, illudque percommodè, ac solerter explanavit. Fingite vobis, inquiebat, Parochum, qui Sacra Biblia à capite ad calcem, ut dicitur, memoriæ mandaverit; qui complexus animo fuerit Tomos decem & septem Conciliorum postremæ editionis; qui Augustinum totũ, Hieronymum, Chrysostomum, quãtum est Græco-

corum Patrum, ac Latinorum, teneat memoriter; qui nihilominus nullum ex iis legerit Scriptoribus, quos Casuistas appellamus. Scire pervelim quo tandem pacto iste Parochus ad sacras Confessiones audiendas aggrederetur? quam iniret viam in explicandis, ac dissolvendis quæstionibus ad conscientiam pertinentibus, de quibus eum sui consulerent? Num in libris Divi Augustini contra Pelagianos, aut Sancti Prosperi, esset inventurus quemadmodum secerneret impedimenta matrimonii, quibus aut penitus dirimitur, aut illicitum dumtaxat redditur? Num reperturus opportunitates varias, atque artes, quæ tunc adhibendæ sunt ad vitanda scandala, dissidia familiarum, & exitia prævertenda? Num cogniturus ex iisdem voluminibus quid eo loci tolerandum, quid permittendum, prohibendumve sit, ut res, tempus, occasio admonet? quæ quidem omnia quam sunt ad pervestigandũ definiendumque difficilia! Qui tandem poterit iste Parochus, sive in Urbe, sive ruri, respondere de certis contractibus, an validi sint, necne, justi, an injusti: extricare dubitationes quas afferunt sexcentæ circumstantiæ diversi generis, ac modi, in iis ipsis contractibus, qui sunt vel maxime usitati, & ipsa consuetudine approbati? Quã, in aliqua rei alienæ restituendæ causa, partem opinionis ancipitis sequetur, ubi sæpè fit, ut juris sive à natura, sive ab hominibus positi regula quæpiam evertere aliam, ac pessumdare videatur? Quam multæ innascuntur quotidie in Censuris, irregularitatibus, dispensationibus, difficultates, ac lites, quas neque prospicere Concilia, neque resolvere potuerunt; quibus explican-

dis,

dis, ac pertractandis experientia una, usúsque confitentes audiendi, locum dedit? III. Dial.

Vix ullam scientiæ moralis partem reperias de qua idem affirmari non possit. Enimvero, an non Jus Divinum, quod Sacris Litteris continetur, & Jus Ecclesiasticum, quod habetur in Conciliis, perinde atque Jus Civile, sunt regulæ à Deo profectæ, quibus mores hominum, & controversiæ componantur? An non ex iisdem tamen oriuntur quotidie dissidia sexcenta, discrepantesque sententiæ? Utamur istis regulis sanctissimis, & fruamur, inquiunt isti nostri Correctores; missos Casuistas faciamus. Quo nobis tot illorum tam immania volumina, quibus implentur, & onerantur Bibliothecæ? Ego vero vicissim hoc illis respondebo. Tam multæ sunt præclarè, ac sapienter constitutæ leges: missos faciamus tot Jurisconsultos, tot legum Commentarios, quibus refertæ Bibliothecæ gemunt. Quæram illud etiam & percontabor, cur in tanta legum optimarum copia tam fertilis ubique litium fruticet seges, cui secandæ, & demetendæ par esse vix possit tot Judicum industria; licet calleant leges ipsi, & in lectitandis earum interpretationibus, commentariisque doctissimorum virorum diu sint, multumque versati.

Denunciat pœnitentibus Concilium Tridentinum impositam ipsis legẽ, & necessitatem esse, ut peccatorum numerum, variasque species Sacerdotibus aperiant. Par imposita lex Confessariis, ut jubeant explicari sibi species istas, quò de illis cognoscant, ac judicent. Quis dicat in Sacris Codicibus, in Patrum scriptis, in Decretis Conciliorum reperiri, quemadmodum

va-

 variæ istæ peccatorum species internosci queãt? Patet enim hoc latissime, & perdifficiles explicatus habet, nisi quis Theologiam Scholasticam, ut appellant, & Moralem, imo & ipsam Dialecticam apprimè norit.

Magna sanè istis, qui tantopere contemnuntur, Theologis habenda gratia, quod hæc omnia digesserint, exposuerint, enucleaverint; quibus si careremus, quam graves scrupulos, tum pœnitentibus, tum Confessariis, isthæc à Concilio sancita lex injiceret?

Non est omninò, non est opponenda doctrina Sacrorum Librorum, Patrum, & Conciliorũ, doctrinæ Theologorum, & Casuistarum complurium: quemadmodum leges legum interpretibus, & explanatoribus opponendæ non sunt. Liceat scrutari, rectè ne, an secus, concludant: an Patres tali in re hunc in modum statuissent; an à recta via Casuistæ deerraverint, inscitia, improbitate, pertinacia. Hoc videre, hoc scrutari Præsulum est: sed eorumdem etiam est, uti & Lectoris cujuslibet Christiani, fidem affirmanti Paschali continuò non habere; non jurare in verba, quæ exscribit ex auctoribus, etsi maxime libros, capita, paginas appellet. Nimis multa fidem ejus elevant: nec Paschali contra Jesuitas scribenti, nisi admodum temerè, creditur. Ad summum id concedi potest, ut qui eum legit, dubitet an fortasse verum, licet ab hoste professo, dicatur: neutiquam autem, ut ii contra quos dicit, tanquam Prætoris edicto, condemnentur, haud secus atque homines, ut quidem ipse jactat, imperiti Ecclesiasticæ doctrinæ, lapides offensionis objecti populo Christiano, Evangelii,

& Evan-

& Evangelicæ morum disciplinæ corruptores, III. DIAL.
quorum adventu Sacra Scriptura, Concilia, Patrum scripta, de medio sublata sint.

Hoc mihi, perinde ac tibi, persuasum est, inquit Eudoxus, istum, de quo egisti modò, Parochum, cum suis Bibliis, Conciliis, & Patribus, sæpe in magnas conjectum iri angustias, ut propositas à suis, sive consulentibus, sive confitentibus, difficultates expediret; nisi haberet in promptu aliam quandam magis peculiarem regulam, quę generales istas leges singulis rebus particulatim applicaret. Idem illi prorsùs eveniret, quod nonnullis Professoribus juris, qui Instituta, Codicem, Digesta, tãquam ungues, digitosque suos tenent; qui nihilominus rectum consilium dare villico suo de limitibus agri cum vicinis litigãti, nesciunt. Non unum ego novi Parochum, Doctores non paucos novi, qui cum palam declamitent in Jesuitarum Moralem, asservant suis in Musæis Cardinalem de Lugo, Lessium, Sanchez, Azorium, Laymannum, eosque, tanquam respondentes de jure Advocatos, consulunt; & iisdem ita auscultant, ut magnam sibi ex eorum consiliis responsisque famam apud omnes colligant.

XXII.
S. Caroli Borromæi, S. Frãcisci Salesii, &c. dicta, & decreta de Casuistarum libris.

Est ut dicis, inquit Abbas: neque aliud fuisse causæ reor, cur S. Carolus Borromæus in libello quem edidit, de ratione confitentes ritè audiendi, suis Parochis disertè præcipiat, ut *manibus continuè terant* (sunt ipsius verba) *auctores*, ut vocat, *Classicos*, qui pertinentes ad conscientiam quæstiones accuratè pertractarint.

Hoc ipsum S. Franciscus Salesius spectavit in opusculo, quod Sacerdotibus suis inscribit, hoc præ-

III. DIAL. *Avertissement aux Confesseurs.*

præfixo titulo: *Admonitio ad Confessarios*, ubi post varias præceptiones, & consilia, quibus ad confessiones piè, sanctèque excipiendas eos uti jubet, hoc postremum, ut est in hisce meis excerptis, subjicit: *Pater Valerius Reginaldus Societatis Jesu, qui docuit Theologiam Dolæ* (is unus eorum est, quos pessimè Paschalis accipit) *novissimè librum emisit de Prudentia Confessariorum, ex quo magna in eos, qui legent, utilitas redundabit. Habetis, fratres carissimi, quinque & viginti capita, quæ vobis judicavi esse proponenda, &c.*

Venit etiam in meas manus ejusdem Sanctissimi viri ad Patrem Lessium Epistola, quæ cum cæteris ipsius litteris edita non est, sed alibi extat, cujus autographum Antuerpiæ servatur. qua in epistola primum quidem significat quanto habeat in pretio libros, quicunque a Societatis Scriptoribus prodeunt, ac præ cęteris confectos ab ipso privatim Lessio; deinde hæc subdit: *Legi ante annos aliquot utilissimum opus tuum de Justitia & Jure, in quo non solide minùs quam dilucidè, atque adeò meliùs, quàm ulli, quos quidem legerim, Theologi, solvis & explicas difficillimos, qui occurrunt in hac Theologiæ parte, nodos.* Quemnam autem eo loco librum, adjecit Abbas, S. Franciscus Salesius tam honorificè prædicat? quem sibi tantopere satisfecisse profitetur? Illum ipsum videlicet (id a vobis animadverti velim) quo Lessius, apud Paschalem, nomen hoc & elogium est promeritus, ut homicidarum, decoctorum, fęneratorum &c. patronus & fautor diceretur.

Rem narras haud leviter sane animadverten-

ten-

tendam, ait Cleander: neque minoris, opinor, ponderis ac momenti auctoritas Sanctorum Borromæi & Salesii, quam Paschalis & Nicolii esse debet. III. Dial.

Quid quod nuperrimè, adjecit Abbas, unus è spectatissimis & illustrissimis Galliæ Præsulibus, Episcopus Meldensis, in suis Synodalibus Statutis numeravit inter libros à Sacerdotibus suæ Diœcesεos perlegendos ad artem rite confessiones audiendi perdiscendam, Toletum & Azorium, ambos è Societate JESU, quorum alter etiam a Paschale numeratus est inter primarios heroas doctrinæ morum solutæ? an non habent Jesuitæ quòd gaudeant gratulenturque sibi, non omnes omnino Portu-Regiorum technis ac fallaciis irretitos esse? *Monsieur l'Evesque de Meaux,*

Eo decurrebat Abbas ut Jesuitarum Apologiam persequeretur, in qua videbatur illi oratio non defutura, ita probè instructam litem & adornatam attulerat; cum perincommodè accidit ut afferretur Eudoxo de re gravioris momenti scheda, cui rescribendum illico foret. Ibi Cleander Abbatem orare vehementer institit, ut colloquiis omnibus adesse ne gravaretur, quæ de Litteris Provincialibus ipse cum Eudoxo habiturus erat; quod se facturum Abbas prolixè est pollicitus. Ita inter eos convenit, ut postridie in Bibliothecam Parisiensem aliquam se conferrent, inspicerentque num Thomistæ, Lovanienses, cæterique in tradenda Opinionis Probabilis doctrina cum Jesuitis Sorbonicisque Professoribus consentirent. Item ut componerent accuratè cum ipsis Auctorum libris eos locos quibus erat usus Abbas, ut ostenderet

III. DIAL. immutata, vitiata, & prolata fallaciter a Paschale & Wendrokio Jesuiticæ doctrinæ principia. Quod esse verum si deprehenderetur, nihil se dicturos ajebant causæ, quin utrumque, uti postulabat, mendacem & impostorem simpliciter aperteque pronunciarent. Ad extremum id sibi faciendum decrevère, ut eos locos expenderent singillatim, quos Jesuitæ contestantur detruncatos magnam partem, aut falso productos, aut perperam trajectos. Ita demum Abbas & Cleander abscesserunt.



IV. DIA-

IV. DIALOGUS.

POstridie convenit Eudoxum & Cleandrum Abbas hora cõstituta. Eos extemplo deduxit ad Patres N. N.. quorum Bibliothecam norat libris, quos expetebant, probè instructam. Hic novà victorià partes veritatis auxit. Oblatus illi tum fortè est in eadem Bibliotheca Baccalaureus, loco nobili natus adolescens, Cleandro & Eudoxo cognitus: qui cum eos perhumaniter salutasset, ubi quamobrem venissent rescivit, risum enimvero tenere non potuit. Rogat quid illis nunc tandem in mentem venerit ea de re dubitare; de qua tot ab annis nemini vel levissimus hæreret scrupulus. Revocare in dubium, inquit, utrum Opinionum Probabilium doctrina Jesuitarum sit unicè propria, cujus ipsi artifices ac defensores aut soli aut cum paucis quibusdam, puta Caramuele aut *Diana*, sint, perinde est ac dubitare Romæ sit aliqua in rebus nec ne, aut major Vizirus in Imperio Turcico.

Hic Abbas: Sic sum, inquit, alienis oculis parùm fido: præstat omnino, cum de factis ejusmodi agitur, omnia inspicere per se se: & magnam a nobis gratiam inieris, si nos adjuvare non gravaberis ad eam rem quam paramus. Id agimus demum ut refellamus ac pudore suffundamus è Jesuitis unum, cujus audacia nimium diu credulis hominum auribus impune verba dedit. Ille ante annos triginta non dubitavit affirmare, tetras ac flagitiosas suæ Societatis in doctri-

IV. DIAL. namorum opiniones, communes eidem esse cum Ordinibus religiosis omnibus, cum plurimis Episcopis, cum celeberrimis Europæ totius Academiis, cum ipsa denique Sorbona, cujus in oculis, in ore tot sapientissimorum Doctorum, suam illam audaciam defigere non erubuit. Extat istius Jesuitæ liber Parisiis editus cum privilegio: in quo quidem prætermissà juris quæstione, verà ne an falsa, frugi an prava Probabilitatis doctrina sit, hæret in quæstione facti, & id unum probandum suscipit, doctrinam hanc centum ab hinc fermè annos, ad annum usque 1660 quo librum suum edidit, communem fuisse ac pervagatam omnium istorum Præsulum, Ordinum Religiosorum omnium, Academiarum & Doctorum: quod si unus aliquis proferatur illam qui oppugnaverit, se facile daturum alios decem, a quibus fuerit propugnata: ex tribus ad summum quatuorve, qui ab ea discesserint, duos e Societate ipsa esse. Audin' paradoxum? adjecit Abbas irato similis (loqui ex animo crederes): tum sermonem prosecutus, Scriptor iste, inquit, quò rem propositam clariùs distinctiùsque conficiat, omnem Probabilitatis doctrinam revocat ad propositiones duas, quibus re ipsa continetur tota. Prima est, *Duarum opinionum probabilium licet amplecti minus tutam*: Altera, *ex opinionibus duabus probabilibus licet sequi minus probabilem*. En tibi duo monstra, en duo pestiferi fœtus, è detestanda Jesuitarum calliditate politica procreati, ut Paschalis & Wendrokius affirmant; in quos ipsi tota opum vi depugnandum sibi esse putaverunt. In hoc tamen libello (& libellum è pera pro-

I. *Libellus inscriptus* Quæstio facti, *quid argumenti, & quonam pacto tractet.*

II. *Capita duo, ad quæ revocatur tota quæstio Probabilitatis opinionum.*

protulit) fidenter asseritur istas propositiones duas nunc separatim nunc conjunctim fuisse traditas ab agmine permagno Theologorum, qui Jesuitæ non essent, quorum & appellantur nomina, & scripta recensentur. Obsecro, hujus tu scriptoris, si vera non dicit, insolentiam feras? IV. DIAL.

Hic enimvero ridere juvenis Baccalaureus cum Eudoxo & Cleandro, qui de industria id satagebant ut illi assentiri, & omnem abrogare libello ejusque auctori Jesuitæ fidem viderentur. Tum ille: Ego vero, inquit, non gravabor venire in partem laboris & operæ, quam Abbas ornatissimus suscipere, licet inutilem, decrevit. Itum ad libros continuò, quos Bibliothecæ Præfectus, ut quisque postulabatur, promebat. Ordinem capitum in opusculo Jesuitæ descriptorum servarunt, & ab Episcoporum indice sunt exorsi.

III. *S. Antonini sententia de Probabili Opinione.*

Lecta primùm est in Sancto Antonino propositio prior his verbis expressa: *Eligere viam tutiorem consilii est, non præcepti*. Torserat iste locus Wendrokium: itaque respondit, ibi Antoninum agere duntaxat de conditionum & vitæ generum delectu; idque unum velle, quamvis tutior vitæ religiosæ via foret, nullius tamen præcepti esse amplecti vitam religiosam, sed tantùm consilii. Sed hæc Wendrokii explicatio ut refelleretur, perlectum est quod ex eodem loco deinceps attulit Jesuita libelli auctor. Agit ibi Antoninus de actione, in qua dubitatur an peccati quidpiam subsit, necne: id quod revera summa & cardo est, in quo tota hujus Paragraphi quæstio vertitur. Sic igitur scribit Antoninus.

IV. DIAL. *Quod dicitur Ecclesiastici* 3. Qui amat periculum, in illo peribit. *Hinc est quod B. Thomas & alii dicunt, quod ille qui agit id de quo est dubium utrum sit mortale an non, peccat mortaliter, quia periculo se exponit mortalis. Cum ergo in aliqua materia morali sunt varia & contraria opiniones, ille qui adharet opinioni latioris via videtur se exponere periculo mortalis, quia in dubio; cum possit illa opinio esse falsa & contraria vera. Sed ad hoc respondetur, quod utique ille qui agit scienter id de quo dubitat esse mortale, permanente dubitatione, mortaliter peccat, etiamsi illud in se non esset mortale; sumendo proprie & strictè dubitationem, videlicet prout rationes sunt aque ponderantes ad utramque partem, nec magis declinat quis ad unam quàm ad aliam. Sed si dubitet leviter quis, & per modum scrupuli; sicut dubitat & formidat habens opinionem de aliquo, quia ita inharet ipsi sententia, quod tamen formidat de opposito; sic agendo contra tale dubium, non peccatur, dum adharet opinioni alicujus Doctoris, & habet rationes probabiles pro ipsa magis quàm pro opposita opinione; etiamsi ipsa opinio, quam tenet, non esset vera: & hoc, nisi ipsa opinio sumpta esset contra manifestum testimonium Scriptura, vel determinationem Ecclesia. Talis enim non operatur in dubio mortalis, sed secundùm opinionem probabilem.*

Hæc doctrina Baccalaureo parum arridebat; nec satis poterat capere, quemadmodum posset extra noxam esse qui quid ageret dubitatione implicatus. Abbas adhibendam ibi dixit ex Antonini ac Theologorum illi suffragantium

sen-

sententia principiisque distinctionem dubitationis *Speculativæ* & *Practicæ:* quod negent illi scilicet alteram cum altera necessario junctam esse, ac fieri contendant posse ut aliquis agat in dubio *speculativo* ; quamvis manente dubio *practico*, ad agendum prosilire sit nefas. Cæterum, inquit, hodierna nobis quęstio de Jure non est, sed de Facto: neque id agimus recte an secus Antoninus senserit; sed quàm belle probent Jesuitæ illum in eadem cum ipsis fuisse sententiâ. IV. DIAL.

Saltem, subjunxit Baccalaureus, id videtur Antoninus optare ut sequamur opinionem probabiliorem, dum concedit ut sequamur minus tutam.

Neque vero quidquam aliud amplius contendit Jesuita, inquit Abbas. hoc unum probare nititur, Antoninum in ea fuisse sententia ut putaret concessum esse opinionem sequi merè probabilem; atque adeò ex duabus probabilibus amplecti minus tutam, tametsi non vacet ea periculo falsitatis. Si esset hic disputandi locus, hoc uno S. Antonini principio universam Paschalis ac Wendrokii de hoc negotio Theologiam everteremus.

IV. *Quid sentiāt de Probabilitate Didacus Alvarez, Zerola, Maldenus, & alii Episcopi.*

Ventum deinde est ad Didacum Alvarem, celeberrimum illum in concertatione *de Auxiliis* Dominicanæ causæ defensorem, dum in eadem adhuc Religiosa Familia censeretur: qui postmodum ad Traniensem in Regno Neapolitano Episcopatum est evectus. Disputationis octogesimæ titulus hic erat: *An ex duabus opinionibus probabilibus liceat amplecti utramlibet, relicta etiam probabiliore*. Ac primo quidem

IV. DIAL. dem exponit quid Cajetanus sentiat, quid alii Thomistæ nonnulli, qui videntur censere amplectendam esse probabiliorem: deinde loquitur hunc in modum num. 4. *Secunda sententia est pracedenti opposita asserentium quod quilibet potest sequi opinionem quam judicat esse probabilem. Tenet hanc sententiam Magister Medina & alii doctissimi Thomistæ.* Tum pergit. *Videtur probabilior alia tertia opinio, quam tenet Magister Bannes 2. 2. q. 10. art. 1. dub. 3. concl. 4.*

Hanc tertiam sententiam explicat ipse, additque certos cancellos intra quos continere sese debeat quisquis opinionem sequatur minus probabilem, & intra quos si quis consistat, conciliari videntur posse priores duæ. Sunt autem illi; ne quid importet opinio detrimenti sive alteri homini sive Religioni; ne sit ulla circumstantia quæ honori divino adversetur. Demum præstruit aliqua fundamenta, quæ communiter admittuntur ab auctoribus utriusque sententiæ. *Quando*, inquit, *opiniones sunt æque probabiles, potest quis sequi quam maluerit per se loquendo. Et idem dicendum quando excessus in probabilitate est minimus: tunc enim saltem non erit peccatum mortale sequi opinionem minus probabilem.*

Addit: *Quando pœnitens secutus est opinionem practicè probabilem, tenetur Confessarius absolvere illum & sese conformare sententiæ pœnitentis, etiamsi habeat evidentiam opposita sententia. Verbigratia pœnitens fecit aliquem contractum, de quo probabilis opinio asserit esse licitum; Confessarius autem tenet tanquam probabilius, aut tanquam certum sibi, quòd est illicitus:*

non

non poterit negare absolutionem pœnitenti, etiãsi pœnitens nolit absistere ab illo contractu . . . Et ratio est, inquit paulo ante: *nam pœnitens sequendo opinionem probabilem non peccavit*. His ita constitutis, hanc tertiam sententiam amplectitur, & argumentis Cajetani respondet, quæ, magnam partem, id unum probant, adhibendas esse videlicet eas, de quibus antea meminit, circumscriptiones, & fines, quos cuncti Jesuitæ, qui quidem hanc sententiam sequuntur, nequaquam omittunt adhibere. IV. Dial.

Tum vero Abbas ita breviter est prolocutus, & ex iis quæ perlecta erant hactenus collegit, primo nihil dici clarius posse quo doceretur multis in locis fas esse *opinionem sequi minus probabilem, etsi minus tutam:* deinde ex uno Alvaris testimonio satis constare Medinam, & doctissimos alios Thomistas in ea esse sententia, quæ Jesuitarum esse propria diceretur: atque adeo nihil esse cur de libris eorundem Thomistarum evolvendis, & singillatim inspiciendis præterea laborarent.

His auditis hærere, atque obstupescere Baccalaureus noster: ridere clam & in sinu Cleander & Eudoxus, qui pridiano cum Abbate congressu eruditi, minus ista mirari didicerant.

At institutum sermonem prosecutus Abbas, sequentem propositionem ostendit apud Josephum Anglez Episcopum Bozanensem in Sardinia (*a*); Thomã Zerolam (*b*); Malderũ Episcopum Antuerpiensem (*c*). *Quando pœnitentis opinio est probabilis, & si Sacerdotis opinio probabilior sit, Sacerdos illi absolutionem neque debet denegare, neque potest*. Deinde istam apud Bartho-

(a) *Quæstione de Confess. difficult.* 8.
(b) *In praxi pœnit. c.* 22. *q.* 3.
(c) *Edit. Veneta* 1559. *in* 1 2 *q* 19. *disput.* 86.

III. DIAL. immutata, vitiata, & prolata fallaciter a Paschale & Wendrokio Jesuiticæ doctrinæ principia. Quod esse verum si deprehenderetur, nihil se dicturos ajebant causæ, quin utrumque, uti postulabat, mendacem & impostorem simpliciter aperteque pronunciarent. Ad extremum id sibi faciendum decrevère, ut eos locos expenderent singillatim, quos Jesuitæ contestantur detruncatos magnam partem, aut falso productos, aut perperam trajectos. Ita demum Abbas & Cleander abscesserunt.



IV. DIALOGUS.

POstridie convenit Eudoxum & Cleandrum Abbas hora cōstituta. Eos extemplo deduxit ad Patres N. N.. quorum Bibliothecam norat libris, quos expecte-ant, probè instructam. Hic novà victorià par-s veritatis auxit. Oblatus illi tum fortè est ı eadem Bibliotheca Baccalaureus, loco nobi-natus adolescens, Cleandro & Eudoxo cogni-is: qui cum eos perhumaniter salutasset, ubi ıamobrem venissent rescivit, risum enimvero nere non potuit. Rogat quid illis nunc tan-:m in mentem venerit ea de re dubitare; de ıa tot ab annis nemini vel levissimus hæreret rupulus. Revocare in dubium, inquit, utrum pinionum Probabilium doctrina Jesuitarum : unicè propria, cujus ipsi artifices ac defen-res aut soli aut cum paucis quibusdam, puta ıramuele aut Diana, sint, perinde est ac dubi-re Roma sit aliqua in rebus nec ne, aut major izirus in Imperio Turcico.

Hic Abbas: Sic sum, inquit, alienis oculis pa-m fido: præstat omnino, cum de factis ejusmo-agitur, omnia inspicere per se se: & magnam nobis gratiam inieris, si nos adjuvare non gra-beris ad eam rem quam paramus. Id agimus mum ut refellamus ac pudore suffundamus è suitis unum, cujus audacia nimium diu cre-llis hominum auribus impune verba dedit. e ante annos triginta non dubitavit affirma-, terras ac flagitiosas suæ Societatis in doctri-

IV.DIAL. na morum opiniones, communes eidem esse cum Ordinibus religiosis omnibus, cum plurimis Episcopis, cum celeberrimis Europæ totius Academiis, cum ipsa denique Sorbona, cujus in oculis, in ore tot sapientissimorum Doctorum, suam illam audaciam defigere non erubuit. Extat istius Jesuitæ liber Parisiis editus cum privilegio: in quo quidem prætermissà juris quæstione, verà ne an falsa, frugi an prava Probabilitatis doctrina sit, hæret in quæstione facti, & id unum probandum suscipit, doctrinam hanc centum ab hinc fermè annos, ad annum usque 1660 quo librum suum edidit, communem fuisse ac pervagatam omnium istorum Præsulum, Ordinum Religiosorum omnium, Academiarum & Doctorum: quod si unus aliquis proferatur illam qui oppugnaverit, se facile daturum alios decem, a quibus fuerit propugnata: ex tribus ad summum quatuorve, qui ab ea discesserint, duos e Societate ipsa esse. Audin' paradoxum? adjecit Abbas irato similis (loqui ex animo crederes): tum sermonem prosecutus, Scriptor iste, inquit, quò rem propositam clariùs distinctiùsque conficiat, omnem Probabilitatis doctrinam revocat ad propositiones duas, quibus re ipsa continetur tota. Prima est, *Duarum opinionum probabilium licet amplecti minus tutam*: Altera, *ex opinionibus duabus probabilibus licet sequi minus probabilem*. En tibi duo monstra, en duo pestiferi fœtus, è detestanda Jesuitarum calliditate politica procreati, ut Paschalis & Wendrokius affirmant; in quos ipsi tota opum vi depugnandum sibi esse putaverunt. In hoc tamen libello (& libellum è peram pro-

I. *Libellus inscriptus* Quæstio facti, *quid argumenti, & quonam pacto tractet.*

II. *Capita duo, ad quæ revocatur tota quæstio Probabilitatis opinionum.*

protulit) fidenter asseritur istas propositiones duas nunc separatim nunc conjunctim fuisse traditas ab agmine permagno Theologorum, qui Jesuitæ non essent, quorum & appellantur nomina, & scripta recensentur. Obsecro, hujus tu scriptoris, si vera non dicit, insolentiam feras? IV. Dial.

Hic enimvero ridere juvenis Baccalaureus cum Eudoxo & Cleandro, qui de industria id satagebant ut illi assentiri, & omnem abrogare libello ejusque auctori Jesuitæ fidem viderentur. Tum ille: Ego vero, inquit, non gravabor venire in partem laboris & operæ, quam Abbas ornatissimus suscipere, licet inutilem, decrevit. Itum ad libros continuò, quos Bibliothecæ Præfectus, ut quisque postulabatur, promebat. Ordinem capitum in opusculo Jesuitæ descriptorum servarunt, & ab Episcoporum indice sunt exorsi.

III. *S. Antonini sententia de Probabili Opinione.*

Lecta primùm est in Sancto Antonino propositio prior his verbis expressa: *Eligere viam tutiorem consilii est, non præcepti*. Torserat iste locus Wendrokium: itaque respondit, ibi Antoninum agere duntaxat de conditionum & vitæ generum delectu; idque unum velle, quamvis tutior vitæ religiosæ via foret, nullius tamen præcepti esse amplecti vitam religiosam, sed tantùm consilii. Sed hæc Wendrokii explicatio ut refelleretur, perlectum est quod ex eodem loco deinceps attulit Jesuita libelli auctor. Agit ibi Antoninus de actione, in qua dubitatur an peccati quidpiam subsit, necne: id quod revera summa & cardo est, in quo tota hujus Paragraphi quæstio vertitur. Sic igitur scribit Antoninus.

 Quod

IV. DIAL. *Quod dicitur Ecclesiastici* 3. Qui amat periculum, in illo peribit. *Hinc est quod B. Thomas & alii dicunt, quod ille qui agit id de quo est dubium utrum sit mortale an non, peccat mortaliter, quia periculo se exponit mortalis. Cum ergo in aliqua materia morali sunt varia & contraria opiniones, ille qui adhæret opinioni latioris via videtur se exponere periculo mortalis, quia in dubio; cum possit illa opinio esse falsa & contraria vera. Sed ad hoc respondetur, quod utique ille qui agit scienter id de quo dubitat esse mortale, permanente dubitatione, mortaliter peccat, etiamsi illud in se non esset mortale; sumendo proprie & strictè dubitationem, videlicet prout rationes sunt æque ponderantes ad utramque partem, nec magis declinat quis ad unam quàm ad aliam. Sed si dubitet leviter quis, & per modum scrupuli; sicut dubitat & formidat habens opinionem de aliquo, quia ita inhæret ipsi sententia, quod tamen formidat de opposito; sic agendo contra tale dubium, non peccatur, dum adhæret opinioni alicujus Doctoris, & habet rationes probabiles pro ipsa magis quàm pro opposita opinione; etiamsi ipsa opinio, quam tenet, non esset vera: & hoc, nisi ipsa opinio sumpta esset contra manifestum testimonium Scriptura, vel determinationem Ecclesia. Talis enim non operatur in dubio mortalis, sed secundùm opinionem probabilem.*

Hæc doctrina Baccalaureo parum arridebat; nec satis poterat capere, quemadmodum posset extra noxam esse qui quid ageret dubitatione implicatus. Abbas adhibendam ibi dixit ex Antonini ac Theologorum illi suffragantium sen-

sententia principiisque distinctionem dubitationis *Speculativæ* & *Practicæ*: quod negent illi scilicet alteram cum altera necessario junctam esse, ac fieri contendant posse ut aliquis agat in dubio *speculativo*; quamvis manente dubio *practico*, ad agendum prosilire sit nefas. Cæterum, inquit, hodierna nobis quęstio de Jure non est, sed de Facto: neque id agimus recte an secus Antoninus senserit; sed quàm belle probent Jesuitæ illum in eadem cum ipsis fuisse sententiâ. IV. DIAL.

Saltem, subjunxit Baccalaureus, id videtur Antoninus optare ut sequamur opinionem probabiliorem, dum concedit ut sequamur minus tutam.

Neque vero quidquam aliud amplius contendit Jesuita, inquit Abbas. hoc unum probare nititur, Antoninum in ea fuisse sententia ut putaret concessum esse opinionem sequi merè probabilem; atque adeò ex duabus probabilibus amplecti minus tutam, tametsi non vacet ea periculo falsitatis. Si esset hic disputandi locus, hoc uno S. Antonini principio universam Paschalis ac Wendrokii de hoc negotio Theologiam everteremus.

IV. *Quid sentiant de Probabilitate Didacus Alvarez, Zerola, Maldenus, & alii Episcopi.*

Ventum deinde est ad Didacum Alvarem, celeberrimum illum in concertatione *de Auxiliis* Dominicanæ causæ defensorem, dum in eadem adhuc Religiosa Familia censeretur: qui postmodum ad Traniensem in Regno Neapolitano Episcopatum est evectus. Disputationis octogesimæ titulus hic erat: *An ex duabus opinionibus probabilibus liceat amplecti utramlibet, relicta etiam probabiliore*. Ac primo qui-

IV. DIAL. dem exponit quid Cajetanus sentiat, quid alii Thomistæ nonnulli, qui videntur censere amplectendam esse probabiliorem: deinde loquitur hunc in modum num. 4. *Secunda sententia est præcedenti opposita asserentium quod quilibet potest sequi opinionem quam judicat esse probabilem. Tenet hanc sententiam Magister Medina & alii doctissimi Thomistæ.* Tum pergit. *Videtur probabilior alia tertia opinio, quam tenet Magister Bannes 2. 2. q. 10. art. 1. dub. 3. concl. 4.*

Hanc tertiam sententiam explicat ipse, additque certos cancellos intra quos continere sese debeat quisquis opinionem sequatur minùs probabilem, & intra quos si quis consistat, conciliari videntur posse priores duæ. Sunt autem illi; ne quid importet opinio detrimenti sive alteri homini sive Religioni; ne sit ulla circumstantia quæ honori divino adversetur. Demum præstruit aliqua fundamenta, quæ communiter admittuntur ab auctoribus utriusque sententiæ. *Quando*, inquit, *opiniones sunt æque probabiles, potest quis sequi quam maluerit per se loquendo. Et idem dicendum quando excessus in probabilitate est minimus: tunc enim saltem non erit peccatum mortale sequi opinionem minus probabilem.*

Addit: *Quando pœnitens secutus est opinionem practicè probabilem, tenetur Confessarius absolvere illum & sese conformare sententiæ pœnitentis, etiamsi habeat evidentiam oppositæ sententiæ. Verbigratia pœnitens fecit aliquem contractum, de quo probabilis opinio asserit esse licitum; Confessarius autem tenet tanquam probabilius, aut tanquam certum sibi, quòd est illicitus:*

non

non poterit negare absolutionem pœnitenti, etiãsi pœnitens nolit absistere ab illo contractu . . . Et ratio est, inquit paulo ante: *nam pœnitens sequendo opinionem probabilem non peccavit*. His ita constitutis, hanc tertiam sententiam amplectitur, & argumentis Cajetani respondet, quæ, magnam partem, id unum probant, adhibendas esse videlicet eas, de quibus antea meminit, circumscriptiones, & fines, quos cuncti Jesuitæ, qui quidem hanc sententiam sequuntur, nequaquam omittunt adhibere. IV. DIAL.

Tum vero Abbas ita breviter est prolocutus, & ex iis quæ perlecta erant hactenus collegit, primo nihil dici clarius posse quo doceretur multis in locis fas esse *opinionem sequi minus probabilem, etsi minus tutam*: deinde ex uno Alvaris testimonio satis constare Medinam, & doctissimos alios Thomistas in ea esse sententia, quæ Jesuitarum esse propria diceretur: atque adeo nihil esse cur de libris eorundem Thomistarum evolvendis, & singillatim inspiciendis præterea laborarent.

His auditis hęrere, atque obstupescere Baccalaureus noster: ridere clam & in sinu Cleander & Eudoxus, qui pridiano cum Abbate congressu eruditi, minus ista mirari didicerant.

At institutum sermonem prosecutus Abbas, sequentem propositionem ostendit apud Josephum Anglez Episcopum Bozanensem in Sardinia (*a*); Thomã Zerolam (*b*); Malderũ Episcopum Antuerpiensem (*c*). *Quando pœnitentis opinio est probabilis, & si Sacerdotis opinio probabilior sit, Sacerdos illi absolutionem neque debet denegare, neque potest*. Deinde istam apud Bartho-

(a) *Quæstione de Confess. difficult.* 8.
(b) *In praxi pœnit. c.* 22. *q.* 3.
(c) *Edit. Veneta* 1559. *in* 1 2 *q* 19. *disput.* 86.

III. DIAL.
Avertissement aux Confesseurs.

præfixo titulo: *Admonitio ad Confessarios*, ubi post varias præceptiones, & consilia, quibus ad confessiones piè, sanctèque excipiendas eos uti jubet, hoc postremum, ut est in hisce meis excerptis, subjicit: *Pater Valerius Reginaldus Societatis Jesu, qui docuit Theologiam Dolæ* (is unus eorum est, quos pessimè Paschalis accipit) *novissimè librum emisit de Prudentia Confessariorum, ex quo magna in eos, qui legent, utilitas redundabit. Habetis, fratres carissimi, quinque & viginti capita, quæ vobis judicavi esse proponenda, &c.*

Venit etiam in meas manus ejusdem Sanctissimi viri ad Patrem Lessium Epistola, quæ cum cæteris ipsius litteris edita non est, sed alibi extat, cujus autographum Antuerpiæ servatur. qua in epistola primum quidem significat quanto habeat in pretio libros, quicunque a Societatis Scriptoribus prodeunt, ac præ cęteris confectos ab ipso privatim Lessio; deinde hæc subdit: *Legi ante annos aliquot utilissimum opus tuum de Justitia & Jure, in quo non solide minùs quam dilucidè, atque adeò meliùs, quàm ulli, quos quidem legerim, Theologi, solvis & explicas difficillimos, qui occurrunt in hac Theologiæ parte, nodos*. Quemnam autem eo loco librum, adjecit Abbas, S. Franciscus Salesius tam honorificè prædicat? quem sibi tantopere satisfecisse profitetur? Illum ipsum videlicet (id a vobis animadverti velim) quo Lessius, apud Paschalem, nomen hoc & elogium est promeritus, ut homicidarum, decoctorum, fęneratorum &c. patronus & fautor diceretur.

Rem narras haud leviter sane animadverten-

scendam, ait Cleander: neque minoris, opinor, ponderis ac momenti auctoritas Sanctorum Borromæi & Salesii, quam Paschalis & Nicolii esse debet. III. Dial.

Quid quod nuperrimè, adjecit Abbas, unus è spectatissimis & illustrissimis Galliæ Præsulibus, Episcopus Meldensis, in suis Synodalibus Statutis numeravit inter libros à Sacerdotibus suæ Diœcescos perlegendos ad artem rite confessiones audiendi perdiscendam, Toletum & Azorium, ambos è Societate JESU, quorum alter etiam a Paschale numeratus est inter primarios heroas doctrinæ morum solutæ? an non habent Jesuitæ quòd gaudeant gratulenturque sibi, non omnes omnino Portu-Regiorum technis ac fallaciis irretitos esse?

Monsieur le Evesque de Meaux,

Eo decurrebat Abbas ut Jesuitarum Apologiam persequeretur, in qua videbatur illi oratio non defutura, ita probè instructam litem & adornatam attulerat; cum perincommodè accidit ut afferretur Eudoxo de re gravioris momenti scheda, cui rescribendum illico foret. Ibi Cleander Abbatem orare vehementer institit, ut colloquiis omnibus adesse ne gravaretur, quæ de Litteris Provincialibus ipse cum Eudoxo habiturus erat; quod se facturum Abbas prolixè est pollicitus. Ita inter eos convenit, ut postridie in Bibliothecam Parisiensem aliquam se conferrent, inspicerentque num Thomistæ, Lovanienses, cæterique in tradenda Opinionis Probabilis doctrina cum Jesuitis Sorbonicisque Professoribus consentirent. Item ut componerent accuratè cum ipsis Auctorum libris eos locos quibus erat usus Abbas, ut ostenderet

III. DIAL. immutata, vitiata, & prolata fallaciter a Paschale & Wendrokio Jesuiticæ doctrinæ principia. Quod esse verum si deprehenderetur, nihil se dicturos ajebant causæ, quin utrumque, uti postulabat, mendacem & impostorem simpliciter aperteque pronunciarent. Ad extremum id sibi faciendum decrevère, ut eos locos expenderent singillatim, quos Jesuitæ contestantur detruncatos magnam partem, aut falso productos, aut perperam trajectos. Ita demum Abbas & Cleander abscesserunt.



IV. DIALOGUS.

Postridie convenit Eudoxum & Cleandrum Abbas hora cōstituta. Eos extemplo deduxit ad Patres N. N.. quorum Bibliothecam norat libris, quos expetebant, probè instructam. Hic novà victorià pars veritatis auxit. Oblatus illi tum fortè est eadem Bibliotheca Baccalaureus, loco nobinatus adolescens, Cleandro & Eudoxo cognis: qui cum eos perhumaniter salutasset, ubi amobrem venissent rescivit, risum enimvero nere non potuit. Rogat quid illis nunc tancem in mentem venerit ea de re dubitare; de a tot ab annis nemini vel levissimus hæreret rupulus. Revocare in dubium, inquit, utrum pinionum Probabilium doctrina Jesuitarum unicè propria, cujus ipsi artifices ac defenres aut soli aut cum paucis quibusdam, puta aramuele aut Diana, sint, perinde est ac dubire Roma sit aliqua in rebus nec ne, aut major izirus in Imperio Turcico.

Hic Abbas: Sic sum, inquit, alienis oculis pam fido: præstat omnino, cum de factis ejusmoi agitur, omnia inspicere per se se: & magnam nobis gratiam inieris, si nos adjuvare non graberis ad eam rem quam paramus. Id agimus mum ut refellamus ac pudore suffundamus è suitis unum, cujus audacia nimium diu cteilis hominum auribus impune verba dedit. le ante annos triginta non dubitavit affirma-, terras ac flagitiosas suæ Societatis in doctri-

IV. DIAL. namorum opiniones, communes eidem esse cum Ordinibus religiosis omnibus, cum plurimis Episcopis, cum celeberrimis Europæ totius Academiis, cum ipsa denique Sorbona, cujus in oculis, in ore tot sapientissimorum Doctorum, suam illam audaciam defigere non erubuit. Extat istius Jesuitæ liber Parisiis editus cum privilegio: in quo quidem prætermissà juris quæstione, verà ne an falsa, frugi an prava Probabilitatis doctrina sit, hæret in quæstione facti, & id unum probandum suscipit, doctrinam hanc centum ab hinc fermè annos, ad annum usque 1660 quo librum suum edidit, communem fuisse ac pervagatam omnium istorum Præsulum, Ordinum Religiosorum omnium, Academiarum & Doctorum: quod si unus aliquis proferatur illam qui oppugnaverit, se facile daturum alios decem, a quibus fuerit propugnata: ex tribus ad summum quatuorve, qui ab ea discesserint, duos e Societate ipsa esse. Audin' paradoxum? adjecit Abbas irato similis (loqui ex animo crederes): tum sermonem prosecutus, Scriptor iste, inquit, quò rem propositam clariùs distinctiùsque conficiat, omnem Probabilitatis doctrinam revocat ad propositiones duas, quibus re ipsa continetur tota. Prima est, *Duarum opinionum probabilium licet amplecti minus tutam*: Altera, *ex opinionibus duabus probabilibus licet sequi minus probabilem*. En tibi duo monstra, en duo pestiferi fœtus, è detestanda Jesuitarum calliditate politica procreati, ut Paschalis & Wendrokius affirmant; in quos ipsi tota opum vi depugnandum sibi esse putaverunt. In hoc tamen libello (& libellum è pera pro-

I. *Libellus inscriptus* Quæstio facti, *quid argumenti, & quonam pacto tractet.*

II. *Capita duo, ad quæ revocatur tota quæstio Probabilitatis opinionum.*

protulit) fidenter asseritur istas propositiones duas nunc separatim nunc conjunctim fuisse traditas ab agmine permagno Theologorum, qui Jesuitæ non essent, quorum & appellantur nomina, & scripta recensentur. Obsecro, hujus tu scriptoris, si vera non dicit, insolentiam feras? IV. DIAL.

Hic enimvero ridere juvenis Baccalaureus cum Eudoxo & Cleandro, qui de industria id satagebant ut illi assentiri, & omnem abrogare libello ejusque auctori Jesuitæ fidem viderentur. Tum ille: Ego vero, inquit, non gravabor venire in partem laboris & operæ, quam Abbas ornatissimus suscipere, licet inutilem, decrevit. Itum ad libros continuò, quos Bibliothecæ Præfectus, ut quisque postulabatur, promebat. Ordinem capitum in opusculo Jesuitæ descriptorum servarunt, & ab Episcoporum indice sunt exorsi.

III. *S. Antonini sententia de Probabili Opinione.*

Lecta primùm est in Sancto Antonino propositio prior his verbis expressa: *Eligere viam tutiorem consilii est, non præcepti*. Torserat iste locus Wendrokium: itaque respondit, ibi Antoninum agere duntaxat de conditionum & vitæ generum delectu; idque unum velle, quamvis tutior vitæ religiosæ via foret, nullius tamen præcepti esse amplecti vitam religiosam, sed tantùm consilii. Sed hæc Wendrokii explicatio ut refelleretur, perlectum est quod ex eodem loco deinceps attulit Jesuita libelli auctor. Agit ibi Antoninus de actione, in qua dubitatur an peccati quidpiam subsit, necne: id quod revera summa & cardo est, in quo tota hujus Paragraphi quæstio vertitur. Sic igitur scribit Antoninus.

IV. DIAL. *Quod dicitur Ecclesiastici* 3. Qui amat periculum, in illo peribit. *Hinc est quod B. Thomas & alii dicunt, quod ille qui agit id de quo est dubium utrum sit mortale an non, peccat mortaliter, quia periculo se exponit mortalis. Cum ergo in aliqua materia morali sunt varia & contraria opiniones, ille qui adhæret opinioni laxioris via videtur se exponere periculo mortalis, quia in dubio; cum possit illa opinio esse falsa & contraria vera. Sed ad hoc respondetur, quod utique ille qui agit scienter id de quo dubitat esse mortale, permanente dubitatione, mortaliter peccat, etiamsi illud in se non esset mortale; sumendo proprie & strictè dubitationem, videlicet prout rationes sunt æque ponderantes ad utramque partem, nec magis declinat quis ad unam quàm ad aliam. Sed si dubitet leviter quis, & per modum scrupuli; sicut dubitat & formidat habens opinionem de aliquo, quia ita inhæret ipsi sententia, quod tamen formidat de opposito; sic agendo contra tale dubium, non peccatur, dum adhæret opinioni alicujus Doctoris, & habet rationes probabiles pro ipsa magis quàm pro opposita opinione; etiamsi ipsa opinio, quam tenet, non esset vera: & hoc, nisi ipsa opinio sumpta esset contra manifestum testimonium Scripturæ, vel determinationem Ecclesiæ. Talis enim non operatur in dubio mortalis, sed secundùm opinionem probabilem.*

Hæc doctrina Baccalaureo parum arridebat: nec satis poterat capere, quemadmodum posset extra noxam esse qui quid ageret dubitatione implicatus. Abbas adhibendam ibi dixit ex Antonini ac Theologorum illi suffragantium sen-

sententia principiisque distinctionem dubitationis *Speculativæ* & *Practicæ:* quod negent illi scilicet alteram cum altera necessario junctam esse, ac fieri contendant posse ut aliquis agat in dubio *speculativo* ; quamvis manente dubio *practico*, ad agendum prosilire sit nefas. Cæterum, inquit, hodierna nobis quęstio de Jure non est, sed de Facto: neque id agimus recte an secus Antoninus senserit; sed quàm belle probent Jesuitæ illum in eadem cum ipsis fuisse sententiâ. IV. Dial.

Saltem, subjunxit Baccalaureus, id videtur Antoninus optare ut sequamur opinionem probabiliorem, dum concedit ut sequamur minus tutam.

Neque vero quidquam aliud amplius contendit Jesuita, inquit Abbas. hoc unum probare nititur, Antoninum in ea fuisse sententia ut putaret concessum esse opinionem sequi merè probabilem; atque adeò ex duabus probabilibus amplecti minus tutam, tametsi non vacet ea periculo falsitatis. Si esset hic disputandi locus, hoc uno S. Antonini principio universam Paschalis ac Wendrokii de hoc negotio Theologiam everteremus.

IV. *Quid sentiãt de Probabilitate Didacus Alvarez, Zerola, Maldenus, & alii Episcopi.*

Ventum deinde est ad Didacum Alvarem, celeberrimum illum in concertatione *de Auxiliis* Dominicanæ causæ defensorem, dum in eadem adhuc Religiosa Familia censeretur: qui postmodum ad Travienſem in Regno Neapolitano Episcopatum est evectus. Disputationis octogesimæ titulus hic erat: *An ex duabus opinionibus probabilibus liceat amplecti utramlibet, relicta etiam probabiliore.* Ac primo quidem

 dem

IV. DIAL. dem exponit quid Cajetanus sentiat, quid alii Thomistæ nonnulli, qui videntur censere amplectendam esse probabiliorem: deinde loquitur hunc in modum num. 4. *Secunda sententia est præcedenti opposita asserentium quod quilibet potest sequi opinionem quam judicat esse probabilem. Tenet hanc sententiam Magister Medina & alii doctissimi Thomistæ.* Tum pergit. *Videtur probabilior alia tertia opinio, quam tenet Magister Bannes 2. 2. q. 10. art. 1. dub. 3. concl. 4.*

Hanc tertiam sententiam explicat ipse, additque certos cancellos intra quos continere sese debeat quisquis opinionem sequatur minus probabilem, & intra quos si quis consistat, conciliari videntur posse priores duæ. Sunt autem illi; ne quid importet opinio detrimenti sive alteri homini sive Religioni; ne sit ulla circumstantia quæ honori divino adversetur. Demum præstruit aliqua fundamenta, quæ communiter admittuntur ab auctoribus utriusque sententiæ. *Quando*, inquit, *opiniones sunt æque probabiles, potest quis sequi quam maluerit per se loquendo. Et idem dicendum quando excessus in probabilitate est minimus: tunc enim saltem non erit peccatum mortale sequi opinionem minus probabilem.*

Addit: *Quando pœnitens secutus est opinionem practicè probabilem, tenetur Confessarius absolvere illum & sese conformare sententiæ pœnitentis, etiamsi habeat evidentiam oppositæ sententiæ. Verbigratia pœnitens fecit aliquem contractum, de quo probabilis opinio asserit esse licitum; Confessarius autem tenet tanquam probabilius, aut tanquam certum sibi, quòd est illicitus:*

non

non poterit negare absolutionem pœnitenti,etiãsi pœnitens nolit absistere ab illo contractu . . . Et ratio est, inquit paulo ante: *nam pœnitens sequendo opinionem probabilem non peccavit*. His ita constitutis,hanc tertiam sententiam amplectitur , & argumentis Cajetani respondet , quæ , magnam partem,id unum probant, adhibendas esse videlicet eas,de quibus antea meminit,circumscriptiones,& fines,quos cūncti Jesuitæ,qui quidem hanc sententiam sequuntur , nequaquam omittunt adhibere. IV. DIAL.

Tum vero Abbas ita breviter est prolocutus, & ex iis quæ perlecta erant hactenus collegit, primo nihil dici clarius posse quo doceretur multis in locis fas esse *opinionem sequi minus probabilem, etsi minus tutam:* deinde ex uno Alvaris testimonio satis constare Medinam, & doctissimos alios Thomistas in ea esse sententia, quæ Jesuitarum esse propria diceretur: atque adeo nihil esse cur de libris eorundem Thomistarum evolvendis, & singillatim inspiciendis præterea laborarent.

His auditis hęrere,atque obstupescere Baccalaureus noster : ridere clam & in sinu Cleander & Eudoxus,qui pridiano cum Abbate congressu eruditi,minus ista mirari didicerant.

At institutum sermonem prosecutus Abbas, sequentem propositionem ostendit apud Josephum Anglez Episcopum Bozanensem in Sardinia (*a*);Thomã Zerolam (*b*);Malderũ Episcopum Antuerpiensem (*c*). *Quando pœnitentis opinio est probabilis , & si Sacerdotis opinio probabilior sit , Sacerdos illi absolutionem neque debet denegare, neque potest* . Deinde istam apud Bartho-

(a) *Quæstione de Confess. dif. ficult.* 8.
(b) *In praxi pœnit. c.* 22. *q.* 3.
(c) *Edit. Veneta* 1559. *in* 1 2 *q* 19. *disput.* 86.

III. DIAL.
Avertissement aux Confesseurs.

præfixo titulo: *Admonitio ad Confessarios*, ubi post varias præceptiones, & consilia, quibus ad confessiones piè, sanctèque excipiendas eos uti jubet, hoc postremum, ut est in hisce meis excerptis, subjicit: *Pater Valerius Reginaldus Societatis Jesu, qui docuit Theologiam Dolæ* (is unus eorum est, quos pessimè Paschalis accipit) *novissimè librum emisit de Prudentia Confessariorum, ex quo magna in eos, qui legent, utilitas redundabit. Habetis, fratres carissimi, quinque & viginti capita, quæ vobis judicavi esse proponenda, &c.*

Venit etiam in meas manus ejusdem Sanctissimi viri ad Patrem Lessium Epistola, quæ cum cæteris ipsius litteris edita non est, sed alibi extat, cujus autographum Antuerpiæ servatur. qua in epistola primum quidem significat quanto habeat in pretio libros, quicunque a Societatis Scriptoribus prodeunt, ac præ cęteris confectos ab ipso privatim Lessio; deinde hæc subdit: *Legi ante annos aliquot utilissimum opus tuum de Justitia & Jure, in quo non solide minùs quam dilucidè, atque adeò meliùs, quàm ulli, quos quidem legerim, Theologi, solvis & explicas difficillimos, qui occurrunt in hac Theologia parte, nodos*. Quemnam autem eo loco librum, adjecit Abbas, S. Franciscus Salesius tam honorificè prædicat? quem sibi tantopere satisfecisse profitetur? Illum ipsum videlicet (id a vobis animadverti velim) quo Lessius, apud Paschalem, nomen hoc & elogium est promeritus, ut homicidarum, decoctorum, fęneratorum &c. patronus & fautor diceretur.

Rem narras haud leviter sane animadver-

ten-

im, ait Cleander: neque minoris, opinor, III. DIAL.
eris ac momenti auctoritas Sanctorum
omæi & Salesii, quam Paschalis & Nicolii
lebet.

aid quod nuperrimè, adjecit Abbas, unus è
atissimis & illustrissimis Galliæ Præsuli-
Episcopus Meldensis, in suis Synodalibus
atis numeravit inter libros à Sacerdotibus
Diœceseos perlegendos ad artem rite con-
ones audiendi perdiscendam, Toletum &
orium, ambos è Societate JESU, quorum
er etiam a Paschale numeratus est inter pri-
rios heroas doctrinæ morum solutæ? an non
ent Jesuitæ quòd gaudeant gratulenturque
, non omnes omnino Portu-Regiorum te-
is ac fallaciis irretitos esse?

Monsieur le Evesque de Meaux,

Eo decurrebat Abbas ut Jesuitarum Apolo-
m persequeretur, in qua videbatur illi ora-
non defutura, ita probè instructam litem &
ornatam attulerat; cum perincommodè ac-
dit ut afferretur Eudoxo de re gravioris mo-
enti scheda, cui rescribendum illico foret. Ibi
cander Abbatem orare vehementer institit,
colloquiis omnibus adesse ne gravaretur,
æ de Litteris Provincialibus ipse cum Eudo-
o habiturus erat; quod se facturum Abbas pro-
xè est pollicitus. Ita inter eos convenit, ut
ostridie in Bibliothecam Parisiensem aliquam
e conferrent, inspicerentque num Thomistæ,
ovanienses, cæterique in tradenda Opinionis
Probabilis doctrina cum Jesuitis Sorbonicis-
que Professoribus consentirent. Item ut com-
ponerent accuratè cum ipsis Auctorum libris
eos locos quibus erat usus Abbas, ut ostenderet

H im-

III. DIAL. immutata, vitiata, & prolata fallaciter a Paschale & Wendrokio Jesuiticæ doctrinæ principia. Quod esse verum si deprehenderetur, nihil se dicturos ajebant causæ, quin utrumque, uti postulabat, mendacem & impostorem simpliciter aperteque pronunciarent. Ad extremum id sibi faciendum decrevère, ut eos locos expenderent singillatim, quos Jesuitæ contestantur detruncatos magnam partem, aut falso productos, aut perperam trajectos. Ita demum Abbas & Cleander abscesserunt.



IV. DIA-

V. DIALOGUS.

POstridie convenit Eudoxum & Cleandrum Abbas hora cōstituta. Eos extemplo deduxit ad Patres N. N.. quorum Bibliothecam norat libris, quos expete- probè instructam. Hic novà victorià par- ritatis auxit. Oblatus illi tum fortè est idem Bibliotheca Baccalaureus, loco nobitus adolescens, Cleandro & Eudoxo cogniqui cum eos perhumaniter salutasset, ubi nobrem venissent rescivit, risum enimvero re non potuit. Rogat quid illis nunc tanin mentem venerit ea de re dubitare, de tot ab annis nemini vel levissimus hæreret pulus. Revocare in dubium, inquit, utrum nionum Probabilium doctrina Jesuitarum nicè propria, cujus ipsi artifices ac defens aut soli aut cum paucis quibusdam, puta amuele aut Diana, sint, perinde est ac dubi- Roma sit aliqua in rebus nec ne, aut major itus in Imperio Turcico.

Hic Abbas: Sic sum, inquit, alienis oculis pa- n fido: præstat omnino, cum de factis ejusmo- agitur, omnia inspicere per se se: & magnam obis gratiam inieris, si nos adjuvare non graberis ad eam rem quam paramus. Id agimus mum ut refellamus ac pudore suffundamus è suitis unum, cujus audacia nimium diu cetelis hominum auribus impune verba dedit. le ante annos triginta non dubitavit affirma- , tetras ac flagitiosas suæ Societatis in doctri-

IV. DIAL. namorum opiniones, communes eidem esse cum Ordinibus religiosis omnibus, cum plurimis Episcopis, cum celeberrimis Europæ totius Academiis, cum ipsa denique Sorbona, cujus in oculis, in ore tot sapientissimorum Doctorum, suam illam audaciam defigere non erubuit. Extat istius Jesuitæ liber Parisiis editus cum privilegio: in quo quidem prætermissà juris quæstione, verà ne an falsa, frugi an prava Probabilitatis doctrina sit, hæret in quæstione facti, & id unum probandum suscipit, doctrinam hanc centum ab hinc fermè annos, ad annum usque 1660 quo librum suum edidit, communem fuisse ac pervagatam omnium istorum Præsulum, Ordinum Religiosorum omnium, Academiarum & Doctorum: quod si unus aliquis proferatur illam qui oppugnaverit, se facile daturum alios decem, a quibus fuerit propugnata: ex tribus ad summum quatuorve, qui ab ea discesserint, duos e Societate ipsa esse. Audin' paradoxum? adjecit Abbas irato similis (loqui ex animo crederes): tum sermonem prosecutus, Scriptor iste, inquit, quò rem propositam clariùs distinctiùsque conficiat, omnem Probabilitatis doctrinam revocat ad propositiones duas, quibus re ipsa continetur tota. Prima est, *Duarum opinionum probabilium licet amplecti minus tutam*: Altera, *ex opinionibus duabus probabilibus licet sequi minus probabilem*. En tibi duo monstra, en duo pestiferi fœtus, è detestanda Jesuitarum calliditate politica procreati, ut Paschalis & Wendrokius affirmant; in quos ipsi tota opum vi depugnandum sibi esse putaverunt. In hoc tamen libello (& libellum è pera pro-

I. *Libellus inscriptus* Quæstio facti, *quid argumenti, & quonam pacto tractet.*

II. *Capita duo, ad quæ revocatur tota quæstio Probabilitatis opinionum.*

protulit) fidenter asseritur istas propositiones duas nunc separatim nunc conjunctim fuisse traditas ab agmine permagno Theologorum, qui Jesuitæ non essent, quorum & appellantur nomina, & scripta recensentur. Obsecro, hujus tu scriptoris, si vera non dicit, insolentiam feras?

IV. Dial.

Hic enimvero ridere juvenis Baccalaureus cum Eudoxo & Cleandro, qui de industria id satagebant ut illi assentiri, & omnem abrogare libello ejusque auctori Jesuitæ fidem viderentur. Tum ille: Ego vero, inquit, non gravabor venire in partem laboris & operæ, quam Abbas ornatissimus suscipere, licet inutilem, decrevit. Itum ad libros continuò, quos Bibliothecæ Præfectus, ut quisque postulabatur, promebat. Ordinem capitum in opusculo Jesuitæ descriptorum servarunt, & ab Episcoporum indice sunt exorsi.

III. *S. Antonini sententia de Probabili Opinione.*

Lecta primùm est in Sancto Antonino propositio prior his verbis expressa: *Eligere viam tutiorem consilii est, non præcepti*. Torserat iste locus Wendrokium: itaque respondit, ibi Antoninum agere duntaxat de conditionum & vitæ generum delectu; idque unum velle, quamvis tutior vitæ religiosæ via foret, nullius tamen præcepti esse amplecti vitam religiosam, sed tantùm consilii. Sed hæc Wendrokii explicatio ut refelleretur, perlectum est quod ex eodem loco deinceps attulit Jesuita libelli auctor. Agit ibi Antoninus de actione, in qua dubitatur an peccati quidpiam subsit, necne: id quod revera summa & cardo est, in quo tota hujus Paragraphi quæstio vertitur. Sic igitur scribit Antoninus.

IV. DIAL. *Quod dicitur Ecclesiastici* 3. Qui amat periculum, in illo peribit. *Hinc est quod B. Thomas & alii dicunt, quod ille qui agit id de quo est dubium utrum sit mortale an non, peccat mortaliter, quia periculo se exponit mortalis. Cum ergo in aliqua materia morali sunt varia & contraria opiniones, ille qui adhæret opinioni latioris via videtur se exponere periculo mortalis, quia in dubio; cum possit illa opinio esse falsa & contraria vera. Sed ad hoc respondetur, quod utique ille qui agit scienter id de quo dubitat esse mortale, permanente dubitatione, mortaliter peccat, etiamsi illud in se non esset mortale; sumendo proprie & strictè dubitationem, videlicet prout rationes sunt æque ponderantes ad utramque partem, nec magis declinat quis ad unam quàm ad aliam. Sed si dubitet leviter quis, & per modum scrupuli; sicut dubitat & formidat habens opinionem de aliquo, quia ita inhæret ipsi sententia, quod tamen formidat de opposito; sic agendo contra tale dubium, non peccatur, dum adhæret opinioni alicujus Doctoris, & habet rationes probabiles pro ipsa magis quàm pro opposita opinione; etiamsi ipsa opinio, quam tenet, non esset vera: & hoc, nisi ipsa opinio sumpta esset contra manifestum testimonium Scriptura, vel determinationem Ecclesia. Talis enim non operatur in dubio mortalis, sed secundùm opinionem probabilem.*

Hæc doctrina Baccalaureo parum arridebat; nec satis poterat capere, quemadmodum posset extra noxam esse qui quid ageret dubitatione implicatus. Abbas adhibendam ibi dixit ex Antonini ac Theologorum illi suffragantium sen-

sententia principiisque distinctionem dubitationis *Speculativæ* & *Practicæ:* quod negent illi scilicet alteram cum altera necessario junctam esse, ac fieri contendant posse ut aliquis agat in dubio *speculativo* ; quamvis manente dubio *practico*, ad agendum prosilire sit nefas. Cæterum, inquit, hodierna nobis quæstio de Jure non est, sed de Facto: neque id agimus recte an secus Antoninus senserit; sed quàm belle probent Jesuitæ illum in eadem cum ipsis fuisse sententiâ. IV. DIAL.

Saltem, subjunxit Baccalaureus, id videtur Antoninus optare ut sequamur opinionem probabiliorem, dum concedit ut sequamur minus tutam.

Neque vero quidquam aliud amplius contendit Jesuita, inquit Abbas. hoc unum probare nititur, Antoninum in ea fuisse sententia ut putaret concessum esse opinionem sequi merè probabilem; atque adeò ex duabus probabilibus amplecti minus tutam, tametsi non vacet ea periculo falsitatis. Si esset hic disputandi locus, hoc uno S. Antonini principio universam Paschalis ac Wendrokii de hoc negotio Theologiam everteremus.

IV. *Quid sentiāt de Probabilitate Didacus Alvarez, Zerola, Maldenus, & alii Episcopi.*

Ventum deinde est ad Didacum Alvarem, celeberrimum illum in concertatione *de Auxiliis* Dominicanæ causæ defensorem, dum in eadem adhuc Religiosa Familia censeretur: qui postmodum ad Tranienſem in Regno Neapolitano Episcopatum est evectus. Disputationis octogesimæ titulus hic erat: *An ex duabus opinionibus probabilibus liceat amplecti utram libet, relicta etiam probabiliore.* Ac primo qui-

dem exponit quid Cajetanus sentiat, quid alii Thomistæ nonnulli, qui videntur censere amplectendam esse probabiliorem: deinde loquitur hunc in modum num. 4. *Secunda sententia est præcedenti opposita asserentium quod quilibet potest sequi opinionem quam judicat esse probabilem. Tenet hanc sententiam Magister Medina & alii doctissimi Thomistæ.* Tum pergit. *Videtur probabilior alia tertia opinio, quam tenet Magister Bannes 2. 2. q. 10. art. 1. dub. 3. concl. 4.*

Hanc tertiam sententiam explicat ipse, additque certos cancellos intra quos continere sese debeat quisquis opinionem sequatur minus probabilem, & intra quos si quis consistat, conciliari videntur posse priores duæ. Sunt autem illi; ne quid importet opinio detrimenti sive alteri homini sive Religioni; ne sit ulla circumstantia quæ honori divino adversetur. Demum præstruit aliqua fundamenta, quæ communiter admittuntur ab auctoribus utriusque sententiæ. *Quando*, inquit, *opiniones sunt æque probabiles, potest quis sequi quam maluerit per se loquendo. Et idem dicendum quando excessus in probabilitate est minimus: tunc enim saltem non erit peccatum mortale sequi opinionem minus probabilem.*

Addit: *Quando pœnitens secutus est opinionem practicè probabilem, tenetur Confessarius absolvere illum & sese conformare sententiæ pœnitentis, etiamsi habeat evidentiam oppositæ sententiæ. Verbigratia pœnitens fecit aliquem contractum, de quo probabilis opinio asserit esse licitum; Confessarius autem tenet tanquam probabilius, aut tanquam certum sibi, quòd est illicitus:*

non

non poterit negare absolutionem pœnitenti, etiã si pœnitens nolit absistere ab illo contractu . . . Et ratio est, inquit paulo ante: *nam pœnitens sequendo opinionem probabilem non peccavit.* His ita constitutis, hanc tertiam sententiam amplectitur, & argumentis Cajetani respondet, quæ, magnam partem, id unum probant, adhibendas esse videlicet eas, de quibus antea meminit, circumscriptiones, & fines, quos cuncti Jesuitæ, qui quidem hanc sententiam sequuntur, nequaquam omittunt adhibere. IV. Dial.

Tum vero Abbas ita breviter est prolocutus, & ex iis quæ perlecta erant hactenus collegit, primo nihil dici clarius posse quo doceretur multis in locis fas esse *opinionem sequi minus probabilem, etsi minus tutam:* deinde ex uno Alvaris testimonio satis constare Medinam, & doctissimos alios Thomistas in ea esse sententia, quæ Jesuitarum esse propria diceretur: atque adeo nihil esse cur de libris eorundem Thomistarum evolvendis, & singillatim inspiciendis præterea laborarent.

His auditis hærere, atque obstupescere Baccalaureus noster: ridere clam & in sinu Cleander & Eudoxus, qui pridiano cum Abbate congressu eruditi, minus ista mirari didicerant.

At institutum sermonem prosecutus Abbas, sequentem propositionem ostendit apud Josephum Anglez Episcopum Bozanensem in Sardinia (*a*); Thomã Zerolam (*b*); Malderũ Episcopum Antuerpiensem (*c*). *Quando pœnitentis opinio est probabilis, & si Sacerdotis opinio probabilior sit, Sacerdos illi absolutionem neque debet denegare, neque potest*. Deinde istam apud Bartho-

(a) *Quæstione de Confess. dificult.* 8.
(b) *In praxi pœnit. c.* 22. *q.* 3.
(c) *Edit. Venetæ* 1559. *in* 1. 2 *q* 19. *disput.* 86.

III. DIAL.
Avertissement aux Confesseurs.

præfixo titulo: *Admonitio ad Confessarios*, ubi post varias præceptiones, & consilia, quibus ad confessiones piè, sanctèque excipiendas eos uti jubet, hoc postremum, ut est in hisce meis excerptis, subjicit: *Pater Valerius Reginaldus Societatis Jesu, qui docuit Theologiam Dolæ* (is unus eorum est, quos pessimè Paschalis accipit) *novissimè librum emisit de Prudentia Confessariorum, ex quo magna in eos, qui legent, utilitas redundabit. Habetis, fratres carissimi, quinque & viginti capita, quæ vobis judicavi esse proponenda, &c.*

Venit etiam in meas manus ejusdem Sanctissimi viri ad Patrem Lessium Epistola, quæ cum cæteris ipsius litteris edita non est, sed alibi extat, cujus autographum Antuerpiæ servatur. qua in epistola primum quidem significat quanto habeat in pretio libros, quicunque a Societatis Scriptoribus prodeunt, ac præ cęteris confectos ab ipso privatim Lessio; deinde hæc subdit: *Legi ante annos aliquot utilissimum opus tuum de Justitia & Jure, in quo non solide minùs quam dilucidè, atque adeò meliùs, quàm ulli, quos quidem legerim, Theologi, solvis & explicas difficillimos, qui occurrunt in hac Theologiæ parte, nodos*. Quemnam autem eo loco librum, adjecit Abbas, S. Franciscus Salesius tam honorificè prædicat? quem sibi tantopere satisfecisse profitetur? Illum ipsum videlicet (id a vobis animadverti velim) quo Lessius, apud Paschalem, nomen hoc & elogium est promeritus, ut homicidarum, decoctorum, fęneratorum &c. patronus & fautor diceretur.

Rem narras haud leviter sane animadverten-

ten-

tendam, ait Cleander: neque minoris, opinor, ponderis ac momenti auctoritas Sanctorum Borromæi & Salesii, quam Paschalis & Nicolii esse debet. III. DIAL.

Quid quod nuperrimè, adjecit Abbas, unus è spectatissimis & illustrissimis Galliæ Præsulibus, Episcopus Meldensis, in suis Synodalibus Statutis numeravit inter libros à Sacerdotibus suæ Diœceseos perlegendos ad artem rite confessiones audiendi perdiscendam, Toletum & Azorium, ambos è Societate JESU, quorum alter etiam a Paschale numeratus est inter primarios heroas doctrinæ morum solutæ? an non habent Jesuitæ quòd gaudeant gratulenturque sibi, non omnes omnino Portu-Regiorum technis ac fallaciis irretitos esse? *Monsieur le Evesque de Meaux.*

Eo decurrebat Abbas ut Jesuitarum Apologiam persequeretur, in qua videbatur illi oratio non defutura, ita probè instructam litem & adornatam attulerat; cum perincommodè accidit ut afferretur Eudoxo de re gravioris momenti scheda, cui rescribendum illico foret. Ibi Cleander Abbatem orare vehementer institit, ut colloquiis omnibus adesse ne gravaretur, quæ de Litteris Provincialibus ipse cum Eudoxo habiturus erat; quod se facturum Abbas prolixè est pollicitus. Ita inter eos convenit, ut postridie in Bibliothecam Parisiensem aliquam se conferrent, inspicerentque num Thomistæ, Lovanienses, cæterique in tradenda Opinionis Probabilis doctrina cum Jesuitis Sorbonicisque Professoribus consentirent. Item ut componerent accuratè cum ipsis Auctorum libris eos locos quibus erat usus Abbas, ut ostenderet

III. DIAL. immutata, vitiata, & prolata fallaciter a Paschale & Wendrokio Jesuiticæ doctrinæ principia. Quod esse verum si deprehenderetur, nihil se dicturos ajebant causæ, quin utrumque, uti postulabat, mendacem & impostorem simpliciter aperteque pronunciarent. Ad extremum id sibi faciendum decrevère, ut eos locos expenderent singillatim, quos Jesuitæ contestantur detruncatos magnam partem, aut falso productos, aut perperam trajectos. Ita demum Abbas & Cleander abscesserunt.



IV. DIA-

IV. DIALOGUS.

Postridie convenit Eudoxum & Cleandrum Abbas hora cōstituta. Eos extemplo deduxit ad Patres N. N.. quorum Bibliothecam norat libris,quos expectebant, probè instructam. Hic novà victorià partes veritatis auxit. Oblatus illi tum fortè est in eadem Bibliotheca Baccalaureus,loco nobili natus adolescens,Cleandro & Eudoxo cognitus: qui cum eos perhumaniter salutasset, ubi quamobrem venissent rescivit, risum enimvero tenere non potuit. Rogat quid illis nunc tandem in mentem venerit ea de re dubitare; de qua tot ab annis nemini vel levissimus hæreret scrupulus. Revocare in dubium, inquit, utrum Opinionum Probabilium doctrina Jesuitarum sit unicè propria, cujus ipsi artifices ac defensores aut soli aut cum paucis quibusdam, puta Caramuele aut Diana, sint, perinde est ac dubitare Roma sit aliqua in rebus nec ne, aut major Vizirus in Imperio Turcico.

Hic Abbas:Sic sum,inquit; alienis oculis parùm fido:præstat omnino,cum de factis ejusmodi agitur,omnia inspicere per se se: & magnam a nobis gratiam inieris,si nos adjuvare non gravaberis ad eam rem quam paramus. Id agimus demum ut refellamus ac pudore suffundamus è Jesuitis unum, cujus audacia nimium diu credulis hominum auribus impune verba dedit. Ille ante annos triginta non dubitavit affirmare,teтras ac flagitiosas suæ Societatis in doctri-

IV. DIAL. na morum opiniones, communes eidem esse cum Ordinibus religiosis omnibus, cum plurimis Episcopis, cum celeberrimis Europæ totius Academiis, cum ipsa denique Sorbona, cujus in oculis, in ore tot sapientissimorum Doctorum, suam illam audaciam defigere non erubuit. Extat istius Jesuitæ liber Parisiis editus cum privilegio: in quo quidem prætermissà juris quæstione, verà ne an falsa, frugi an prava Probabilitatis doctrina sit, hæret in quæstione facti, & id unum probandum suscipit, doctrinam hanc centum ab hinc fermè annos, ad annum usque 1660 quo librum suum edidit, communem fuisse ac pervagatam omnium istorum Præsulum, Ordinum Religiosorum omnium, Academiarum & Doctorum: quod si unus aliquis profeeratur illam qui oppugnaverit, se facile daturum alios decem, a quibus fuerit propugnata: ex tribus ad summum quatuorve, qui ab ea discesserint, duos e Societate ipsa esse. Audin' paradoxum? adjecit Abbas irato similis (loqui ex animo crederes): tum sermonem prosecutus, Scriptor iste, inquit, quò rem propositam clariùs distinctiùsque conficiat, omnem Probabilitatis doctrinam revocat ad propositiones duas, quibus re ipsa continetur tota. Prima est, *Duarum opinionum probabilium licet amplecti minus tutam*: Altera, *ex opinionibus duabus probabilibus licet sequi minus probabilem*. En tibi duo monstra, en duo pestiferi fœtus, è detestanda Jesuitarum calliditate politica procreati, ut Paschalis & Wendrokius affirmant; in quos ipsi tota opum vi depugnandum sibi esse putaverunt. In hoc tamen libello (& libellum è pera

pro-

I. *Libellus inscriptus* Quæstio facti, *quid argumenti, & quonam pacto tractet.*

II. *Capita duo, ad quæ revocatur tota quæstio Probabilitatis opinionum.*

protulit) fidenter asseritur istas propositiones duas nunc separatim nunc conjunctim fuisse traditas ab agmine permagno Theologorum, qui Jesuitæ non essent, quorum & appellantur nomina,& scripta recensentur. Obsecro, hujus tu scriptoris, si vera non dicit, insolentiam feras? IV. Dial.

Hic enimvero ridere juvenis Baccalaureus cum Eudoxo & Cleandro, qui de industria id satagebant ut illi assentiri, & omnem abrogare libello ejusque auctori Jesuitæ fidem viderentur. Tum ille: Ego vero, inquit, non gravabor venire in partem laboris & operæ, quam Abbas ornatissimus suscipere, licet inutilem, decrevit. Itum ad libros continuò,quos Bibliothecæ Præfectus, ut quisque postulabatur, promebat. Ordinem capitum in opusculo Jesuitæ descriptorum servarunt, & ab Episcoporum indice sunt exorsi.

III. *S. Antonini sententia de Probabili Opinione.*

Lecta primùm est in Sancto Antonino propositio prior his verbis expressa: *Eligere viam tutiorem consilii est, non præcepti*. Torserat iste locus Wendrokium: itaque respondit, ibi Antoninum agere duntaxat de conditionum & vitæ generum delectu;idque unum velle,quamvis tutior vitæ religiosæ via foret, nullius tamen præcepti esse amplecti vitam religiosam, sed tantùm consilii. Sed hæc Wendrokii explicatio ut refelleretur, perlectum est quod ex eodem loco deinceps attulit Jesuita libelli auctor. Agit ibi Antoninus de actione,in qua dubitatur an peccati quidpiam subsit, necne:id quod revera summa & cardo est,in quo tota hujus Paragraphi quæstio vertitur. Sic igitur scribit Antoninus.

IV. DIAL. *Quod dicitur Ecclesiastici* 3. Qui amat periculum, in illo peribit. *Hinc est quod B. Thomas & alii dicunt, quod ille qui agit id de quo est dubium utrum sit mortale an non, peccat mortaliter, quia periculo se exponit mortalis. Cum ergo in aliqua materia morali sunt variæ & contrariæ opiniones, ille qui adhæret opinioni latioris viæ videtur se exponere periculo mortalis, quia in dubio; cum possit illa opinio esse falsa & contraria vera. Sed ad hoc respondetur, quod utique ille qui agit scienter id de quo dubitat esse mortale, permanente dubitatione, mortaliter peccat, etiamsi illud in se non esset mortale; sumendo propriè & strictè dubitationem, videlicet prout rationes sunt æque ponderantes ad utramque partem, nec magis declinat quis ad unam quàm ad aliam. Sed si dubitet leviter quis, & per modum scrupuli; sicut dubitat & formidat habens opinionem de aliquo, quia ita inhæret ipsi sententiæ, quod tamen formidat de opposito; sic agendo contra tale dubium, non peccatur, dum adhæret opinioni alicujus Doctoris, & habet rationes probabiles pro ipsa magis quàm pro opposita opinione; etiamsi ipsa opinio, quam tenet, non esset vera: & hoc, nisi ipsa opinio sumpta esset contra manifestum testimonium Scripturæ, vel determinationem Ecclesiæ. Talis enim non operatur in dubio mortalis, sed secundùm opinionem probabilem.*

Hæc doctrina Baccalaureo parum arridebat; nec satis poterat capere, quemadmodum posset extra noxam esse qui quid ageret dubitatione implicatus. Abbas adhibendam ibi dixit ex Antonini ac Theologorum illi suffragantium

sen-

sententia principiisque distinctionem dubitationis *Speculativæ* & *Practicæ*: quod negent illi scilicet alteram cum altera necessario junctam esse, ac fieri contendant posse ut aliquis agat in dubio *speculativo*; quamvis manente dubio *practico*, ad agendum prosilire sit nefas. Cæterum, inquit, hodierna nobis quęstio de Jure non est, sed de Facto: neque id agimus recte an secus Antoninus senserit; sed quàm belle probent Jesuitæ illum in eadem cum ipsis fuisse sententiâ. IV. DIAL.

Saltem, subjunxit Baccalaureus, id videtur Antoninus optare ut sequamur opinionem probabiliorem, dum concedit ut sequamur minus tutam.

Neque vero quidquam aliud amplius contendit Jesuita, inquit Abbas. hoc unum probare nititur, Antoninum in ea fuisse sententia ut putaret concessum esse opinionem sequi merè probabilem; atque adeò ex duabus probabilibus amplecti minus tutam, tametsi non vacet ea periculo falsitatis. Si esset hic disputandi locus, hoc uno S. Antonini principio universam Paschalis ac Wendrokii de hoc negotio Theologiam everteremus.

IV. *Quid sentiat de Probabilitate Didacus Alvarez, Zerola, Maldenus, & alii Episcopi.*

Ventum deinde est ad Didacum Alvarem, celeberrimum illum in concertatione *de Auxiliis* Dominicanæ causæ defensorem, dum in eadem adhuc Religiosa Familia censeretur: qui postmodum ad Traniensem in Regno Neapolitano Episcopatum est evectus. Disputationis octogesimæ titulus hic erat: *An ex duabus opinionibus probabilibus liceat amplecti utramlibet; relicta etiam probabiliore*. Ac primo qui-

dem exponit quid Cajetanus sentiat, quid alii Thomistæ nonnulli, qui videntur censere amplectendam esse probabiliorem: deinde loquitur hunc in modum num. 4. *Secunda sententia est præcedenti opposita asserentium quod quilibet potest sequi opinionem quam judicat esse probabilem. Tenet hanc sententiam Magister Medina & alii doctissimi Thomistæ.* Tum pergit. *Videtur probabilior alia tertia opinio, quam tenet Magister Bannes 2. 2. q. 10. art. 1. dub. 3. concl. 4.*

Hanc tertiam sententiam explicat ipse, additque certos cancellos intra quos continere sese debeat quisquis opinionem sequatur minus probabilem, & intra quos si quis consistat, conciliari videntur posse priores duæ. Sunt autem illi; ne quid importet opinio detrimenti sive alteri homini sive Religioni; ne sit ulla circumstantia quæ honori divino adversetur. Demum præstruit aliqua fundamenta, quæ communiter admittuntur ab auctoribus utriusque sententiæ. *Quando*, inquit, *opiniones sunt æque probabiles, potest quis sequi quam maluerit per se loquendo. Et idem dicendum quando excessus in probabilitate est minimus: tunc enim saltem non erit peccatum mortale sequi opinionem minus probabilem.*

Addit: *Quando pœnitens secutus est opinionem practicè probabilem, tenetur Confessarius absolvere illum & sese conformare sententiæ pœnitentis, etiamsi habeat evidentiam oppositæ sententiæ. Verbigratia pœnitens fecit aliquem contractum, de quo probabilis opinio asserit esse licitum; Confessarius autem tenet tanquam probabilius, aut tanquam certum sibi, quòd est illicitus:*

non

non poterit negare absolutionem pœnitenti, etiãsi pœnitens nolit absistere ab illo contractu . . . Et ratio est, inquit paulo ante: *nam pœnitens sequendo opinionem probabilem non peccavit.* His ita constitutis, hanc tertiam sententiam amplectitur, & argumentis Cajetani respondet, quæ, magnam partem, id unum probant, adhibendas esse videlicet eas, de quibus antea meminit, circumscriptiones, & fines, quos cuncti Jesuitæ, qui quidem hanc sententiam sequuntur, nequaquam omittunt adhibere. IV. Dial.

Tum vero Abbas ita breviter est prolocutus, & ex iis quæ perlecta erant hactenus collegit, primo nihil dici clarius posse quo doceretur multis in locis fas esse *opinionem sequi minus probabilem, etsi minus tutam:* deinde ex uno Alvaris testimonio satis constare Medinam, & doctissimos alios Thomistas in ea esse sententia, quæ Jesuitarum esse propria diceretur: atque adeo nihil esse cur de libris eorundem Thomistarum evolvendis, & singillatim inspiciendis præterea laborarent.

His auditis hęrere, atque obstupescere Baccalaureus noster: ridere clam & in sinu Cleander & Eudoxus, qui pridiano cum Abbate congressu eruditi, minus ista mirari didicerant.

At institutum sermonem prosecutus Abbas, sequentem propositionem ostendit apud Josephum Anglez Episcopum Bozanensem in Sardinia (*a*); Thomã Zerolam (*b*); Malderũ Episcopum Antuerpiensem (*c*). *Quando pœnitentis opinio est probabilis, & si Sacerdotis opinio probabilior sit, Sacerdos illi absolutionem neque debet denegare, neque potest.* Deinde istam apud Bartho-

(a) *Quæstione de Confess. difficult.* 8.

(b) *In praxi pœnit. c.* 22. *q.* 3.

(c) *Edit. Venetæ* 1559. *in* 1 2 *q* 19. *disput.* 86.

IV. DIAL. dem exponit quid Cajetanus sentiat, quid alii Thomistæ nonnulli, qui videntur censere amplectendam esse probabiliorem: deinde loquitur hunc in modum num. 4. *Secunda sententia est præcedenti opposita asserentium quod quilibet potest sequi opinionem quam judicat esse probabilem. Tenet hanc sententiam Magister Medina & alii doctissimi Thomistæ.* Tum pergit. *Videtur probabilior alia tertia opinio, quam tenet Magister Bannes 2.2.q.10.art.1.dub.3. concl.4.*

Hanc tertiam sententiam explicat ipse, additque certos cancellos intra quos continere sese debeat quisquis opinionem sequatur minùs probabilem, & intra quos si quis consistat, conciliari videntur posse priores duæ. Sunt autem illi; ne quid importet opinio detrimenti sive alteri homini sive Religioni; ne sit ulla circumstantia quæ honori divino adversetur. Demum præstruit aliqua fundamenta, quæ communiter admittuntur ab auctoribus utriusque sententiæ. *Quando*, inquit, *opiniones sunt æque probabiles, potest quis sequi quam maluerit per se loquendo. Et idem dicendum quando excessus in probabilitate est minimus: tunc enim saltem non erit peccatum mortale sequi opinionem minus probabilem.*

Addit: *Quando pœnitens secutus est opinionem practicè probabilem, tenetur Confessarius absolvere illum & sese conformare sententia pœnitentis, etiamsi habeat evidentiam opposita sententiæ. Verbigratia pœnitens fecit aliquem contractum, de quo probabilis opinio asserit esse licitum; Confessarius autem tenet tanquam probabilius, aut tanquam certum sibi, quòd est illicitus:*

non

non poterit negare absolutionem pœnitenti, etiãsi pœnitens nolit absistere ab illo contractu . . . Et ratio est, inquit paulo ante: *nam pœnitens sequendo opinionem probabilem non peccavit.* His ita constitutis, hanc tertiam sententiam amplectitur, & argumentis Cajetani respondet, quæ, magnam partem, id unum probant, adhibendas esse videlicet eas, de quibus antea meminit, circumscriptiones, & fines, quos cūncti Jesuitæ, qui quidem hanc sententiam sequuntur, nequaquam omittunt adhibere. IV. Dial.

Tum vero Abbas ita breviter est prolocutus, & ex iis quæ perlecta erant hactenus collegit, primo nihil dici clarius posse quo doceretur multis in locis fas esse *opinionem sequi minus probabilem, etsi minus tutam:* deinde ex uno Alvaris testimonio satis constare Medinam, & doctissimos alios Thomistas in ea esse sententia, quæ Jesuitarum esse propria diceretur: atque adeo nihil esse cur de libris eorundem Thomistarum evolvendis, & singillatim inspiciendis præterea laborarent.

His auditis hęrere, atque obstupescere Baccalaureus noster: ridere clam & in sinu Cleander & Eudoxus, qui pridiano cum Abbate congressu eruditi, minus ista mirari didicerant.

At institutum sermonem prosecutus Abbas, sequentem propositionem ostendit apud Josephum Anglez Episcopum Bozanensem in Sardinia (*a*); Thomã Zerolam (*b*); Malderũ Episcopum Antuerpiensem (*c*). *Quando pœnitentis opinio est probabilis, & si Sacerdotis opinio probabilior sit, Sacerdos illi absolutionem neque debet denegare, neque potest*. Deinde istam apud Bartho-

(a) *Quæstione de Confess. difficult.* 8.
(b) *In praxi pœnit. c.* 22. *q.* 3.
(c) *Edit. Venetiæ* 1559. *in* 1 2 *q* 19. *disput.* 86.

IV. DIAL. tholomæum Ledesmam Episcopum itidem Dominicanū (d): *Hæc cōclusio est contra Adrianum, quæst. 5. de confess. dub. 7. ubi dicit, quod quis tenetur sequi tutiorem opinionem, & contrariam etiam probabilem omittere: sed nihilominus nostra conclusio est verissima.* Est autem ejusmodi conclusio, *licère sequi minus tutam, & minus probabilem.*

(d) *Tract. de Pœnit. Sacr. difficult.* 14. *pagina* 731. *Edit. Sal.* 1585.

Ibid. Iterum inspectus est Malderus Antuerpiensis Episcopus, ut ejus concepta hæc verba monstrarentur. *Licet aliquando sequi opinionem minus probabilem relicta probabiliori, etiamsi probabilior fuerit tutior... Confessarius tenetur absolvere pœnitentem habentem opinionem probabilem, secundum quam ab eo opere proponit non abstinere, quod secundum probabiliorem tenet esse illicitum. Sequitur & istud ex dictis. Cum enim non habeat pœnitens propositum peccandi, immerito ei negaretur absolutio. Et ita tenent communiter Doctores.*

Repertus est in eandem sententiam locutus fuisse Martinus Bonacina. Quærit, *Utrum peccet, qui sequitur opinionem probabilem, relicta tutiore, vel probabiliore.* Respondet his verbis: *Possumus absque peccato sequi opinionem probabilem, relicta probabiliore, & tutiore.*

Tom. 11. disp. 2. q. 4. p. 9. Datus est etiam suus Barbosæ locus, homini Juris Pontificii, & Canonum consultissimo, eidemque Episcopo Uxentino, quem cæteris astipulari compererunt.

Ventum erat ad Caramuelem denique, cum Abbas paulisper cunctatus: Non ausim, inquit, hunc Jesuitarum adversariis judicem proponere, ita male ab Jansenistis tractatus fuit, nulla di-

dignitatis habita ratione (in Episcoporum quippe ordine recensetur) sed illius æque, ac Escobarii nomini ab iis inusta quædam est ad ludibrium nota, vix ut appellari sine risu possit. Tum autem fortasse longius in hoc negotio progressus est. Sed quicquid demum senserit, cum certe possumus ut testem facti, quod habebat exploratissimum, audire. IV. Dial.

Illa sententia (inquit, in hac sua, quam cernitis, Morali Theologia Alexandro VII. nuncupata) *hodie est omnium, posse hominem tuta conscientia sequi opinionem minus probabilem.* Addit hoc etiam: *Tenet communis sententia esse licitum, relicta opinione probabiliore, & magis tuta, sequi minus probabilem, & minus tutam.*

Habetis igitur, subiunxit Abbas, Episcopos etiam omisso Caramuele octo, omnes & doctrina, & pietate conspicuos, qui priorem doctrinæ Probabilitatis partem tueantur, ac defendant: septem, qui utramque amplectantur partem, hoc est doctrinam hanc, quàm late patet, totam. Age, quid Jesuitis poterat accidere gloriosius, quàm quòd præ ipsis tot homines illustrissimi, & eruditissimi nullo in pretio, ac numero habeantur: quòd in causa, quæ communis omnium est, tanquam duces & signiferi spectentur, dignique judicentur in quos acies hostium incumbat omnis, dum tot Episcopi, tot Antistites, tot magna nomina ne appellantur quidem?

Episcopos dicis tu quidem, retulit Eudoxus arridens, verum Italos dumtaxat, Hispanos, Belgas. Apud me profecto, si Baccalaureus essem, ut hic, Sorbonicus, plus valerent Doctores Sorbonici duo, quàm tota ista Præsulum turba, qui

qui fortè Jesuitis usi magistris, professoribusque sunt. Hoc igitur à Patre tuo Dechamps require, inquit ad Abbatem conversus, ecquos auctores Facultatis Theologicæ Parisiensis pro se laudet, ac citet. Nam ego quidem & Cleander, quorum id non adeo interest, ad Thomistas vobis præparandos interim accingimur.

Lepidam sanè exceptionem tuam! subjecit Abbas. Non placent tot insignes Episcopi tibi, quos etiã fortasse Jesuitis favere suspicaris? Atqui eorum partim mortem obierant, cum Jesuitarum nomen est exortum; partim suos ante Commentarios ediderunt, quàm ullus è Societate quidpiam de Theologia scripsisset; partim etiam Dominicanæ Familiæ, aut Academiæ Lovaniensis Doctores erant, haud multum, ut apparet, de fama Societatis, aut doctrina soliciti. Nihil erit in me tamen moræ quominus Doctorum Parisiensium arbitrio stemus. Inspiciuntur extẽplo Isambertus, Duvallius, Gamachius, Baillius, à Patre Dechamps citati, rogaturque Baccalaureus, ut in ipsis ea legat, quæ pridie Cleandro, & Eudoxo monstrata fuerant, nempè istas propositiones simpliciter, ac sine circuitione perscriptas: *Non tenemur tutiorem sequi opinionem: Sine peccato possum operari secundùm minus probabilem, & minus tutam opinionem, relicta tutiore, & probabiliore.*

Obstupuit Baccalaureus, nec plura se desiderare dixit, sibi factum satis esse. At enim, addidit, cur insedit hæc animis hominum opinio, ut propriam esse Jesuitarum doctrinam hanc affirment omnes, hanc esse veluti tesseram qua secernatur, hoc fundamentum quo nitatur illorũ

cor-

corrupta de moribus doctrina,& ars, industriaque politica? Quid est, quòd Paschalis,& Wendrokius,omissis cæteris,unos illos invadãt; quòd eos,& eorum sententias in hoc negotio, tanquã pestes,ac scãdala Religionis esse dictitent; quòd hæreticos admoneant, ne doctrinam Ecclesiæ Jesuitarum doctrina metiantur, à quorum placitis, & erroribus videlicet Academiæ Catholicæ, Sodalitates aliæ,& Ordines Religiosi cæteri longè abhorreant? Vos vero, inquit, Eudoxum & Cleandrum intuens, graves mihi scrupulos injicitis. Quoties enim huic Societati male precatus sum ob eam causam! Factum quippe est per caritatem, & curam Jansenistarum, ut id adeò certum habeatur, ac testatum,adeò sermonibus omnium celebratum sit, nullum ut à me, cum ita locutus sum, judicii temerarii, aut maledicentiæ,aut calumniæ crimen susceptum esse putaverim. IV. Dial.

Ego vero te laudo, inquit Eudoxus, de religione, & scrupulo illo tuo. Sed age, obsecro; Paschalis, Wendrokius, Arnaldus, ejusque amicorum grex, nonne satis habent auctoritatis, & gravitatis,ut ne dicaris temerè judicare, licet in re falsa? Crede mihi, si ejusmodi peccatorum onere levari voles, ea depone in aures Parochi N.. hominem nosti,austerum in paucis,ac rigidum. Id præsto tamen ac spondeo futurum, ut indignum te, qui absolvaris, non censeat. At rem ipsi omnem cum suis adjunctis omnibus, & appendicibus expone. Nam si temere quidpiam existimasse te, aut malignè prolocutum esse de doctrina nonnullorum Theologorum, generatim dices; de Arnaldo,aut Jansenistis sermonem

esse

IV. DIAL. esse suspicabitur, nec erit impune tibi. Id in Jesuitas admissum à te fateberis? eriget continuo te, consolabitur, & animum quasi religione futili constrictum laxare, ac dilatare benigniùs adnitetur: docebit non esse tam grande piaculum, si quis levicula ista in quèpiam conjiciat: imo si jaciantur in Jesuitas, nonnihil indidem oriri aliquando boni posse.

Sub hæc digresso Baccalaureo, restiterunt ambo aliquandiù, variosq; locos cum ipso Scriptorum, unde sumpti proferebantur, contextu conferre perrexerunt, qui apprimè similes, ac citati cum fide esse, comperti sunt. Sed obstrepente sensim ingrati, & inamœni laboris tædio, quinque tantùm, aut sex præterea delegerunt è præcipuis, & rem disertiùs significantibus, quorum veritatem comprobarent; in primis autem è Dominicanis Theologis petitos: idque ob eam causam, quod & Scholam Thomisticam facerent permagni, & quod ex eadem Dominicana Familia haud ita pridem quosdam, non sat gnaros procuidubio quid sentirent Doctores sui, vidissent, qui dedita opera studerent in Jesuitas derivare quidquid exitii, ac periculi, seu verè, seu falsò, ex opinionum probabilium doctrina metuitur.

V. *Theologorum è Dominicana Familia judicium de Probabilitate.*

Sed antequam alios contenderent locos, monuit Abbas Cleandrum, & Eudoxum, annotaret eam in libello Patris Dechamps paginam, ubi hoc habetur, Theologos Dominicanos, qui de hoc argumento ante annos admodum centum scripsissent, omnes in eo congruere, ut duas istas ex æquo propositiones doceant: *Neminem teneri ad sequendam opinionem tutiorem: Licitum*

esse

esse amplecti minus probabilem, & minus tutam, relicta tutiore, & probabiliore. Adeò ut, pergit ille, nullum ex iis ipsis, quos quidem legerim, aut qui ab auctoribus à me inspectis appellantur, deprehenderim, quem aliud sensisse vel minima suspicio sit. IV. Dial.

In iis autem Thomistis primo loco numerabat Bartholomæum de Medina, quem Antonius Senensis in sua Bibliotheca Theologum excellentem, & numeris omnibus absolutum vocat, nec pietatis minus & probitatis quàm eruditionis laude insignem. Et vero lectæ sunt eæ voces in ejus Commentariis in 1. 2. S. Thomæ qu. 19. art. 6. c. 3. multo ante editis quàm quisquam Jesuita materiam hanc attigisset. *Ex hoc nascitur magna quæstio: Utrum teneamur sequi opinionem probabiliorem, relicta probabili; an satis sit sequi opinionem probabilem.* Exponit deinde contrariam sententiam, atque ita quæstionem secat: *Mihi videtur, quod si est opinio probabilis, licitũ est eam sequi, licet opposita probabilior sit.*

Cum inter auctores, qui ordine descripti sequebantur, legisset Cleander nomen Dominici Bannez, cum consuli placuit. Erat, inquit, Doctor sane gravis, & unus ex iis, quibus Diva Theresa conscientiæ suæ moderatoribus utebatur. Continuo ejus Theologiam in medium profert: aperit locum in Primam Secundæ qu. 10. art. 1. dub. 3. c. 4. ubi sic loquitur. *Dicimus opiniones esse in duplici differentia: quædam enim versantur circa actionem aliquam exercendam, ut an aliquis contractus sit licitus, vel illicitus: quædam vero versantur circa res; an scilicet aliquid ita sit, vel non sit; an hæc domus sit propria, vel aliena.*

IV. DIAL. *na. Dicimus ergo, quod de opinionibus prioris generis verum est, posse hominem sequi probabilem opinionem, relicta probabiliori.*

Eja verò, inquit Eudoxus, Divę Theresiæ moderator, unus quoque è multis illis est, qui laxiorem morum doctrinam sectantur! Neque est remedio locus: nam Sacra Inquisitio, quæ hæc doceri patiebatur, nunquam profecto Portus-Regii Doctorem in Hispania impune degere, aut ibi Litteras Paschalis publicari passa foret.

VI. *Libellus Provincialium vocatus ad Tribunal Inquisitionis in Hispania.*

Documento sit, adjecit Abbas, quod ibidem contigit anno superiori. Non nemo Religiosæ Familiæ alumnus id susceperat, ut Provinciales Hispano sermone donatas, excudendas typis Madriti curaret: nimirùm (sic enim perhibent) ut mitterentur in Indiam usque, & Christianis earum incolis regionum proponerentur Jesuitæ iisdem descripti coloribus, quibus eorum imaginem in Gallorum Catholicorum animis depingere nonnulli voluerunt. Nescio quo fato res ad Inquisitionem delata. Citatur reus: interrogatus de novo, qui penes ipsum deprehensus erat, libro, negat se rescire quid isthuc libri sit: ad se missum fuisse; undènam, indicatum nõ fuisse. Sed folia cum apparerent à Typographo recentia, convictus denique est, & in custodiam, donec aliud statueretur, traditus.

Quid, inquit Cleander, an id quod narras Jesuitæ resciverunt? Maximè, reponit Abbas, dolentque sibi datum esse tam justum de ejusmodi hominibus conquerendi locum.

Perlecti deinde sunt in ipso Jesuitæ libello cęteri, quos laudat, Thomistæ; neque visum est necesse,

cesse, ut ipsimet auctores adirentur, è quibus summa cum fide loci omnes illi revera sunt exscripti. IV. Dial.

Gregorius Martines Tom. 1. in 1. 2. ad qu. 19. art. 6. *Prima Conclusio. Non solum est licitum ex duabus propositionibus æqualiter probabilibus probabilitate practica eligere quam quis maluerit, sed etiam est licitum sequi minus probabilem, relicta probabiliori... Secunda pars Conclusionis est contra Cajetanum, & Sylvestrum; est tamen communis, quam tenet Medina hic, & optimis rationibus probat; & modo probatur, &c.*

Petrus Ledesma in summa par. 2. tract. 8. c. 22. *Respondetur esse probabilius, cum divini perinde naturalisque sit juris, licere Judici sequi opinionem probabilem, relicta probabiliore. Hanc sententiam tenet Magister Medina, & Orellana, & multi alii Doctores, ac præcipuè discipuli S. Thomæ in 2. 2. q. 67. art. 4.*

Ho! nunc certe, exclamavit Cleander, Jesuitæ moralem Dominicanorum doctrinam corrigent. Ut enim liquidò mihi constat, in Societate aliud communiter docetur, cum sermo est de Judicibus: & primarii ejus Doctores huic propositioni palam sunt adversati. Ac optimis illi quidem rationibus nituntur, planèque demonstrant, quid intersit inter Judicum privatim caussam, & cæterorum, quibus aut Religionis decus, aut aliena res, salusque commissa non est.

Suarez, Vasquez, Valentia, Sanchez, Tannerus, Becanus, Coninkus, Granado, Salas, Filicius, Layman, Reginaldus, Gordonus, &c.

Nominabantur deinceps in Indice libelli è Dominicanis Vincentius Candidus Magister Sacri Palatii. *Dico primò: Confessarius quicumq; absolvere potest pœnitẽtem sequentem opinionem probabilem, relicta sua opinione probabilio-*

Tom. 1. Disquis. Moral. Disquis. 3. art. 20.

IV. DIAL. *liori*. Et numero 3. *Utrum liceat in qualibet materia consulere opinionem probabilem, relicta probabiliore?* Respondet: *Quicumque alius consultus extra confessionem licitè potest probabilem opinionem in omni materia amplecti, ac etiam aliis consulere, relicta probabiliori.*

Joannes *Ildephonsus Baptista Cæsaraugustanus*, cujus opus editum Romæ fuit, jubente Dominicani Ordinis Conventu Generali. (In ea circumstantia expendenda sermo aliquantisper hæsit: & hanc opinor Paschalis haud prætermisisset, si qua Theologia Jesuitę Opinionem Probabilem defendentis edita fuisset in lucem jussu Comitiorum Generalium Societatis). *Quando opiniones probabiles*, inquit Ildephonsus ad 1. 2. disp. 208. frag. 1. n. 154. *versantur circa actiones exercendas, seu, quod idem est, circa jus, potest homo sequi quamcumque opinionem probabilem practicè.*

Pag. 182. controv. 14. Postremi numerabantur in eodem indice Paulus de Blanchis, & Joannes Baptista Hacquetus: quorum ille hæc scribit: *Si opinio pœnitentis est probabilis apud doctos, & prudentes in tali materia, tunc Sacerdos sive ordinarius, sive delegatus, debet eum absolvere, licet probabilior sit opposita sententia.* Hacquetus verò cum quæsisset, *Utrum liceat sequi opinionem minus probabilem, etiam relicta probabiliori, & magis tuta?* Sic respondet: *Dico licitum esse sequi in praxi opinionem minus probabilem, & minus tutam, sive propriam, sive alienam; dummodo sit simpliciter probabilis.*

Petiit Abbas deinde, num placeret componi cum ipsis auctoribus locos aliquot è Lovaniensibus

ſibus Doctoribus exſcriptos, & à Patre Dechāps IV. Dial.
adductos. Negarunt Eudoxus, & Cleander opus eſſe, ſibique cumulatè ſatisfactum dixerunt. Eos dumtaxat Ordinum Religioſorum auctores, & Academiarum Doctores, quorum nomina reliquis in capitibus recenſebantur, obiter enumerare libuit, qui admodum ſexaginta inventi sūt. Verùm diligenter, nec ſine ſumma voluptate perlegerunt ultimum libelli ejuſdem caput, in quo P. Dechamps pauca quædam, ac perquam ſanè appoſitè ad rem obſervat.

Primum illud eſt, quod jam Abbas commonuerat, quodque ſua ſpontè, tametſi nullus moneret, ipſis occurrebat, æquumne eſſet, aut rationi ullo pacto conſentaneum, tribuere Jeſuitis, tanquam privatam ipſorum, ac propriam opinionem, doctrinam in ſcriptis Theologorum, ac Doctorum, qui cunctis in Ordinibus Religioſis, & Catholicis Academiis floruiſſent, promiſcuè ſparſam, & pervagatam, præſertim cum Iſambertus ſcriberet in Gallia, *Ita communiter Doctores*: Bonacina in Italia, *Ita communiter Theologi*: alii in Hiſpania, alii in Germania ore uno loquerentur, *Hæc ſententia eſt communis in Scholis*; *Illa ſententia eſt hodie omnium*.

Alterum eſt, multo ridiculum magis, & iniquum eſſe tribuere Jeſuitis opinionem, tanquā auctoribus ejus, & architectis, quam ante Jeſuitas natos tot celeberrimi Doctores traderent. *Ita communiter Theologi*, inquit Petrus Navarra jam ab anno 1597. *Stant ab hac ſententia Doctores multo plures, & majoris auctoritatis, ac rationes graviores*; inquiebat Salonius è Sancti Auguſtini Familia jam ab anno 1592.

Navarra, Joannes Caram Ep. Miſienſis.

IV. DIAL. VII.

Jesuitæ doctrinam Probabilitatis arctioribus quàm alii multi terminis circumscribunt.

Tertium, Jesuitas præ cæteris Theologis in id incubuisse, ut hanc doctrinam arctioribus terminis includerent; quam constat unam inter alias moralis doctrinæ partes abutentium fraudi ac temeritati maxime opportunam esse, nisi usurpetur ut par est; & cujus fines reipsa Doctores quidam, a quibus fuit ante Jesuitas tractata, longiùs protulerunt. Eam ob causam Suarez, Vasquez, Sanchez, & alii ejusdem Societatis doctissimi Theologi acriter demonstrarunt, & omnes æquales suos Theologos assentiri sibi coegerunt, nullum huic doctrinæ locum esse, cum ageretur de Judicibus in ferenda sententia, de Medicis in adhibendis morbo remediis, de Professoribus Theologiæ in deligendis, quas docerent, sententiis. Ac Theologis nominatim præcipit Moralis doctrina quæ in Societate traditur, ut si effugere culpam velint, opiniones duntaxat eas sequantur in negotio Religionis, quæ sint tutiores, &, quando agitur de Sacramentis, magis consentaneas communi Ecclesiæ consuetudini, ac prudentum arbitrio pro certis haberi solitas.

Quartum illud denique animadversum fuit, quod in superiore Dialogo fuerat leviter delibatum; hanc doctrinam, ex quo percrebuerat, ad annum usque 1660. a nemine in omnibus suis partibus fuisse oppugnatam, præterquam ab Scriptore uno, eoque Jesuita Italo (is Comitolus dicebatur) unde Wendrokius sumpserat ea, magnam partem, quæcunque in hanc sententiam tolerabiliter & commodè scripsisset; quamvis lectores suos nequaquam monuerit Comitolum hunc, quem citat, inter Scripto-

res

res Societatis numeratum esse. IV. Dial.

Sub hæc Abbas amicis ostendit in complurium Jesuitarum libris, quam illi Probabilis Opinionis definitionem ponerent, quibus eandem septis & cancellis sepirent Laymanus, Suarez, aliique Societatis Theologi, è quibus descriptos locos pridie ipsis obtulerat. Ita demum perfecit ut malam Paschalis fidem ac Wendrokii plane cernerent, qui doctrinam hanc mendaci fuco illitam obscurant, atque formam illius effingunt à veritate prorsus abhorrentem, quò in Jesuitas dicta jacere, struere calumnias impune possint. Et jam è Bibliotheca pedem efferebant, cum Cleander conjectis fortè in libellum Patris Dechamps, ut apertus restiterat, oculis, legit in ejusdem pagella 33. nomen Patris Morini ex Oratorii Congregatione. Hem, inquit subridens, etiam Oratorianos subsidio Jesuitæ vocant ad tuendam Probabilitatem!

VIII. *P. Morini ex Oratorii Congregatione sententia de Probabilitate.*

Euge, retulit Eudoxus, Patrem Morinum inspiciamus. Rem sanè miram & portenti similem! Notatus est locus, libro octavo de Pœnitentia cap. 4. num. 19. Ibi reipsa hæc legerunt.

Franciscus Suarez tractatu 3. ad 1. 2. disp. 12. sect. 6. num. 10. prudenter mihi videtur circumscribere casus in quibus necesse est opinionem certam præferre probabili, & probabiliorem minus probabili: mihi enim videtur certum & evidens aliquando probabilia certis præferri posse. Quibus igitur indiciis & argumentis hæc dignoscemus? Quando scilicet, inquit Suarez, ex justitia vel caritate tenemur vitare damnum quod in re ipsa subest, vel periculum ejus, &c.

IV. DIAL. Nunc profectò Jesuitæ litem vicerunt, exclamat Eudoxus, vincentque toties, quoties judex ęquus & prudens causam, uti jam fecimus, expendet. Post paulò digressi sunt ad captandam liberiorem auram, quærendi contentione & excutiendi curiosè singula defatigati; attamen læti, quòd in tanta caligine veritatem dispicere contigisset.



SE-

SECUNDA PARS
Quarti Dialogi.

SEcundùm deambulationem itum eſt Abbatis domum. Ibi de rebus levioris momenti ſermones adhuc ultro citroque habiti aliquandiu: quos ubi frigere ſenſim ac langueſcere animadvertit Eudoxus, Abbatem ex improviſo adoritur; &, Tu vero, inquit, Abbas clariſſime, quid cenſes de quæſtione Probabilis Opinionis in ſe ſpectatæ? Mittamus modò quærere quid ab aliis ſuper ea quæſtione factum, quid exiſtimatum ſit: de ipſa re quid, amabo, videtur tibi? I. *Quid ſentiendum de Probabilitate Opinionum in ſe ſpectata.*

Mihi verò, inquit Abbas, eo de negotio ſtatuere, & quid potiſſimum ſequar, decernere haud ſane promptum eſt. In ejuſmodi quæſtione tam facile deſtruas omnia, quàm difficile quicquam adſtruas. Utramlibet è ſententiis extremis pugnantibuſque amplectaris, continuò deducuntur conſecutiones, quæ propugnari nullo modo videntur poſſe: in medio ſi conſiſtas cum nonnullis, id verò fieri nequit, ut apparet, niſi extremæ utriuſque ſententiæ fundamenta, quæ volebas everſa, reſtituas ac reponas.

Mirum dicis, inquit Eudoxus. Hoc porrò ſi ita eſt, quis ferat homines quoſdam ea de re tam fidenter aſſeverare, tam expeditè ſtatuere?

Illi vero, excepit Abbas, hoc negotium leviter examinarunt, aut partium, ad quas eos for-

IV. DIAL. tuna detulerat, tempestate quadam & æstu abrepti sunt; aut passi sunt oculos suos vana & inani specie perstringi; aut obtundi aures clamoribus sublatis ex compacto in Flandria & Gallia, quibus Roma ipsa personuit. Sed Romæ, ut scis, omnia pedetentim & sedatè fiunt: itaque lis tam anceps & periculosa ibi adhuc sub Judice est. Hoc unum habeo quod dicam; Paschalis & Wendrokii sententiam non fero: de aliorum Theologorum opinione statuo nihil: judicium aliorum esto.

Atqui plausibilis est illa tamen oratio & valdè speciosa, subdit Eudoxus, cum dicitur tutiorem partem semper amplectendam esse, quamvis minus probabilem. Vide, ut se jactat Wendrokius, ut triumphat in suis ad quintam Provincialem notis, ubi Systema suum proponit, & adversariorum Systema omni ope convellere nititur: adversarios autem inducit sibi Jesuitas unos, qui eo in loco Thomistarum omnium & Scotistarum, omnium Salmanticensium, Complutensium, Lovaniensium, & Sorbonicorum Doctorum partes ac vicem obtinent; itemque omnium Canonici Juris interpretum, omniumque Antistitum quos appellasti nobis, quosque nominatim tot maledictis proscindere honestum Wendrokio ac liberale visum non est.

II.
Primū VVendrokii principium de Probabilitate.

Plane hic locus est mirificus, reponit Abbas; atque istud in primis effatum, quo velut cardine vertuntur ac volvuntur cætera: *Opinionem probabilem securam, hoc est peccati expertem, non esse, nisi vera sit*. Adeo ut judicium omne quo ad mores vel meos, vel aliorum, qui me consulunt, regendos nitor, si falsum sit, quantum-

tumlibet cætera probabile ac bene fundatum, nocentem me apud divinum tribunal faciat. Hujus proculdubio principii prorsus inepti & cum errore conjuncti absurdæ consecutiones cum facile sint animadversæ, ea præsertim causa fuit, cur hæc opinio corruerit.

Frustra sudatum est ab hujus doctrinæ artificibus, ut illi vis auctoritasque conciliaretur. Doctores, & moderatores animarum vel maximè cupidi restituendæ veteris morum austeritatis, nuncium illi remittere coacti sunt; quantumvis arrideret illis prima fronte obfucatam severitatis speciem. Quantumvis ad illustrandam ipsorum in regendis conscientiis artem, ac disciplinam valitura videretur; quantumvis, & sua sponte & utilitatis illecebra deliniti, raperentur ad amplectendas, fovendasque certorum hominum pietatis quoddam genus profitētium partes, quibus haud dubie placituri erant, si tutiores sententias propalam, & in omni re sectari se ostentarent: attamen solidi nihil, ac firmi subesse huic doctrinæ uno consensu omnes agnoverunt, ipsaque ratione, & experientia victi absurdam esse, nec ullum eidem in moribus, vitaque communi locum esse posse perspexerūt.

Quo tandem enim illa pertinet? quid statuit? Nempè, ut in nulla conscientiæ regula, possis acquiescere, nisi adsit evidentia, quæ ut plurimum, atque adeò ferè semper in rebus ad mores spectantibus abesse solet; ut Judicibus omnibus, etiamsi muneris sui partes omnes accuratè impleverint, injiciatur nō levis quædam, & temerè suscepta dubitatio, sed gravis & minimè contemnenda, ne in omnibus ferè, quas di-

dicunt, ſententiis luendum æterna pœna ſcelus admittant. Etenim Judices, etiam æquiſſimi,& optimi, in oppoſitas quotidie abeunt ſententias; atque adeò neceſſe eſt hos aut illos falſa in *ju*dicando ſequi principia,aut veris uti perperam, ac proinde injuſtè facere. Neque aut illa, quam adhibuerint ad rem cognoſcendam, diligentia, aut in conſectandis veri veſtigiis cura, aut periti ſſimorum Juriſconſultorum auctoritate liberantur culpa,ſiquidem falſam opinionem, & *ju*ſtitiæ adverſantem amplectuntur. Sequitur ut idem ſcrupulus injiciatur ob eandem cauſam Patronis omnibus, & Procuratoribus, in omnibus fermè, quas in ſe recipiunt cauſis; in quibus profecto reperire eſt perpaucas, quarum jus, & æquitas tam perſpicua ſit,quàm Geometricæ demonſtrationis veritas evidens, & manifeſta eſt: Ut in eandem con*j*iciantur dubitationem ii omnes,quorum jura ſunt ambigua, & controverſa, ſi lites aut intendunt, aut intentatas fovent: Ut eadem ſolicitudine perturbentur quicumque animabus gubernandis præſunt: Item Confeſſarii quilibet ſexcentis in locis,ubi quidpiam eſt ſtatuendum,præſertim in reſtitutionis onere aut imponendo,aut levando: utrumque enim perinde intutum eſt, & æquitati adverſarium, ſi quid ſecùs quàm *j*us ferat, edixeris: Mercatores itidem omnes, in varia negotii gerendi ratione: Ad extremum mortales univerſi, qui in extricandis communis vitæ innumeris nodis, ac difficultatibus ſola probabilitate ducuntur. Hæc omnia, inquam, tolerabilia non ſunt viſa.

III. *Alterum Vvendrokianæ doctrinæ principium.*

Adde alterum illud principium, quod tanquã verum ſumit Wendro*k*ius, ad vitioſum doctri-

næ

næ suæ systema fulciendum: *Ignorantiam invincibilem à peccato non excusare*. Quod nemo sanus, quamlibet vim sibi adhibeat, non respuet: quod pugnat cum ea, quam animis nostris impressam habemus, opinione, ac judicio de divina bonitate: quod postremò Romana censura confixum nuper fuit. Et eo sane adstruuntur, & revocantur aliquot Jansenii Propositiones damnatæ, ac præcipua quædam Concilii Tridentini dogmata subruuntur. IV. Dial.

Adde unum tot incommodis remedium suggeri à Wendrokio, haud sane idoneum, ut opem divinam scilicet imploremus: perinde quasi præsto futura nobis esset divinitùs immissa lux quolibet temporis puncto, qua illustrati, quid verum sit nec ne, dispiceremus. Eas ob causas præclara ista Theologia destituta, & derelicta demum fuit. Sed hoc, opinor, Wendrokius, & ejus amici parum curant. Valuit ad obscurandum Jesuitarum nomen ista in speciem laudabilis severitas, illorum solutæ, ac molli, ut jactabatur, doctrinæ morum opposita: id volebant unum illi, & quod volebant abundè consecuti sunt.

Tum Cleander: Non ita pridem, inquit, Doctorem istius severioris disciplinæ patronum perturbavi graviter, atque impedivi. Nodum illi solvendum objeci super contractibus, qui de annuo censu pecuniæ pensitando sunt instituti. Sic hominem sum aggressus. Constat, inquio, ejusmodi contractus æquitatem probabilibus dumtaxat argumentis niti. A duobus tantum tribusve seculis usurpari, aut certè auctoritatē, ac firmitatem obtinere cœpit. Principio nume-

Contracts de Constitution de rente.

IV. *Contractus census, nisi admissa Probabilitate stare non potest.*

ra-

IV. Dial. ratus est ab Doctoribus aliquot inter contractus usuræ labe inquinatos, ac plane iniquos: in quo scilicet bis exigitur eadem pecuniæ summa, quæ semel tantum est data: siquidem cum post annos viginti renumeratur tibi caput, ac sors census annui, puta librarum mille usuris quincuncibus, quæ tibi sunt persolutæ, contingit ut tibi pensitata fuerint quadraginta librarum millia pro viginti millibus, quæ primùm à te, is qui censum annuum numeravit, acceperat. Tunc ea de re non minori animorum æstu concertatum est, quàm nostra memoria disputatũ de Tribus Cõtractibus fuit. Præterea, ut ejusmodi contractui justitia constet, perspicuum est adhibendam esse luculentam intentionis directionem, qua fiat ut, dum sortis dominium transfers, nolis certam pecuniæ summam quotannis pernumerandam emere (neque enim pecunia pecuniam emas) sed jus exigendi quotannis certam pecuniæ vim ab eo cui sors fuerit numerata. Hæc omnia sunt ad extricãdum haud sane expedita. Habebat ille tuus Doctor nihilominus, quod responderet, inquit Eudoxus: nempè istos annuos census à duobus Summis Pontificibus Martino V. & Callisto III. toleratos, aut approbatos esse. Extant illorum super ea re Decretales Epistolæ.

Au denier vingt.

Neque hoc mihi non respondit ille, subjecit Cleander: sed urgere hominem, & premere sic perrexi. Primùm, inquio, non ea Summorum Pontificum est potestas, ut juri naturali derogent, cui contractum hunc tam adversari quàm ipsam usuram Doctores non pauci contendebant. Deinde vero complures eorum, qui tutiorem partem semper amplectendam censent,

ho-

hominès non ignoti, haud quaquam censent satis esse in Summi Pontificis auctoritate momenti, & roboris, ut sententia prius dubia, evadat ejus nutu, & calculo certa. Denique ambo illi Pontifices, nisi hac gemina conditione (cæteras enim omitto) contractum hunc non probant. Prima est, ut census collocetur in aliqua re certa, ad id velut oppignerata, quæ sit ejusmodi, ut ex se fructum ferre queat, qualis est domus, aut fundus, in eaque nitatur jus illius, qui censum exigat. Altera conditio est, ut ea re, seu fundo, seu domo, pereunte, census præterea non pendatur. His omnino conditionibus levantur, ac molliuntur gravissimæ difficultates, quibus Doctores ab eo contractu approbando deterriti fuerant. IV. Dial.

Atqui conditiones istæ in Gallia non servantur. Qui censum stato tempore pensitat, is & suas universè fortunas, & se ipsum obligat: quod si fortunæ pereant, obligata nihilominus persona manet. Et Pius V. qui duos illos Pontifices consecutus est, & Concilium Burdegalense superiori habitum seculo, geminam, quam dixi, cōditionem affirmant esse necessariam. Patet igitur eum facere multo tutius, qui nullos habeat, instituat, accipiatve annuos ejusmodi census, saltem quo more in Gallia sunt constituti. Si enim rem istam penitus excutias, nulla est ab annis ducentis trecentisve nova demonstratio ad contractum hunc ab omni suspicione injustitię purgandum reperta, quæ potior, & firmior foret iis rationibus, quæ tunc ab ejus defensoribus afferebantur: nec ulla vicissim validior confutatio argumentorum, quibus eundem alii rejectum

ibant:

IV. DIAL. ibant: hoc est, ut verbo dicam, mera probabilitate, quamquam non levi, contractus istius æquitas defenditur.

Atqui hæc probabilitas non efficit, ut eum esse juri naturali consentaneum liquidò constet; quantumvis illi & consuetudinis auctoritas, & momenta rationum, quę viris probis, & compluribus eruditis probabiles admodum visæ sunt, suffragentur. Quid si autem isti eruditi, idest Theologiæ Scholasticæ, aut Moralis Professores, Juris Canonici Doctores, & Consulti, in tam perplexo negotio hallucinati sunt? quid de infinita Christianorum multitudine fiet, generis omnis, & conditionis, qui collocatæ in fundo pecuniæ annuos census aut accipiunt, aut pensitāt? Quid de nobis Gallis fiet, apud quos ratio non ducitur earum conditionum, per quas cautum esse isti contractui Pontifices Maximi voluerūt: quibus adhibitis ne illius quidem æquitati satis consultum fuisse Doctores plurimi judicarunt; sublatis vero, stare illum posse tam multi alii negaverunt? Ex his omnibus perspicuum fit, omnes saltem in Gallia ea in re probabilem, ac minus tutam partem sequi. Hæc ego cum meo Doctori proposuissem, sudavit ille satis, neque quod opponeret, habuit.

Ad hæc Abbas, minimè, inquit, miror: his enim rationibus opponi ab homine cordato nihil potest; simulque intelligitur quanto illi versentur in errore, qui effata quædam generalia pertinacius amplectuntur, in quibus veri species quædam relucet, oculosque perstringit; vitiosa tamen esse deprehenduntur cum ad singulas res ventum est, ad quas accommodari sexcentis in lo-

locis nequeunt. Huic argumento, quod à census annui contractu duxisti, alia simillima propè innumera informari possunt, quæ nemo item diluet. Non sum equidem nescius hunc ipsum nodum tunc propositum fuisse cum emendandæ morum, ut *jactabatur*, doctrinæ studio calerent animi. Quæsita nodi solutio qualiscumque, ac si paulummodo Consultores voluissent obluctari, hanc profectò extorsissent à respondentibus confessionem; Neminem teneri ad amplectendam semper opinionem tutiorem. Quid plura? Vel hoc signi satis est, in moribus haud dubiam esse doctrinæ falsitatem, cum ex ea tam gravis, tam communis in quotidianæ vitæ commercio oritur perturbatio. Divinæ adversatur illa Providentiæ; atque adeò à primariis illis æternæ Veritatis legibus abhorret, à quibus tanquam à suo fonte, tum humana ratio, tum sensus communis, quos habemus vivendi, & sentiendi datos divinitus duces, profluxère. Hinc perbrevi tempore stetit hæc doctrina, & valuit. Ea sors nimirum est earum opinionum, quæ modum, & sobrietatem nesciunt.

IV. DIAL.

Casus conscientiæ à Sãta-Bovio editi Tom. 1. pag. 585.

Ain' tu vero concidisse penitus doctrinam illam, & explosam esse? Quid igitur est, quòd nonnulli, cum de istis rebus disserunt, adhuc generatim pronunciant tutiorem semper viam ineundam esse; eam scilicet, quæ cum lege magis congruat (ità enim loquuntur) & quæ magis absit à cupiditate: Hoc sentire germanos omnes Christianos, hoc facere: Probabilitatem nunquam à Patribus, aut nascentis ac florentis Ecclesiæ alumnis habitam esse pro norma, ad quam Christi discipuli mores exigere suos possent?

Quàm

IV. DIAL. Quàm proclive, ac speciosum est, inquit Abbas, personam Doctoris in rigida morum Schola profitentis, induere! Non est emendus longo studio, multa eruditione præclarus iste titulus. Sit modo quispiam ita comparatus, ut in circulis fidenter pronunciet, ac decidat quidlibet, ut quoslibet, *jure* an injuria, condemnet, æternisq; suppliciis addicat: tanti magisterium hoc illi constabit. De istis Doctoribus mihi sermo non fuit, cum dixi Wendrokianam hac in parte doctrinam concidisse. De Confessariis loquor: loquor de peritissimis, & spectatissimis animarum rectoribus, qui ab ea penitus in agendo, pronunciandoque discedũt; quia perspectam ejus principiorum falsitatem habent; quia consecutionũ absurditatem, quæ ex ea deducuntur, vident. Qui quidem hodie passim id pro certo confirmant, cum adversis veluti frontibus opiniones duæ cõtrariæ pugnant, eam quæ minus tuta sit, evadere tutissimam ope, ac momentis rationum, quibus oppositam vincit. Loquor de Theologis, qui Probabilitatis causam suis in scriptis jam à multis annis excutiunt. Illi, (si unum, itemque alterum excipias, qui coguntur absurda longè plurima, & durissima concoquere, nec solum cum cæteris, sed secum etiam fœdè pugnare) hos, inquam, si excipias, reliqui omnes in eo maximè versantur, ut refellant hanc sententiam: Posse quemlibet sequi opinionem, quæ sit eadem & minus tuta, & minus probabilis; & ostendant nefas esse minus tutam partem amplecti, nisi sit eadem probabilior. Sed nihil magis abhorret à vero quàm quod isti Doctores, si eos appellare sic licet, Wendro*k*iani, tam in Theologicis hospi-

ſpites,ac peregrini,quàm ipſe Wendroxius, nec minus ad quidlibet affirmãdum,quàm ille, projecti,aſſerere non dubitant,Probabilitatem nullo modo fuiſſe habitam pro morum norma vel à Patribus, vel à primorum temporum antiquis illis, ac germanis Fidelibus.

IV. Dial. V.

Doctrina Probabilitatis probata, & uſurpata fuit à SS. Patribus, & florentis Eccleſiæ alumnis.

Hanc tamen velut arcem iſti Doctores acriter propugnant, in eoque argumento, ut ajunt, *negativo* ſe vehementer jactant, ſubjecit Cleander. Id quidem fateor,inquit Abbas, diſputatum in Scholis tum non fuiſſe, utrum liceret opinionem ſequi probabilem, eandemque minus tutam: ſed illud etiam cõfirmo, ſanctiſſimos quoſque in agenda vita hoc ipſum ſecutos ſine ulla religione fuiſſe, ſi quis incideret paulo difficilior nodus, quem principes illæ morum noſtrorum regulæ,Scriptura,Canones, & quæ tum extabant Decreta Præſulum, haud ita facile ſolverent. Quod ſi de earundem regularum mente ac ſententia controverſia quæpiam fuiſſet coorta certis in circumſtantiis,tum aliis alia ſentientibus, unuſquiſque quod erat viſum ſequebatur, eaque vox Pauli Rom.14.valebat: *Qui non manducat, manducantem non ſpernat; & qui manducat, non manducantem non ſpernat*. Quo loco redit mihi in mentem anceps ac periculoſum tempus Eccleſiæ,de quo Annales Eccleſiaſtici meminerunt,ſub Juliano Apoſtata. Id exemplo nobis & argumento ſimul erit.

Baron. ad ann. 362.

Inter cæteras artes quas Julianus adhibuit ut ſacrilegos & jam abrogatos profanorum Numinum cultus revocaret, hanc potiſſimùm uſurpavit, ut cibaria in macello Conſtantinopolitano proſtare ſolita impiis cærimoniis inquinaret: in

primis vero jussit, ut quicquid venale proponeretur, oblatum Idolis antea foret. Qui tum versabãtur in hac Urbe amplissima & maxima Christiani, nefas sibi esse crediderunt quicquam è macello petere. Itaque, quandiu valuit Edictum, frumento dumtaxat, quod in horreis locupletiorum haberetur, vitam ægre sustentarunt, eoque minimè commolito, sed aqua ferventi, ut cuique commodum erat, incocto.

VI. *Exemplum insigne petitũ ex Antiochenorum Christianorum facto.*

Edictum huic simillimum ab eodem Imperatore promulgatum Antiochiæ fuit: polluta pariter profanis religionibus alimenta. Sed aliud Christiani Antiochiæ atq; Constantinopoli censuerunt: opsonia in macello venalia non emerunt solùm, sed iisdem etiam, ut ante, vesci non dubitaverunt. Ecclesia, quæ Constantinopolitanorum factum probaverat, Antiochenorum non improbavit: idq; Theodoretus & narrat, & Apostolis verbis è prima ad Corinthios epistola cap. 10 sumptis firmat: *Omne quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam*. Locum hunc Apostoli norant profectò æque Constantinopolitani atque Antiocheni, sed suo quique modo eundem accipiebant: hinc gemina opinio probabilis existebat, illa tutior, hæc minus tuta.

Continuo Eudoxus: En, inquit, usum Probabilitatis mirificè stabilitum, hinc discrepantibus Christianorum hujus utriusque Urbis sentẽtiis, inde Ecclesiæ Antiochenos nequaquam condemnantis calculo. Certè Theodoretus illorum factum approbãs impositam tutioris partis amplectendæ legem esse non putabat.

Quid quod, adjunxit Abbas, ipsi sacri Codices

ces

ces ejus generis exempla suppeditare mihi pos- IV. Dial.
sent? Vel illud quam insigne est, quod in Ecclesia VII.
Judäica quæsitum ac decisum fuit tempore An- *Exempla è*
tiochi Epiphanis, utrum die Sabbathi prælium *Sacris litteris*
committere fas esset. Non suppetebant Judæis *petita.*
tunc Arca & Prophetæ quos consulerent. Militare consilium advocatur, instituitur deliberatio, & pugnam iniri Sabbatho posse decernitur. Quæ profecto sententia & minus tuta erat, & Legi ac innatis huic populo de Religione avita opinionibus adversari videbatur. Vah! interpellavit Eudoxus; quam vellem vocatum ad hocce consilium fuisse Wendrokium! Dubium non est, quin si suam ibi, super quinta Provincialium, dissertationem recitasset, explosi Mathatias & Judas Machabæus fuissent, atque exsibilati.

Sic arbitror, inquit Abbas. Sed ut ad Christianos, qui primis temporibus florebant, redeamus; quo magis animum adverto ad illorum rationem & mores, eo vehementius adducor ut credam nunquam majorem fuisse probabilibus sententiis locum, neque magis viguisse illud effatum quo statuitur fas esse citra noxæ periculum sequi opinionem Doctoris, qui vir probus & peritus habeatur. Si quis tum Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus aliquam doctrinæ ac pietatis famam collegerat, ejus sententiæ, opiniones, dicta totidē erant oracula, quibus omnes sine ulla dubitatione, ut si data divinitus forent, auscultabant in iis rebus, ubi nulla Sacræ Paginæ aut Conciliorum vox audiebatur. Vides ut errant tota via Wendrokius & cuncti ejus gregales. Producant quippe nunc, & contendant

IV. DIAL. nullum in Sacra Scriptura, in Sanctis Patribus, in Ecclesiæ nascentis usu, Probabilitatis vestigium extare.

Admonet me, inquit Cleander, mentio à te jam facta de Sanctis Patribus, ut exponam vobis quod nuper, me præsente, contigit, quodque opportunè ab instituto sermone haud alienum occurrit. Conveneram Illustrissimum Ecclesiæ Principem Episcopum N. Eodem confluxerant salutandi causa viri lectissimi. Aderat etiam Abbas è Jansenii grege, qui de morali Jesuitarum doctrina sermonem injecit, multaque garrire cœpit, in primis de ista Probabilitate, in qua nũc sumus. Episcopus, homo ingenii sagacissimi, minimèque cæco animi impetu ad odium aut favorem abripi solitus, cum sermonem longiùs trahi videret, non sine astantium tædio, sic interfatus est. Narro tibi, inquit arridens, Abbas clarissime, decisionem pronunciatam haud ita pridem in Indiis, ductam è principiis Probabilitatis: sed ea lege narro ut eam cures inserendam in Tomum octavum *Moralis Practicæ*, antequam ab Arnaldo fuerit omnino confectus. Ego vero illud in me recipio, excepit Abbas, si quidem eam judicabis tanti esse, locum in eo Tomo memorabilem habituram. Cui Præsul: Tuũ hoc judicium erit: rem ipsam modo, uti se habuit, accipe.

Gallo mercatori erat uxor præstanti formæ. Is navem fregit in Indico mari, vixque evasit in Oppidum Hispani juris. Continuò deducitur ad Urbis Gubernatorem, ut peregrini solent, hominem ferocem & libidinosum; qui ut primùm feminam hanc vidit, exarsit. Admonitus mercator,

tor, consilii & auxilii inops accurrit ad Oppidi IV. Dial.
Collegium; rogat evocari sibi duos è Magistris, alterum qui Theologiam, alterum qui moralem scientiam docebat. Adsunt; iis mœroris sui & solicitudinis causam exponit. Exploratum habeo, inquit, non cũctaturum Gubernatorem uxorem meam ducere, si nuptam non esse rescifcat: nondum enim uxorem esse meam intellexit. Porro, ut certis auctoribus comperi, deliberatum ipsi est me, immissis percussoribus, de medio tollere, si mihi matrimonio junctam cognoscat, aut si, quominus eam ipse ducat, obstem: sin vero in me nihil est moræ, hanc mihi copiam & facultatem dabit, ut sedem hic & domicilium collocem, atque accepta naufragio damna cumulatè sarciam. De meo matrimonio tacere possum, quod omnibus latet; eamque affinem meam prędicare, uti est re ipsa; quam, nisi petita & impetrata dispensatione, non duxi. Quicquid jussero, morem illa geret, sat scio: cæterum, Deum hactenus præsentem & propitium millies expertus, perire prorsùs malim quam ejus majestatem aliquo crimine violare: & me tacita quadam fiducia consolatur & in eam spem adducit non datum iri eam potestatem Gubernatori ut, quæ designavit, exequatur, aut aliquid in meam uxorem admittat.

Thelogus prior verba facit: dolet mercatoris vicem, denunciatque aliud restare nihil, nisi ut egregio isto facinore fidem suam & amorem Deo approbet, vitam ultro in apertum discrimen objiciẽdo: si rogatus hæccine uxor ipsius sit, respondeat affinem esse, mendacium planissimè admitti, aut ambiguam usurpari vocem, quam

adhibere sit nefas: verum illud esse longè gravissimum quòd inducere nequeat uxorem ad dissimulandum id quod est, seque affinem ipsius prædicandã, quin eam apertè conjiciat in adulterium, cujus ipse conscius & particeps futurus sit: si tantam in divino præsidio spem ponit, id præcipuè confidat, futurum ut ipsum Deus periculo eximat, quo minimè retur modo: nihil autem esse quòd speret fore ut Deus mentem Gubernatoris incensam libidine convertat ac mutet: aut uxorem suam ab eo tuetur crimine, quo se ipsa, dum obsequi viro studet, implicuerit: id enim sine summa temeritate, & culpa præsumi spe non posse. Hæc profectò, inquit Abbas Jansenistarum cliens, decisio & responsio Jesuitæ non est.

Mane paulisper, adjecit Præsul. Casuista vicissim verba facit, seque aliter prorsus censere mercatori renunciat. Primùm enim cum eam affinem esse suam dicet, nihil dicturum esse mẽdacii; veritatem quidem celaturum, at nihil falsi locuturum; quod profectò culpa vacat. Deinde, quod attinet ad adulterium, cui objicitur ipsius conjux, hanc in eo culpam non hærere: officio satisfacere, si Deum pia precatione conciliare studeat, si rem omnem ejus benignitati cum fiducia permittat. Quod si religio aliqua injiciatur ne Deum sic tentet, multo magis tentatum iri, si manifestum mortis periculum adire non dubitet ea fiducia, fore ut ex eo divina ope salvus & incolumis emergat. Id modo ipsi esse faciendum, ut non de morte dumtaxat vitanda cogitet; sed præterea voluntatẽ retineat, in qua se jam esse confirmabat, quidlibet potius perferendi,

rendi, quàm in Deum peccandi. IV. Dial.

Oh! Jesuitam agnosco, exclamat Jansenista. Quod si alter itidem Jesuita sit, planè hæc illa est partitio a Paschale detecta, quæ inter Jesuitas animarum rectores intercedit, quorum alii rigidi sunt & severi, alii mollissimi & indulgentissimi.

Sic est profecto, inquit Præsul. Theologi sententia quin tutior sit ac probabilior, Casuistæ minus tuta minusque probabilis, nemo ambigat. Nemo, excepit Jansenista: qui etiam rogare Præsulem institit, si verè gesta res ita esset, ne gravaretur, sibi affirmare: quippe quæ esset perquam idonea, ut in *Moralem Practicam* adderetur.

Ubi vidit Præsul hominem eò, quo volebat, inductum, addidit subridens: Atqui Abbas optime, hæc quam narravi modo, mera parabola est. Nunc quid arcani tegat accipe. Quod in isto mercatore fictum atque adumbratum audivisti, hoc ipsum contigit Abrahamo, ut nosti probe. Is, quo mortem effugeret, auctor fuit Saræ, ut hominibus à Pharaone & Abimelecho missis renunciaret se Abrahami sororem esse, uxorem esse non diceret. Quem Theologum loquentem feci, is S Joannes Chrysostomus est, qui Epistola 3. ad Olympiadem Abrahamum planè culpat, quasi qui uxoris adulterio assentiatur, & ovem objiciat lupo; qui fallat, ac documento sit vel sanctissimis viris quàm eos sua interdum virtus probitasque destituat. In Casuista vero Sanctum Augustinum agnosce qui disertis verbis docet Abrahamum vacasse culpa, cum Saram affirmavit sororem suam esse; *quia*, inquit, *tacuit aliquid* *Lib. 22. contra Faustum c. 33. & seq.*

 veri,

IV. DIAL. VIII. *veri, & non dixit aliquid falsi.* Audi porro quid addat Augustinus. *Hoc Abrahæ factum lenocinio simile videtur, sed non valentibus ex illius æterna legis lumine a peccatis rectè facta discernere: quibus & constantia pertinacia videri potest; & virtus fiducia, vitium putatur audacia; & quæcunque similiter objiciuntur quasi non rectè agentibus, a non rectè cernentibus. Neque enim Abraham flagitio consensit uxoris, ejusque vendidit adulterium: sed sicut &c. Et ipse conjugem castam, & casto corde sibi cohærentem, de cujus animo, ubi pudicitiæ virtus habitabat, nullo modo dubitabat, tacuit uxorem, dixit sororem; ne, se occiso, ab alienigenis atque impiis captiva possideretur: certus de Deo, quod nihil eam turpe ac flagitiosum perpeti sineret.*

Augustini sententia de Abrahami facto.

Adjungit circumstantias rationesque, a me in exponenda mercatoris causa notatas, & in Casuistæ responso: illam in primis, quòd Abraham considerет, quicquid demum eveniret, uxorem suam divinitus ab omni labe periculoque prohibendam. Ubi etiam vides (subjecit ad extremum Præsul) Augustinum hic directionem intentionis usurpare in loco: denique totum hoc negotium ita decisum ab eo, quasi qui persuasum haberet fas esse partem amplecti minus tutam, uti Abrahamus reipsa præstiterat. Certe neuter istorum satis commode ratiocinabatur, si partem hanc minus tutam, eandemque pariter esse minus probabilem non videbat; quod si hoc viderunt ambo, dicendi profecto sunt in illorum fuisse sententia, qui censent eligi posse opinionem minus tutam, licet sit eadem minus probabilis.

Hic

Hic enimvero circumspectare Jansenista, angi, & ludos perturbatione sua, iis qui aderant, ac risum dare. Verum ubi se paulisper collegit, præfractè affirmat, nihil quidquam tale in Augustino a quoquam ostendi sibi posse. Continuò Episcopus N. arreptum è pluteo sextum Augustini Tomum profert, casumque, & ejus decisionem fusè monstrat in vigesimo secundo contra Faustum libro; simulque commonet hominem non modo non tutum & a peccandi periculo semotum, sed ne probabile quidem esse jus, ac licentiam debacchandi in quemquam tanta cum impotentia, quanta in Jesuitas sævire non cessabãt ejus amici Jansenistæ: longè satius fore, & ad exemplum præstabilius, severiorem morum doctrinam factis ipsis, etsi taceret lingua, prædicare, quàm eandem venditare verbis, factis autem & pugnante vita refellere. IV. DIAL.

Dictum sapienter, & opportunè, inquit Eudoxus. Et sane, qui doctrinam Jesuitarum de moribus tam fœdè proscindunt, ii si reputarent secum attentius cujusmodi commẽtariis, quorum hominum fide & auctoritate freti ita sentiant ac loquantur: si rationes expenderent quibus possent induci meritò ad sentiendum de illa doctrina aliter ac plerique vulgo existimant; si eas quæ subesse possunt causas attenderent, cur venire in dubium debeat illorum aut sinceritas aut prudentia qui vel maxime in eo genere deterere Jesuitarum famam student: hæc, inquam, si pensitarent, fortasse adducerentur ut crederent, minorem ad summum probabilitatem tribui posse illorum opinioni qui arbitrentur licitum esse istos sermones serere, & iis habere fidem quos

ipso-

ipsorum adversarii in vulgus spargunt. Sed nimirum sic sunt isti correctores moralis disciplinæ, ut quas præscribit illa præcipuas & capitales regulas, iis se se solutos interdum esse putent.

IX.
Roma de Probabilitate quid censeat.

Romæ autem, sciscitatur Cleander, quid censent de præclaro isto effato, quo statuitur tutiorem partem eligendam semper esse! Quid censeant, quæris? respondit Abbas: condemnant. Certè propositionem hanc Alexander VIII. censoria jussit nota: *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam*. Hæc propositio ex altera illa proximè deducitur. Quippè si lex imposita est omnibus eligendæ tutioris sententiæ, ex eo planissimè consequens est nefas esse contrariam amplecti opinionem, quantalibet probabilitate prædita sit.

Hoc patet, inquit Eudoxus. Missum igitur faciamus Wendrokium cum sua doctrina morum ultra fas, modumque provecta. Verum ægrè ad oppositam accedo sententiam, quæ docet posse nos sequi opinionem minus tutam, cum eadem est minus probabilis. Quin mediam insistimus viam, in qua ejus opinionis eligendæ facultas, ac venia datur, quæ sit minus tuta, modo sit probabilior?

Valdè tibi assentior, ait Abbas; neque est quod malim quàm hanc mediam inire viam: & eò complures hodie Theologi delabuntur. Verum omnibus accuratè perpensis, Doctores hujus mediæ, ac mollioris probabilitatis patronos video, non minus quam cæteros, in sua doctrina explicanda, tutandaque laborare. Longum esset explicare tibi quemadmodum premantur ab

iis,

iis, qui opinionis minus probabilis doctrinam, IV. Dial.
partesque defendunt, & quibus eos vicissim argumentis ipsi premant, ac vexent. Multa penes me domi sunt volumina, unde hæc discas, si tibi aut ista pernoscendi avidus, aut legendi patiens animus est.

X.

Doctrina Probabilis Opinionis breviter collecta.

Non est, crede mihi, excepit Eudoxus: ac nobis, opinor, sufficiet, quam perspicuè ac dilucidè dedisti, probabilis opinionis explicatio; hanc infigere altius in animo placet. Est, inquiebas, si probe commemini, nec Fidei, nec principiis Fidei, nec evidenti rationi contraria; quæ sententiæ oppositæ argumenta plausibilem in modum diluit; quæ cæteroquin una vel pluribus gravis momenti rationibus nititur, hoc est, ejusmodi rationibus, ut valere apud hominem prudentem possint, eòque illum perducere, ut fateatur sententiam oppositam non esse certam.

Rem ipsam tenes, inquit Abbas. Porrò id prætereà diligenter est animadvertẽdum, oportere, ut omnes istæ conditiones conveniant etiã illi opinioni, quæ vocatur minus probabilis. Omnes enim quos modo laudavimus, variarum Gentium, Academiarum, Ordinumque Doctores, qui tam consentientibus studiis docuerunt fas esse opinioni minus probabili adhærescere, sine ullo peccati periculo, iidem hoc semper postularunt, ut opinio hæc minus probabilis, verè esset probabilis. Sin autem oppositæ opinioni tam certa, tam evidens veritas adsit, ut isti suam probabilitatem adimat, ab instituta quæstione discedetur. Ita qui ex ipsis tradunt fas esse opinionem sequi minus probabilem, eam solummodo sequi fas esse concedunt, quæ singulis istis con-

IV. DIAL. conditionibus,tum positivis,ut vocant,tum negativis omninò sit munita;idque fatentibus omnibus,vel certè compluribus eorum à quibus eadẽ opinio minus probabilis impugnatur. Ea ratione,ut vides,doctrinæ Patrum, Traditionis, & Cõciliorum auctoritati cautum est;cum hæc primaria statuatur ab iis Theologis regula,ne quid contra illa omnia peccetur, & opinionem vel hoc nomine uno decernant improbabilem, si illis adversetur.

Etiamsi huic doctrinæ, quam exposuisti modo,veritas non constaret,excepit Cleander;constaret hoc certè, neque absurdam,neque impiã, neque execrandam esse; neque talis posthac à me censeretur,quamvis tot insignes,eruditosque patronos, atque assertores non haberet.

Ad hæc Abbas: hoc unum modo ut concluderes volebam: hoc uno causam adversus Paschalem, & Wendrokium vincunt me patrono Jesuitæ, & sexcenti alii, quorum fama & probitas malè vexabatur,Theologi.

XI. *Hostes infensissimi Probabilitatis eandem in praxi amicissime amplectuntur.*

Ego vero, subjecit Cleander, donec istæ lites funditus componantur,peroptarem lata interim lege sanciri,ne quis opinionem insectaretur minus probabilem, aut alias quæ cum ea sunt junctæ propositiones; constituta delinquentibus hac pœna, ut contrariam opinionem in agendo sequerentur.

Irrita facis vota,inquit Abbas:nunquam istud sancietur: nimis multorum interest, ne lex feratur ejusmodi. Quin ipsi moderatores conscientiarum intercederent. Quid censes dicturum Sacerdotem clarissimum N. si è nobilibus, quas confitentes audit, matronis una, dum de fortu-

nis

nis ac bonis suis deliberat, dubitatque quam bene pars eorum aliqua parta sit, idcircò ejus sententia, judicioque non staret, quòd unius auctoritas Doctoris ad conciliandam opinioni probabilitatem haud sufficiat, multo verò minus ad securitatem: si juberet proferri sibi, & produci Doctorum duodecim sententias ac testimonia, ipsorum manu chirographoque obsignata? IV. DIAL.

Quid censes dicturum Abbatem N. si, propterea quod opinio quæ patitur obtineri plura beneficia Ecclesiastica, quorum unum fructus non exiguos habeat, est omnium consensu & minus probabilis & minus tuta; cogeretur in ea re doctrinam opinionis minus probabilis facto ipso deserere, in quam tamen ubique declamitare, & invehi non cessat?

Quid narras autem? percunctatur Eudoxus: an vera prædicas, cum ais opinionem eorum, qui plura possideri beneficia posse putant, haberi minus probabilem? Vera, inquit Abbas. Nulla unquam opinio cum altera, quæ ipsi opponitur, collata, potiori jure quàm ista potuit appellari minus probabilis. Qui aliter loquuntur, ii aut parum loquuntur sincerè; aut, quæ sit ista voci subjecta notio, cum Probabilitatem dicimus, ne intelligunt quidem. Ipsa Tridentini Concilii verba, argumenta Divi Thomæ, Casuistarum placita, quamlibet soluti, & indulgentes esse jactentur, planissimè ostendunt, eos qui plura possident Ecclesiastica beneficia, aut omnes, aut ferè omnes alia vulgo ratione tutos esse non posse quàm opinionis minus probabilis præsidio: neque alii fermè ulli ex isto excerpi numero queũt, nisi quos Ritualis liber Alectensis reipsa eximit, Sess. 24. c. 17. Quodlib. 9. art. 15. Pag. 397.

ni-

IV. DIAL. nimirum bonos Sacerdotes quosdam, qui probè directa intentione freti, & idoneorum Clericorum coacti paucitate, *multa beneficia retinent diutius quàm vellent... qui ægrè adducuntur, ut ea deponant, ac tradant aliis à quibus pravè administranda satis sciunt... qui interea laborant pro virili, ne quam exemplo isto suo & facto peccandi ansam, & offensam cuiquam objiciant...*

Audio quid velis, Eudoxus inquit: cæterùm si temerè præjudicatis opinionibus ducerer, vel id quod dixisti modo de pluribus beneficiis simul possidendis, satis argumenti foret quo persuaderetur mihi opinionem minus probabilem, ac minus tutam eligi tuto posse. Quam multos enim cernimus tum Antistites tum Abbates, viros graves ac probatos, severioris disciplinæ præcones, plura uno lauto & pingui Beneficia obtinere? Præterea illorum plerique suos habent Confessarios, ac moderatores in celeberrimis Lutetiæ Seminariis, ubi frequens item, & quotidiana severioris disciplinæ mentio: quin etiam eorum nonnulli domicilium illic suum habent. Igitur necesse est, ut & Confessarii Præsulum istorum atque Abbatum, & ipsorum Confessariorum Confessarii, & moderatores gravissimi, ac præpositi domorum illarum, censeant opinionem probabilem ac minus tutam tuto & impunè præoptari posse. Quod cum ita sit, demiror quid venerit in mentem Jansenistis litem super ea re Jesuitis intendere.

Præclarè vero cum Jesuitis agitur, excepit Abbas, si quos certis in Seminariis inveniant, qui vitio illis, & sceleri non vertant doctrinam

quam

quam habēt ipsimet in usu quotidianæ vitæ tam familiarem & amicam. Neque hoc tamen obstat quominus ibi cæteras inter præceptiones, quæ junioribus Abbatibus ibidem instituì solitis traduntur, hæc præcipua sit, aut hæc iisdem certe facultas ac venia detur facillimè, ut moralem Jesuitarum doctrinam, quotiescumque datur occasio, exagitent atque insectentur; ut eosdem tanquam Probabilitatis artifices jocis ac salibus aspergant; ac demum quo habeant isti adolescentes egregium specimen hujus Christianæ atque urbanæ dicacitatis, ipsis interdum Provinciales Litteræ in manus dentur cum elegantibus Wendrokii notis. Quid ibi agatur, qui sermones iis de rebus habeantur, clam me non est. IV. Di

At, quæso, inquit Eudoxus, ad Abbatem N. hostem Probabilis Opinionis adeò capitalem, redeamus. Oportet illum tot onustum Prioratibus & Abbatiis obfirmasse animum in hac sententia, libras quinquagies aut sexagies mille census annui, esse tanti, ut quispiam animam Tartaro devoveat. Nam cum constet, affirmantibus etiam Casuistis, unicum iis qui Ecclesiastico Beneficio non uno potiuntur esse perfugiū in doctrina opinionis minus probabilis, non ausim eos condemnare quibus est bona fide persuasum fas esse hac doctrina uti: at iste, qui ad ipsum Probabilitatis nomen exardescit, vel furit potiùs, quo se tandem vertet? Nonne adversum se sententiam ipse dicit? Eccui Deus voces istas justiùs oggeret: *Ex ore tuo te judico serve nequam?*

Hominem expecto, ait Cleander, dum, ut asso-

IV. DIAL. solet, præclara suæ de hoc argumento doctrinæ moralis effata mihi occinat. Illum coram testibus idoneis ac locupletibus adigam eò, ut vel recantet quæcumque hactenus contra Probabilitatem ausus est effutire, vel è suis Beneficiis tria exuat, aut spem, si quam habet, cælestis gloriæ potiundæ prorsùs abjiciat. Tum Cleander, Abbatem respectans, Nihil agis, inquit, cum Jesuitas tam sedulò, tam operosè tutari studes: non facies aliquando ut ne doctrinam hanc, tãquam proprium suæ Societatis fœtum deosculari dicantur & unicè complecti.

XII. *Jesuitarum ratio & institutum in tuēda Probabilitatis causa.*

Unde istud hauseris nescio, retulit Abbas. Cæterum mihi videntur in ea re perquam prudenter ac probè se gerere. Cum eorum Doctores in Academias cooptati sunt, & in Scholas ad profitendum inducti, offenderunt istam doctrinam usu communi receptam, pervagatam, ab cæteris vulgo traditam, ac nominatim ab Sancti Thomæ discipulis. Potuitne fieri quidquam ab iis sapientius, quàm ut morem gererent consuetudini, idem cum omnibus sentirent? Extiterunt in ipsis nonnulli quibus ea doctrina non placuit: in oppositam ivere isti sententiam, neque illam solùm docuerunt in Scholis, verùm etiam in libris publicè editis; idque non modo non vetantibus, sed approbantibus quoq; ipsorum Præpositis ac Rectoribus.

Ex quo in hanc doctrinam conclamari cœpit, unusquisque ipsorum eandem ac prius libertatem retinuit; nedum sibi istius doctrinæ patrocinium sumpserunt. His postremis annis contraria sententia in Parisiensi Collegio docebatur: quod item, ut audivi, factitatum Lugduni est,

To-

Tolosæ, Flexiæ, Romæ. Nuperrimè in eodem Collegio Parisino propugnata fuit in propositis publicè Thesibus: aderam ipse testis oculatus. Alii satius duxerunt nihil in utramque partem statuere, quod mihi quoque faciendum esse judicavi. Emissi ab eorum Scriptoribus libri super ea opinione ab annis aliquot, non tam in eo laborarunt ut eandem tanquam doctrinam, de qua jure contendi non posset, propugnarent, quàm ut ostenderent illam deteriorem in partem accipi, dirum ipsi virus allini, tetris ideò atque horridis pigmentis aspergi, ut ipsorum Doctoribus corruptæ morum doctrinæ nota & ignominia inureretur. Populum candidè ac modestè monuerunt, si quid inesset in ista doctrina vitii ac periculi, immerito hanc in se se invidiam refundi, qui nec soli nec primi eam docuissent; nec nisi malignè admodum fieri ut in ea re segregarentur a numeroso Præsulum, Doctorum ac Theologorum agmine, quos imitari, quos consequi, pulcrum sibi ac necessarium putavissent. IV. Dial.

Id quidem ipsorum adversarii videntur postulare, ut eam Jesuitæ damnent ac proscribant: sed cur postulent, mea quidem sententia, nihil est. Cum ita proponitur atque explicatur, uti revera est; cum certis cautionibus & circumscriptionibus munitur ac vallatur quibus eam Jesuitæ præ cæteris astringendam esse putaverunt: cum eadem tot peritissimorum Doctorum, quorum indicem vidistis, quasi nube tegitur ac defenditur; nihil dum commeruit profectò cur ita condemnetur. Illam Jesuitæ, qualem adversarii exhibent, detestantur: ejus & principia & con-

IV. DIAL. clusiones damnant ; ac suam negant esse, cum larva hæc illi inducitur. Ad extremum mittat vocem Ecclesia, decernant pro imperio quibus ea potestas est: nihil in Jesuitis erit moræ quin, refragrante licèt ac reclamante turba, probitate,& eruditione tot Doctorum qui ab annis centum quinquaginta ejus patroni fuerunt ac propugnatores, illam ejurent atque abdicent. Id cõfirmare ac spondere nihil vereor, futurum ut ipsorum Præpositi eam tota Societate doceri vetent. Laudem obedientiæ ac docilitatis tanquam propriam ac suam sibi semper vindicarũt; huc adversarios adhuc provocant. Quid sit de Probabilitatis doctrina sentiendum Ecclesia pronunciet, quemadmodum de Jansenii doctrina pronunciavit; non tergiversabuntur Jesuitæ, non confugient ad distinctionem Juris, & Facti, non alia id genus diverticula persequentur.

Exemplo sint ac documento Theses paucis ante annis ab iisdem condemnatæ; abjuratæ Propositiones quæ fuerant a quibusdam sodalibus suis leviter ac parum consideratè prolatæ; depositi ac suo moti loco earum auctores, si parum obsequentes deprehenderentur; mos ubique gestus Ecclesiæ decretis, quæ ad doctrinam pertinerent, cæca quadam obedientia. Facerent utinam Superi] eadem ut exempla laudari possent in factione ideò Jesuitis tam acriter infensa, quod reipsa Catholicæ doctrinæ similiter infensa sit. Sed hæc docilitatis & obsequii gloria eorum semper fuit qui se germanos Fideles, qui hujus Sanctissimæ Matris filios veros ac legitimos dici vellent; ut pervicaciæ, cavillationis, astutiæ labes errori, factionibus nefariis & coi-

tionibus,

tionibus, addicta & inusta semper fuit. IV. Dial.

Hic finem dicendi fecit Abbas, seque partes æquitatis ac justitiæ, in ea quam tuebatur causa, suscepisse, Eudoxo & Cleandro approbavit. Ambo mox ab eodem exorarunt atque impetrarũt, ut ipsa insequenti die iterum convenirent ad excutiendas criminationes cæteras, quibus Paschalis Theologos Societatis in Provincialibus suis incessebat.



V. DIALOGUS.

I. *Examen quartæ ad Provincialem Epistolæ.*

SUb ipsum prandium Cleander & Eudoxus Abbatem deduxere ad Jansenistam Eudoxi amicum, illum ipsum de quo egerant in primo congressu; cujus in Bibliotheca Theologiæ Moralis è Societate Doctores collecti visebantur. Et quidem sperabant fore ut eundem cum Abbate committerent, inducerentque ad pugnam, in qua non sine voluptate experturi essent quemadmodum alteruter è disputatione se se evolveret, ubi dumtaxat veritas factorum, perspicuo librorum testimonio comprobanda, & oculorum judicio decidenda causa erat. Verum præter spem evènit perincommodè ut novus ille àdversarius, quem Abbati destinaverant, domi suæ non adesset. In ejus Bibliothecam nihilominus itum est, quam ingrediens Eudoxus Abbatem ita compellat: Dimidia consilii nostri parte frustrati sumus. Nobis animus erat strenuū tibi pugilem objicere, qui ardorem tuum in tutanda Jesuitarum causa paulum restingueret. Res tibi nobiscum facilior & pugna est; pulcrius tecum ac per te Veritas vinceret, si sudoris aliquid haberet ac negotii victoria.

Ego vero, inquit Abbas, nequaquam vos ita lenes ac remissos, uti dicitis, hostes experior. Ceditis, fateor, veritati, sed ejus evidentia victi fractique; & male res mihi cessisset, nisi cataphractus in campum descendissem. Meam interdum sinceritatem ad cælum extollitis: ambos tamen jam sensi non admodum comparatos, ut affir-

manti mihi quidlibet crederetis. Cæterum laudo institutum vestrum, & probo: sic exquirenda veritas est. V. Dial.

At tu, excepit Cleander, num in cæteris, quibus impugnantur Jesuitæ ab Auctore Provincialium, capitibus, perinde acer & invictus es, atque nobis es visus, in solvenda, quam iniisse finguntur adversus Evangelicam morum doctrinam, conjuratione; in partitione illa commentitia quæ rectores conscientiarum in severos indulgentesque dividit; & in Probabilitatis negotio?

Vestrum judicium erit, inquit Abbas. hoc unũ vobis confirmare possum, nihil a me veniæ datum iri eorũ Theologis, si quid illos delinquere animadvertero. At vos vicissim cavete, ne fidem & commenta Paschalis secuti, eam omnem morum doctrinam dissolutam appelletis, quamcumque ipse talem in suis litteris nominat. Sin est ut occurrant nobis Societatis nõnulli Theologi, qui exerrent à recta doctrinæ moralis veræ germanæque via, nihil in eos gravius, quàm in alios quospiam Theologos, statuite: quàm in Doctorem Sorbonicum, cujus librum tres e suis sodalibus approbassent; quàm in Dominicanum item Theologum cujus operi præfixa Theologorum ac Provincialis sui essent suffragia. Jesuitas sane reprehendite, si quid peccent, sed ita ut errata privatorum ac singulorũ universo Corpori, tanquam pestem omnibus membris communem, ne tribuatis. Ac ne ipsi Corpori quidem quominus eam tribuatis, vetabo, si pro Doctore uno qui rem quampiam pravè deciderit, ac manifesto lapsus errore fuerit, alios decem

V. DIAL. aut viginti è Societate non produco, qui contrariam sententiam docuerint. Num vobis videor nimium Jesuitis patrocinari? ac si his conditionibus causam vincunt, nonne jure vincent?

Æquum dicis, subjecit Eudoxus: ordiamur à principio, & quæ sequentur deinceps, uti se dabunt, excutiamus. Decisionum molliorum, ut Societatis adversarii volunt, & laxiorum index quarta in Epistola inchoatur. En, inquit, Epistolam hanc aperiens, quemadmodum loquentes Jesuitas Paschalis faciat ore illius Patris, viri minime mali, ex quo Societatis arcana cognoscit: *Hoc sentimus, neminem in peccato jure culpari posse, nisi qui de illius pravitate divinitus sit admonitus, & ad illud fugiendum excitatus.*

II.

Propositio à Paschale Jesuitis afficta, quam apud eos falsam esse multis modis constat.

Ad hæc Abbas exclamans: Falsum, inquit, falsum è multis hoc primum. Ego vero contra fidentèr affirmo, si sententia huic propositioni à Paschale subjecta spectetur, Jesuitam qui quid hujusmodi docuerit neminem unquam extitisse. Age, videamus, excepit Cleander; ut se dant initia, sat bellè nobis disputatio procedet. Abbas interim pergens, Expendamus, inquit, quot modis falsam hanc propositionẽ esse Jesuitæ doceăt.

Primò, sexcẽtis in actionibus, in quibus animus cupiditate, ac perturbatione vehementiori incitatus non est, quas ipsa per se abhorret natura, & refugit, tradunt Jesuitæ, ex communibus Theologiæ placitis, peccare hominem, & quidem graviter posse, tametsi nulla donatus à Deo sit gratia, ut vocant, actuali; nullo afflatu, instinctuque divino ad vitandum peccatum impulsus. Rem ipsam & meam pariter ac illorum mentem pro-

po-

posito exemplo facilius capietis. Proditum est literis, (idque memini me alicubi legere) Christianum Pictorem non imperitum, qui servitutem apud Turcas serviebat, tabellam à se pictam Mahometi secundo, non imperito picturæ æstimatori, obtulisse, Divi Joannis Baptistæ præcisum caput exhibentem. Laudavit Mahometes; unum tamen, inquit, hæc tua pictura peccat: os certo quodam modo contortum, ut in abscissis vulgò capitibus cernitur, desidero. Vix ea, cum accedere propius mancipium aliud, quod astabat, jubet; eximit acinacem, caput misero demetit, ut præsenti, & horribili exemplo Pictorem edoceret. V. Dial.

Ajunt Jesuitæ, neque ullus illorum dissentiet, ea in re, aliisque id genus sexcentis, in quibus licentia, impunitas, interdum impia sceleris ostentatio, quotidie homines in flagitia Christianis, atque adeò hominibus indigna scientes ac prudentes impellunt, spreta reclamantis conscientiæ, ipsiusque naturæ voce; tunc, inquam, etsi gratia, quæ dicitur actualis, absit motusque divinus; gravissima patrari crimina: quandoquidem, ut rectè docet Augustinus libro de spiritu, & littera cap. 27. *Non usquequaque adeò in anima humanæ imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint, unde meritò dici possit etiam in ipsa impietate vita suæ facere aliqua legis vel sapere*. In quo mirificè Divus Thomas, Sanctus Augustinus, Jesuitæque consentiunt.

Secundo, Jesuitæ docent, si quis periculi gnarus in proximam occasionem peccati temerè se conjicit, nullo tunc modo divinam Providen-

V. DIAL. tiam teneri ad hominem lapsu prohibendum; & quamvis nulla divinitus gratia esset afflatus, eo temporis puncto, quod antecedit peccatum, cujus in periculum se conjecit, nihilominus peccatum isthuc ipsi meritò imputandum.

Tertio, ebrium similiter in culpa esse, si quid temulentus admiserit; si quas, exempli causa, voces impias, & in Deum contumeliosas protulerit; licet propter obrutam vino rationem, neque quid peccet intelligere, neque monentem intus audire Deum possit.

Docent quarto, ea peccata, quæ consuetudine, ac frequenti lapsu inoleverunt, verbi causa, hominis sæpe, ac temere dejerantis falsa juramenta, & diras precationes; illi universa imputari, quamvis in hæc flagitia labatur alia penitus omnia cogitans, neque animum advertens ad id, quod re ipsa committit, mali; nisi serio ejusmodi criminum dolore tactus, vitiosam consuetudinem ex animo detestetur, eamque vera sinceraque pœnitentia pro viribus evellere moliatur.

III. *Multa peccātur ex ignorantia, incogitantia, Dei oblivione &c.*

Ad extremum tradunt eorum delictorum, quæ ex ignorantia *vincibili* oriuntur, hoc est, quę admittuntur contra legem & præceptum, quod cognosci potuit, ac debuit, culpam in iis hærere, qui delinquunt; licet tum maxime de actionis perversitate ac vitio nihil cogitent, neque divinitus ante moveantur quàm delinquant. Hæc omnia illis Abbas deinde in permultis, qui aderant, libris Jesuitarum ostendit, ubi fusius eadem ista tractabantur. Mox in hanc sententiam perrexit.

Suarez, Vasquez, Layman, Sanchez, Lugo, Valentia, Tānerus &c.

Inde perspicitis quàm verè Paschalis tan-

quam

quàm *Principium* apud Jesuitas *indubitatum* vēditet, hanc, quæ nobis in manibus est, propositionem: *Neminem in peccato iure culpari posse, nisi qui de illius pravitate divinitus sit admonitus, & ad illud fugiendum excitatus:* quam propositionem tot modis apud eosdem Jesuitas falsam esse constat. V. DIAL.

Sane subjecit Eudoxus, quod attinet ad postremum illud de ignorantia *vincibili*, cujus modo fecisti mentionem, non potuerunt Jesuitæ clarius quid sentirent & liquidius contestari, quàm in libello haud ita pridem ab ipsis conscripto, cui nomen inditum, *Error Peccati Philosophici ab Jesuitis impugnatus*. Validiùs caussa propugnari nulla potest, quàm hæc ab illis defensa fuit: omnibus animis & viribus in eam, ac meritò quidem, incubuerunt. En vobis librum, inquit Abbas: & pera libellum protulit.

Enimvero, subjunxit non sine risu Cleander, venisti ad pugnam apprimè instructus.

Ohe! reponit Abbas, dubiumne id tibi est? An putas ista mihi esse in promptu posse, nisi prospiciantur, atque præparentur? nonne temerè facerem si de rebus ejusmodi differere aggrederer non meditatis probè & cogitatis, coram vobis duobus, ingeniosis viris? Ingeniosis autem? imo etiam ita comparatis, ut quamvis æquitatis amantissimi, tamen perinde atque alii complures, nonnihil malignæ voluptatis caperetis, si cerneretis Jesuitas paulò minùs, quàm ostendo, à criminibus objectis esse disjunctos. En vobis locum de quo sermo incidit: habetur pagina undevicesima.

Sic est, & id quovis pignore contendo atque

con-

V. DIAL. „ confirmo,neminem unum repertum iri è tot Je- „ ſuitis,Sacræ Scripturæ Interpretibus,Theologiæ „ Scholaſticæ, Moralis, Controverſæ, Profeſſori- „ bus,quęſtionum ad conſcientiam pertinentium, „ Sacrorum Canonum, rerum piarum Scriptori- „ bus, Concionatoribus, imò etiam Philoſophis: „ ajo,inquam,neminem ex iis omnibus inventum „ iri, qui, cum ageret de officio per ignorantiam „ aut incogitantiam omiſſo, non diſtinxerit eam, „ quæ culpę obnoxia eſt,ab alia quæ vacat culpa; „ quique nullam ignorati male flagitii excuſatio- „ nem à priore illa peti unquam poſſe, non do- „ cuerit.

Inductionem ſane dicis bene longam, & accuratam,inquit Cleander,per omnium Profeſſorum, & Scriptorum genera ductam. Ac veros profecto fuiſſe tunc Jeſuitas oportuit, ſiquidem eos mendacii arguere nemini tunc in mentem venit.

Hæc igitur,perrexit Abbas,è Jeſuitarum mente ſententia eſſe poteſt hujus,quæ ipſis à Paſchale tribuitur, propoſitionis: hæc unica item eſt ſententia propoſitionum aliarum iſtius affinium, quæ dedita opera eundem in locum contruduntur, ut eorum doctrinæ invidia quæratur: nihil aliud,inquam, ſibi propoſitiones iſtæ volunt,niſi peccatum omne, quod quiſque admittit, eſſe voluntarium aut in ſe aut in ſua cauſa: nemini vim & neceſſitatem, ut peccet, afferri: atque ad commerendam noxiam, ſive, ut loquuntur, ad demerendum, etiam in ſtatu naturæ lapſæ, requiri libertatem oppoſitam neceſſitati. Quamobrem hoc diſplicere Paſchali & ejus amicis debeat, non te fugit. Hæc Jeſuitarum doctrina pu-

pugnat ex diametro scilicet cum ea quam in Jansenio damnarunt Pontifices Innocentius X. & Alexander VII. Satisfaciunt nobis, inquit Eudoxus; nihil est super eo capite, quod præterea requiramus. Mihi vero, adjecit Abbas, nondum est satisfactum. Eum ipsum, sodes, locum & quæ sequuntur iterum legas velim. V. Dial.

Eudoxus hunc Paschalis locum rursus evolvit. Hoc igitur sentimus: *Neminem in peccato jure culpari posse, nisi qui de illius pravitate divinitus sit admonitus, & ad illud fugiendum excitatus*. Intellexistin'? Perculit me hæc oratio. Ex ea enim & quæ per imprudentiam, & quæ Deo penitus oblito peccantur, vitii expertia judicari videbam...

Hic Abbas; resiste quæso: Quid venit in mentem tibi cum hæc audis? Omninò istud, respondit Eudoxus, quod epistola tota reliqua menti objicit; nempe hanc esse Jesuitarum doctrinam, nihil ut *per imprudentiam peccari* velint: flagitia omnia facinorosorum, qui peccandi consuetudine occalluerunt, *à quorum mentibus abest semper Deus, expertia culpæ esse: si quis semel à se impetraverit, ut Deum prorsus obliviscatur, omnia illi pura sceleris fore in posterum: ridendam, aut certe miserandam eorum simplicitatem esse, qui dimidia velut ex parte nequam & improbi sunt: depositam illorum salutem, quibus aliquod virtutis studium superest: at quorum plena, integra, corroborata vetustate, pura & puta improbitas est, illos abesse Tartaro quam longissimè*.

Jam vero ex iis, quæ exposui paulò antè, perrexit Abbas, quæ in Jesuitarum libris commonstra-

V. DIAL. ſtravi, an eandem animo cogitationem & imaginem informas? Imò planè diverſam, inquit Eudoxus. Ex iis quippè mihi liquet multa per imprudentiam peccari, ut ille tuus ſatis demonſtrat prava dejerandi conſuetudine implicatus. Video facinoroſos omnes, cum oblivione Dei admodum voluntaria teneantur, eorum ſcelerum quæ ſic admittunt culpam omninò ſuſtinere, ſi Theologiam Societatis audiamus, ac pœnas eorundem ſcelerum multo graviores ipſis imminere, quàm illis *ſemipeccatoribus quibus aliquod virtutis ſtudium ſupereſt*. Quid plura? dicendum planè, ac ſine circuitione fatendum eſt, calumniam hanc meram eſſe.

Bene habet, excepit Abbas, mihi nunc factum eſt ſatis. Vos vero, ſi plenius animum explere veſtrum ſuper ea re percupitis, facite ut alteram Jeſuitarum de Peccato Philoſophico Epiſtolam perlegatis, præſertim pag. 5. ubi hæc habentur eorum dicta nomine.

„ In hoc verſatur nova quæ nobis imponitur „ hæreſis, quod affirmare dicamur ignorantiam „ omnem & oblivionem Dei, licet voluntariam, „ & culpæ obnoxiam, ut eſt revera in Atheis, in „ falſorum Numinum cultoribus, in impiis, in re„ liquis omnibus flagitioſis, à quibus accuſator, „ explicandæ hujus hæreſeos cauſa, exempla ſu„ mit: omnem, inquam, ignorantiam & oblivio„ nem Dei ſufficere, ut peccata committant merè „ Philoſophica, quibus Deus nequaquam offenda„ tur. Atqui hoc ipſum omnes tanquam deteſta„ bilem hæreſim condemnamus: iidem nihilomi„ nus contendimus, id in nullis Auctorum noſtro„ rum ſcriptis extare.

Le-

Legite pariter alium in *Errore Peccati Philosophici per Jesuitas oppugnato* locum, pag. 17. &c. Ibi Societatis doctrinam omnem, quæ huc pertinet, explicatam planissimè, cerneris: quid sibi velint Theologi, tum Jesuitæ, tum Thomistę, ac cæteri passim, cum ajunt ad offensam Dei necessarium esse, ut peccati pravitas cognoscatur; ut qui delinquit, animum ad eam, quæ inest peccato, mali rationem advertat; quo pacto fiat, ut homines nequam, ac libidinosi, vel si maximè Deum videantur obliti, ejusmodi cogitationes non raro suscipiant. Denique nihil est ad hocce argumētum quod pertineat, in his duobus opusculis non admirabiliter explanatum. Adjecit Abbas Suaris locum insignem, quem ut legerēt, oravit; in quo declaratur quid sit incogitantia, atque ita declaratur nihil ut possit esse liquidius; quamvis ea res per se admodum sit abstrusa, & ad evolvendum perdifficilis, quam proinde deligendam sibi Jansenistæ putaverunt, ut in iis rebus intricandis jactare se possent liberius, quas extricare cujusvis non est. V. DIAL. *Suar. de actib. humanis disput. 7.*

IV. *P. Baunii propositio expenditur, & explicatur.*

Procedamus sane, inquit Cleander Abbatem respiciens: jam quidem per te Societatem universam probè vindicatam, & assertam habemus. At vereor ut Patrem Baunium tam facilè tutari possis ac defendere in eadem causa. Is ille nimirum est, *qui tollit peccata mundi*, ut Paschalis hoc loco jocatur, utque olim dictitabat Hallerius, cum erat Jesuitis infensior.

Fac me non posse Baunio tuo patrocinari, retulit Abbas, quid mea? Parum ipsi, mihi crede, Jesuitæ laborarent, staret ille an caderet: imò primi omnium destitutum eundem, atque condemna-

V. DIAL. demnatum esse paterentur, si docuisset quæ ipsi tribuuntur a Paschale. Sed age, inspiciamus.

Sumitur in manus Paschalis, apud quem hæc Baunii verba referuntur excerpta ex eo, quem idem Baunius Gallico sermone conscripsit, libro, & quam *Peccatorum summam* appellavit. *Ut quis peccet, ac Deo judice reus habeatur, noverit oportet pravum esse quod facere decernit, aut de ejus pravitate saltem addubitet; timeat aut judicet rem Deo displicere, ab eoque prohiberi; ac nihilominus opus aggrediatur positasque per præceptum metas veluti transiliat.*

Ad hæc Abbas: Ex iis, inquit, quæ modo a me de doctrina Jesuitarum explicata sunt, non est operosum intelligere quid hæc sibi Baunii verba velint. *Ut quis peccet reusque peccati sit apud Deum, noverit oportet*: hoc est, oportet illum nõ ignorare ea videlicet ignorantia quæ sit non voluntaria, *pravum esse quod facere decernit*; *aut saltem de ejus pravitate addubitet, &c.* Qui probas, sciscitatur Cleander, hanc ejus mentem esse?

Probare, inquit Abbas, neque meum, neque Jesuitarum esset. Accusantur; datur illis crimini unius ex ipsorum Scriptoribus propositio, cujus verba in deteriorem sensum accipiuntur: coarguant illos adversarii, crimen ostendant: hoc ipsis onus incumbit, hæ sunt ipsorum partes. Sed non agam tecum tam rigidè. Quin probem, si quidem jubes, non recuso: sic igitur probo.

V
Ignorantia voluntaria, seu vincibilis peccatum non excusat.

Ac primo quidem Baunius docet, aut, ubicũque se dedit occasio, tanquam certum ponit, ignorantiam voluntariam, quæ *vincibilis* dicitur, ad excusandam culpam afferri nullo modo posse.

posse. Hoc planè rem decidit, ac Baunii propositionem omni culpæ ac vitii suspicione liberat. V. Dial.
Legite, amabo, paginam 775. *Summa Peccatorum*, unde sumpsit Paschalis quæ reprehendit: ac videte quemadmodum Baunius Scripturę Sacræ auctoritate probet ignorantiam voluntariā meritò culpari. *Talis ignorantia*, inquit, *est vitiosa, ut Apostolus ad Corinthios scribens docet, Ignorans ignorabitur.* 1. Cor. 14. Porro effatum istud & dogma, *Ignorantiam voluntariam ad peccatum excusandum non valere*, adeo inter omnes Theologos sine ulla controversia & dubitatione constat, ut, quando agunt de cognitione ad peccandum necessaria, nihil esse putent cur moneant agere se dumtaxat de cognitione quæ opponatur ignorantiæ non voluntariæ. Hoc tanquam per se notum ac perspicuum silent & subaudiunt Theologi sexcenti in omnibus quas super ea re huic Baunii propositioni simillimas propositiones edunt: neque Wendrokius ullo in loco nequior fuit, aut in Theologicis videri debuit indoctior, quàm cum in hunc Jesuitam de hoc argumento disputavit. (*Nota 1. in Epistolam 4.*)

Deinde verò, quid sentiat Baunius satis superque patet vel ex ea ratione quam ad suam assertionem confirmandam adhibet. Atque hæc ipsa Sancti Thomæ in materia simili ratio est: nempe, *nullam actionem homini probro dari, quin voluntaria sit* (Bauni pag. 906.) Quæ verba Baunius propositioni suæ subtexit. Ex quo id unum efficitur, oportere ad culpam cōntrahendam, ut qui peccat non ignoret ignorantia haud voluntaria pravi aliquid in eo esse quod agat: alias

enim

V. DIAL. enim quælibet ignorantia nequaquam impedit quominus actio sit voluntaria, proindeq; actionem, ut sensit Baunius, culpa non liberat. Intelligo, subjecit Eudoxus; videntur hæc esse manifesta.

Tertio, ut offusam malignis in hanc doctrinam animadversionibus Paschalis ac Wendrokii caliginem Abbas discuteret, amicos rogavit perlegerent quæ proxime Baunius subjungit, ejusdem assertionis explicandæ causa. *Voluntas,* inquit, *eò fertur* (ad rem scilicet vetitam) *eam amplectitur atque expetit: quod facere potest vel apertè ac distinctè, vel tacitè, vel demum, ut loquuntur, virtualiter. Apertè quidem, cum appetit re ipsa, odio habet, admittit aut respuit quod ipsi mens objecit tanquam bonum vel malum. Virtualiter censetur assentire* (quæ sequuntur verba notari diligenter a vobis velim, inquit Abbas) *cum præteritus assensus adhuc manet; qui permanere tamdiu putandus est, dum neque est revocatus neque interruptus aut impeditus aliquo actu contrario.*

Cum Abbas: Videtis, inquit, ad peccandum non requiri a Baunio ut quis de peccati pravitate cogitet eo ipso temporis articulo quo peccat; sed ejus sententia, quòd cogitatio hæc antecesserit, satis hoc unum esse causæ ut incogitantia, quæ actionem ipsam comitatur, meritò culpanda sit.

Ostendit ipsis etiam paginam 92. ubi hæc leguntur: *Jurare etiam verum inconsideratè & cum periculo pejèrandi, quia satis accuratè res prius expensa non fuit, culpa letalis est: ejusmodi enim periculum censetur in causa sua voluntarium*

rium

rium, nempe in prava & exitiali temerè sic & inconsideratè jurandi consuetudine. V. Dial.

Qui Theologus ita loquitur, isne potuit hunc propositioni, de qua agitur, sensum subjicere, *Neminem unquam peccare, nisi qui eo ipso temporis puncto quo peccat, de actionis pravitate cogitet?* Omnino igitur Baunii propositio, si sensum ejus nativum spectes, aliud nihil significat, nisi necesse esse ad contrahendam culpam, ut quis cognoscat, vel certè dubitet num qua pravitas actioni subsit; hoc est ut ne ignoret ignorantia, quæ vinci non potuerit, actionem illam obnoxiam peccato esse.

Ex iis quæ hactenus dixisti plane perspicitur, excepit Cleander, hanc Baunii mentem fuisse. At quin isti Casuistæ cavent, ne quas id genus propositiones ancipites effutiant, quæ ansam carpendi adversariis præbent?

Hoc mihi rependis scilicet, reponit Abbas, qui id oneris ac laboris sumpserim ut rem tibi probarem quæ minimè probationis indigebat, & accusationem hanc frivolam diluerem? Tamen patienter fero, & quod objectas, refellam.

In artibus ac scientiis, ut probè nosti, usus inter peritos receptus ambiguitatē sermonis tollit, & suum propositioni cuique sensum tribuit. Inter Theologos, quod ex me satis superque audivisti, in ea re, de qua nunc agimus, usus & consuetudo nullum patitur esse ambiguitati locum: & antequam *Theologia Moralis* Auctor scripsisset, nemini venerat in mentem aliam illi propositioni, atque vulgò subjicitur, sententiam subjicere.

Cum enim de peccati natura Theologi dis-

V. DIAL. putant, in eo consentiunt omnes post S. Augustinum & D. Thomam, ut ejus definitio stare non possit, nisi sit voluntarium: tum hanc peccati definitionem, simulque rationem voluntarii ut illustrent, afferunt in exemplum ea peccata quæ voluntaria esse omnino constat; ea nempe quæ quis sciens ac prudens, & de actionis pravitate cogitans, admittit. Iidem postea, sive dum respondent rationibus sibi objectis, sive alio quopiam loco, definitionem illam extendunt ad certa peccatorum genera, quibus inesse ista ratio voluntarii adeo perspicuè non videtur. Tale est peccatum ab Adamo in posteros trãsmissum, quod esse quoque suo quodam modo voluntarium ostendunt: tales culpæ, quæ propter peccandi consuetudinem excidunt nobis imprudentibus: tales ab ignorantia, quæ vincibilis dicitur, profectæ. Hanc secutus Theologorum viam, quam ipse quoque Augustinus terit, Pater Baunius peccati naturam ita definivit ut suam definitionem nihilominus posset, occasione data, quemadmodum pro Scholæ more præstitit, extendere in alias peccatorum species, quæ dumtaxat in causâ voluntaria sint.

Si res ita se habet, inquit Eudoxus, non modo nihil peccavit Pater Baunius, cum ad hunc modum mentem suam exposuit; verum etiam malignè factum aut inscitè fuit ab iis qui negotium homini super ea re exhibuerunt.

VI. *P. Baunius ex cõmuni Theologorum, Sorbonæ Doctorũ &c. usu sensuque locutus est.*

Cum Abbas, Faxo, inquit, hunc morem Theologorum oculis ipsis jam cernas: neque auctores tibi ac testes citabo Societatis Theologos, qui suspecti esse tibi possent; imo neque ipsos Thomistas aut Scotistas: sed te mediam in Sorbonam

nam deducam, ejusque Theses ipsas proferam. V. DIAL.
En tibi responsum a Jesuitis *Theologia Morali* datum super hoc argumento. Legesis hæc verba paginæ 7. secūdę partis. *Cum hac maximè scribo, est mihi præ oculis propugnata Thesis in Sorbona anno 1640. die 3. Octobris, actore & propugnatore Petro Bunoto, Præside M. Morello, approbata per Magistrum Forgetum, qui tunc Syndicus erat ac Parochus Sancti Nicolai a Carduelis: qua in Thesi leguntur hæc verba. Ad omne peccatum præerequiritur expressa cognitio malitiæ moralis, vel expressa dubitatio ne actui eliciendo talis malitia moralis inexistat.* »

An non videtur Patris Baunii propositio, mera esse interpretatio hujus Theseos, quæ latinè dicit quod ille Gallicè parum eleganter edidit? Ejusdem Apologiæ auctor simillimam Duvallii Sorbonici Professoris propositionem citat; additque, id quod verissimum est, Divos Thomam, Bonaventuram & Antoninum, nec non Gersonem in ea re haud aliter ac Baunium loqui.

Næ tu, reposuit Eudoxus, ad pugnam bene cōparatus accessisti. Imo paratior opinione tua, excepit Abbas: appello judicem hujus controversiæ & arbitrum quem tu, sat scio, non repudiabis. Simul conjicit oculos in librorum loculamentum, cujus in media parte jam tum ab ipso in musæum ingressu animadverterat posita, quæ requirebat, scripta. Quæso, inquit, Cleandrum huic loculamento vicinum compellans, cedo mihi codicem hunc manuscriptum membrana tectum. Educit Codicem Cleander, & inscriptionem tergo appositam legit: *Tractatus de Peccatis in Sorbona dictatus a Sancta-Bovio.* *Monsieur de Sainte-Beuve*

M 2 Ite-

putant, in eo consentiunt omnes post S. Augustinum & D. Thomam, ut ejus definitio stare non possit, nisi sit voluntarium: tum hanc peccati definitionem, simulque rationem voluntarii ut illustrent, afferunt in exemplum ea peccata quæ voluntaria esse omnino constat; ea nempe quæ quis sciens ac prudens, & de actionis pravitate cogitans, admittit. Iidem postea, sive dum respondent rationibus sibi objectis, sive alio quopiam loco, definitionem illam extendunt ad certa peccatorum genera, quibus inesse ista ratio voluntarii adeo perspicuè non videtur. Tale est peccatum ab Adamo in posteros trãsmissum, quod esse quoque suo quodam modo voluntarium ostendunt: tales culpæ, quæ propter peccandi consuetudinem excidunt nobis imprudentibus: tales ab ignorantia, quæ vincibilis dicitur, profectæ. Hanc secutus Theologorum viam, quam ipse quoque Augustinus terit, Pater Baunius peccati naturam ita definivit ut suam definitionem nihilominus posset, occasione data, quemadmodum pro Scholæ more præstitit, extendere in alias peccatorum species, quæ dumtaxat in causâ voluntaria sint.

Si res ita se habet, inquit Eudoxus, non modo nihil peccavit Pater Baunius, cum ad hunc modum mentem suam exposuit; verum etiam malignè factum aut inscitè fuit ab iis qui negotium homini super ea re exhibuerunt.

VI. *P. Baunius ex cõmuni Theologorum, Sorbonæ Doctorũ &c. usu sensuque locutus est.*

Cum Abbas, Faxo, inquit, hunc morem Theologorum oculis ipsis jam cernas: neque auctores tibi ac testes citabo Societatis Theologos, qui suspecti esse tibi possent; imo neque ipsos Thomistas aut Scotistas: sed te mediam in Sorbonam

nam deducam, ejusque Theses ipsas proferam. V. DIAL.
En tibi responsum a Jesuitis *Theologia Morali* datum super hoc argumento. Legesis hæc verba paginæ 7. secũdę partis. *Cum hac maximè scribo, est mihi pra oculis propugnata Thesis in Sorbona anno* 1640. *die* 3. *Octobris, actore & propugnatore Petro Bunoto, Praside M. Morello, approbata per Magistrum Forgetum, qui tunc Syndicus erat ac Parochus Sancti Nicolai a Carduelì: qua in Thesi leguntur hac verba. Ad omne peccatum* „ *prarequiritur expressa cognitio malitia moralis,* „ *vel expressa dubitatio ne actui eliciendo talis* „ *malitia moralis inexistat.* „

An non videtur Patris Baunii propositio, mera esse interpretatio hujus Theseos, quæ latinè dicit quod ille Gallicè parum eleganter edidit? Ejusdem Apologiæ auctor simillimam Duvallii Sorbonici Professoris propositionem citat; additque, id quod verissimum est, Divos Thomam, Bonaventuram & Antoninum, nec non Gersonem in ea re haud aliter ac Baunium loqui.

Næ tu, reposuit Eudoxus, ad pugnam bene cõparatus accessisti. Imo paratior opinione tua, excepit Abbas: appello judicem hujus controversiæ & arbitrum quem tu, sat scio, non repudiabis. Simul conjicit oculos in librorum loculamentum, cujus in media parte jam tum ab ipso in musæum ingressu animadverterat posita, quæ requirebat, scripta. Quæso, inquit, Cleandrum huic loculamento vicinum compellans, cedo mihi codicem hunc manuscriptum membrana tectum. Educit Codicem Cleander, & inscriptionem tergo appositam legit: *Tractatus de Peccatis in Sorbona dictatus a Sancta-Bovio.* *Monsieur de Sainte-Beuve*

V. DIAL. Iterumne, exclamat Cleander, Sancta-Bovium Patris Baunii fidejussorem in hacce causa esse?

Abbas, qui cognita hæc habebat scripta, quorum sexcenta exempla extant per totam Galliam sparsa, librum aperit eo loco ubi hoc argumentum tractat, obtulitque Eudoxo: is latinè, quæ sequuntur, legere cœpit. *Ad hoc ut delectatio in appetitu sensitivo exurgens sit peccatum mortale, debet esse plena advertentia ex parte rationis circa actum formaliter, ut malus est & prohibitus, ... nisi forsan operans liberè & advertenter causam dederit delectationi tali. Probatur prima pars: Quia ubi est tantùm semiplena advertentia, ibi non est perfectè volũtarium: ergo &c. Secunda ostenditur: quia si advertatur tantùm in actum materialiter sive physicè consideratum, & non formaliter, seu moraliter, erit tantùm volitus actus iste, ut est quid physicum, & non ut est quid morale: ergo non ut malum; & in hoc non erit malitia*. Tract. de pecc. disp. 5. sect. 1. art. 3.

Ho! inquit Eudoxus, Baunium habemus cõtra omnia probè munitum tela. Mihi quidem exploratum est, Arnaldo ejusque gregalibus lõgè præstabilius visum iri hominem missum facere cum bona gratia, quàm una cum eo Sancta-Bovium condemnare.

Eo me adegistis, inquit Abbas institutum sermonem persequens, ut quæ protuleram certis argumentis comprobarem. Itaque pro meo jure facerem, si vos citandis ad fastidium Auctorũ testimoniis ac locis defatigarem: & promptum ac proclive mihi foret, adeò multæ suppetunt in eam rem auctoritates. Sed quia remitti hanc

vobis

vobis molestiam & condonari postulatis, exorari me finam, si modo unum audieritis adhuc testem. Is Arnaldi summus fuit: hinc quanta esse illius auctoritas debeat intelligetis. Idem Lovaniensis Doctor: cujus nomen cæterasque dotes aperiam, ubi, quid doceat, exposuero. En illud vobis, ut ipse his oculis perspexi in ipsa Thesi, quam fideliter recitat Auctor libri, cujus inscriptio est, *Error Peccati Philosophici à Jesuitis oppugnatus*. Ad hoc ut quis incurrat peccatum mortale, requiritur plena & perfecta cogitatio, seu expressa advertentia malitiæ, vel periculi ejus, vel saltem expressa aliqua dubitatio, seu scrupulus. V. Dial. „ „ „ „ „

Audite jam quemadmodum Auctor operis *de Errore Peccati Philosophici ab Jesuitis oppugnati* occasionem adversarii compellandi ex his verbis sumat: Nonne tibi videtur Jesuita quispiam hæc dictasse? Attamen, quis credat? hæc dictata fuerant à Doctore Pontano, famoso illo approbatore tum Augustini Iprensis ab Ecclesia condemnati, tum Montensis Interpretationis, cujus esse judex idoneus, cum Gallicè nesciret, nõ poterat. Hic ille, inquam, Pontanus Jesuitarum censor multo acerrimus, hanc Thesim obsignavit, &, cum propugnaretur, disputationi præfuit.... Est autem hoc unum è Decretis Academiæ Lovaniensis, nulli ut Doctori liceat ullas approbare Theses, aut iisdem præsidere, si quid alienum ab totius Academiæ sententia contineant. „ „ „ „ „ „ „ „ „ „ „ „ „ „

Satis hæc superque sunt, exclamat Eudoxus: reliqua sanè mittamus: nec in eo item immoremur, quod Patri Annato Paschalis objicit. Memi-

V. DIAL. mini me locum hunc in istius Jesuitæ libro legere, qui id unum intelligi vult, *Deum impossibilia non jubere*; atque adeò, si quis vitari peccatum aliquod negaret posse sine gratia illo ipso temporis puncto data, jam consequens fore ut vel Deus gratiam hanc impertiret, vel in culpæ loco peccatum hoc non poneret. Atque hæc doctrina nihil nisi condemnatam in Jansenio doctrinam oppugnat. Non agitur prorsus eo loci de projectis ad omnem licentiam & libidinem hominibus, aut obduratis, aut aliqua vitiosa consuetudine implicatis; non de illis, qui delinquunt ex voluntaria officii ignorantia incogitantiave. Ille locus vel solus mihi, cum legerem, persuasit Paschalem hic non suo uti marte; qui, ut causam labantem fulciat, tam infirmo niti argumento cogatur. Tum autem non is erat Annatus qui facile hallucinaretur, & in Theologicis cespitaret.

VII. *P. Annatus malè à Paschale reprehensus, & quam ob causam.*

Videsis tamen, excepit Abbas, ut hic Paschalis triumphet. Audi quæ Annati propositioni subnectat. *Beasti, inquam. Eja, quam præclara inde auguror! Cerno jam animo quam multa inde nectantur. Quot mihi sese mysteria offerunt? Hujus quidem ignorantiæ ac Dei oblivionis opera multo plures absolutum iri video, quàm divina gratia & Sacramentis.* Quis hic entheus animi & orationis æstus? perrexit Abbas. Quid hoc somnii, vel potius sceleris est?

VIII. *P. Baunii liber an Romæ cõdemnatus, & in Galliã?*

Omittamus modo Annatum, interpellavit Cleander; at paulisper ad Baunium, quæso, redeamus. Unum adhuc eadem in Epistola video non leviter prætereundum. Asserit Paschalis *Summam Peccatorum* à Baunio elucubratam,

RO-

Romæ itemque à Præsulibus Gallicanis fuisse proscriptam: addit Wendrokius hāc ipsam Baunii, de qua nunc agitur, propositionem olim in Sorbona fuisse censoria inustam nota. V. DIAL.

Malim certè mihi, retulit Abbas, in hac nostra controversia rem esse cum Jansenista tuo, hujus Bibliothecæ domino, quàm tecum. Quippe antequam ipsi responderem, & cum eo de bona Jansenistarum fide, cujus in hoc ipso loco vestigium aliquod extat, expostularem, quærerem ex illo quid sentiat de Inquisitionis Romanæ censuris? Num in sua pariter ac nostra causa totum judicium penes hoc tribunal esse velit? In eam conditionem si conveniret, Baunium profectò Jesuitæ omnes Inquisitorum severitati dederent: sed rursum Jesuitæ ipsi defensionis & Apologiæ contra Litteras Provinciales nihil egerent, quarum & nomen ac titulos fusè in Decretis Inquisitionis perscriptos legere est.

Quid narras? inquit Eudoxus Abbatem interpellans: nudius tertius legebam in Portu-Regiensium libello, quem in Montensis Testamenti causa edidere, *Non raro inde perspici librum quempiam integram ac sanam continere doctrinam, quòd Romana censura notatus fuerit.* *Lettre à un Conseiller.*

Id si est ita, inquit arridens, fulmen contra Baunium & Paschalem intortum non modo eos non dejecit, sed ne infuscavit quidem. Est hic profectò quiddam, adjecit, in Jansenistarum instituto non cohærens, neque satis aptum. Demiror quàm parum constent sibi. Fuerit aliquis Jesuitarum liber in Romanum Indicem relatus; satis est causæ, ut infamis habeatur. In eundem Indicem vicissim conjectæ sint Provinciales,

 Novum Testamentum Montense: fuerit hoc idē Testamentum duorum Summorum Pontificum censura confixum; satis est argumenti, ut libri illi innocentes & integri pronuncientur, satis causæ ut in majori quam anteà pretio, in deliciis amoribusque sint!

Ut ut est, retulit Abbas, cur aliquis liber in Indicem reponatur, Roma vulgo non explicat. Sæpe aliud vitii nihil est, quàm quòd in eo typis excudendo peccatum quidpiam contra leges Typographis latas jurisque formulas sit. Interdum id accidit propter nonnulla principia parum consentanea placitis quibusdam Doctorum Juris Canonici in Italia, quos inter & Gallicanos Doctores non semper convenit. Cujus generis nonnihil in Baunii libris esse potest, quod Censoribus non arriserit, de Regiorum Administrorum jurisdictione. Ac revera satis constat eam rationem ab iis allatam fuisse à quibus, ut censura notaretur, laboratum fuit: Illis, inquam, ipsis, qui apud Gallos se ostentant & popularem captant auram insectandis Transalpinis, & Gallicanis Libertatibus cupidè asserendis. Hoc vero notum est atque apud omnes pervulgatum, Provinciales habitas fuisse Romæ in numero famosorum libellorum, & ut calumniis & imposturis refertas, atque adeò erroribus & scabie Janseniana infectas. Divinet jam qui volet ob quam ex illis potissimum causam Inquisitionis Decreto confixæ sint.

Quod attinet ad Episcopos Galliæ, perrexit Abbas, legamus iterum, quæso, Paschalem: *Factum malè (insusurrat in aurem mihi Jansenista meus) quod liber iste damnatus Romæ fuerit, & à Præ-*

à Præsulibus Gallicanis. Ibi respiciens Cleandrum Abbas, cum audis, inquit, è Paschale Baunii librum ab Episcopis Galliæ fuisse damnatum, nonne credas id in Consessu Episcoporum totius Nationis factum esse? Certè, subjecit Cleander, in Gallicani Cleri Comitiis putavi. V. Dial.

Minimè gentium, reposuit Abbas. Hoc unum sibi vult Paschalis, notatum fuisse Baunii librũ à Gondrino, Archiepiscopo tum Senonensi; item ab Episcopo tunc Bellovacensi, & à Convenensi Præsule, illo ipso, qui ad Tornacenses Insulas translatus, mortem paucis ab hinc annis obiit.

Hoc tantum? ait Cleander. Baunius & Jesuita, & Jansenistarum adversarius non mollis erat: id unum abunde fuit, cur apud istos Judices causa caderet.

De Sorbona nihil dicam, Abbas addidit, nisi quod intelligi vix queat, quo tunc pacto censoria Doctorum virgula signum fuerit appositum in Jesuitæ libro propositioni, quam in Sancta-Bovii scriptis omnes amplecterentur, quam aliquot ante mensibus publicè propugnassent, ut è citata modo Thesi cognovisti: subjectum eidem propositioni, contra Baunii mentem, sensum quem ipsi Theologiæ consuetudo non tribuit; quem illi omnia, unde ducitur, principia prorsus abrogant; quem eidem ipse Baunius nequivisset subjicere nisi, non dico hæreticus, sed fatuus & amens fuisset.

Crede mihi, in istis contentionibus, in variis ludificationibus, & malis artibus ac versutiis quibus tum Jesuitæ vexabantur, satis illis erat negotii non tam ut se defenderent, quam ut eum in sua defensione tenerent, quem sibi retinendũ sem-

 semper esse vel suo damno ac detrimento censuerunt, modum atque observantiam, adversus quasdam Sodalitates quæ ipsorum rem & famã pensi contrà nihil habebant; imo in quibus certi homines molestiam ipsis acerbè atque atrociter exhibebant.

Sane quidem, inquit Eudoxus, tunc nullum nõ moverunt lapidem Jansenistæ, ut omnium animos & odia in Jesuitas accenderent, & illis cessit res è sententia. Qui plurimis in Societatibus eorum opera exarsit ignis, vivit adhuc in aliquibus & sedulò fovetur.

Utinam, reposuit Abbas, minus vera narrares! Sed hujus Epistolæ examini finem hic imponamus: in ea quippe nihil est præterea quod Moralem Jesuitarum doctrinam propriè spectet. Date mihi modo hanc veniam, ut vobis obiter subjiciam unum è multis quæ per se satis occurrunt, præsertim quod attinet ad artes malignas & veteratorias auctoris Provincialium.

Illud autem quod animadverti à vobis velim eo spectat ut consideretis, quàm imbecilla sit ac futilis tota hæc Paschalis oratio. Obsecro enim, quo nituntur fundamento præclara illa consectaria doctrinæ morum remissæ ac dissolutæ, in gratiam ganeonum, impiorum, ultionis avidorum, contumeliosas in Deum ac Superos voces effundentium, Epicureorumque consectaria Jesuitis attribuit? Hoc nituntur uno, quod asserit personatus ille Jesuita, præeunte verba & præcinente Paschale: videlicet ut aliquis jure culpetur necessarium esse afflatum Dei, mentem collustrantis, & cogitationem injicientis, quas, qui peccat, facinoris pravitatem illo ipso tempore

re secum reputet. Nituntur Baunii propositione, itemque Annati, quorum amborum alia mens, alia penitus, quàm quæ ipsis affingitur, sententia fuit. Vel sola distinctio peccati in se aut in causa tantùm voluntarii, delicti per ignorantiam *invincibilem* nec voluntariam, itemque per ignorantiam *vincibilem* ac voluntariam admissi, istas omnes larvas discutit ac depellit. V. Dial.

Ita flagitiosi omnes, omnes impudici, omnes Epicurei, quibus patronos in Societate inventos Paschalis gloriabatur, jacent ex omnium Jesuitarum principiis convicti ac rei facinorum, quibus eos liberari ab Jesuitis affirmat. Hæc omnia perspicere, ut ea quæ cernuntur oculis, potuistis ex illis paucis ipsorum Theologiæ effatis quæ jam delibavi. Nihilominus tamen, (quod mirari sanè licet) in speciosis illis delationibus *Hæreseos Peccati Philosophici*, quibus, tanquam certo fulmine, obruendi Jesuitæ videbantur, quodque momento detonuit evanuitque, jubetur consuli quarta Provincialium, perinde quasi causam illorum & crimen demonstratum aperte contineat, nullus ut ipsis præterea patere ad defensionem debeat locus. Quid, amabo, censeris?

Rem tibi non ingratam fecero, Abbas ornatissime, interpellavit Eudoxus, si renarrem hic hominis longè prudentissimi voces, quas ex eo tum audivi. Secundam Jesuitarum Epistolam & quem citasti modo librum de *Errore Peccati Philosophici* ab eorum Theologis oppugnato, proximè legerat. Negabat se, hoc libro perlecto, jocis ac salibus, quibus aspersa erat quarta ad Provincialem epistola, præterea moveri; sed ridere se vicissim, & hanc jacturam abundè sarcire,

V. DIAL. cire, cum Arnaldum legeret seriò atque acriter denunciantem deferentemque ad Judices *Novã* de Peccato Philosophico *Hæresim*. Enimvero se risum singulis prope capitibus nõ tenere. Nempe, inquiebat, in his libris duo sunt à Jesuitis demonstrata. Primum, nemini ex ipsorum Theologis dubium unquam fuisse, quin impii, libidinosi, peccandi consuetudine vitiosa irretiti, re ipsa peccarent, æternasque illorum criminum daturi pœnas essent, quibus obstringunt se se; tametsi trãquilli & otiosi sint, ac nullis cõsciẽtiæ stimulis crucientur. Alterum, contrariam opinionem ex Jesuitarum principiis deduci non posse, siquidem omnes ad unum asserunt neque in ignorantia, neque in incogitantia, neque in consuetudine, aut cæcitate, si fuerint voluntariæ, ullam delicti excusationem legitimam, aut sempiterni supplicii deprecandi causam esse. Ista duo, ajebat, a Jesuitis clarè comprobata, omnem, qua joci & sales Quartæ Provincialium prætexuntur & colorantur, veri similitudinem abstergunt, atque adeo leporem universum eluunt. Nihil quippe est futili ac inepta dicacitate, cujus appareat falsitas atque extet, insulsius: vel potius nihil ad stomachum & odiũ cordatis hominibus movendum aptius.

Consimili de causa qui debacchantem ac nõnunquam furentem in suis quinque Denunciationibus Arnaldum legit, temperare sibi non potest quin erumpat in istas sæpissimè voces: In quos demum iste vir bonus furit? Habet in manibus Divionensis Professoris scripta, ut ipse testatur; legat. Idem Professor eadem publici juris fecit, idoneis testimoniis & auctoritatibus pul-

crè

erè munita & obsignata, ut in omnium oculis V. Dial.
proposita fidei suæ integritas ac sententiarum pateret. Verba, quibus expressa ejusdem Thesis est, Jesuitæ condemnant, & jure fuisse reprehensa confitentur. Arnaldum inclamant commentitios sibi fingentem hostes, & inania, quæ debellet, monstra fabricantem: contestantur, excepto ignorantiæ non voluntariæ dogmate, quę peccantem excuset, cætera omnia neque conclusiones, neque principia suorum esse Theologorum; probant, demonstrant. Equidem id tunc temporis, ait Eudoxus, leviter credebam; nunc res mihi æque ac tibi comperta est, Abbas eruditissime. Ad Quintam Epistolam transeamus.



V. DIAL.

SECUNDA PARS
Quinti Dialogi.

JAm, inquit Abbas, in superioribus colloquiis excussimus bonam partem earum rerum quę in hac quinta tractantur epistola, cujus præcipuum argumentum est doctrina Probabilitatis opinionum. Restant modo nonnulla, præter hoc primarium caput, examinanda.

En tibi, ait Eudoxus per jocum, occurrit primo loco levicula res & nullius ferè momenti. Objiciunt Jesuitis quod subtili quadam intentionis directione coli falsa Numinum simulacra sinant ab Indiæ Sinarumque Christianis. Legamus locum ipsius epistolæ; extat hic in meo Provincialium libello pagina septuagesima quinta.

I. *De Idololatria Sinensibus Christianis a Jesuitis, ut dicitur, permissa.*

„ Sic idoneos cuilibet hominum generi Doctores in promptu habent, atque ita solerter & accomodatè, prout quisque illos consulit, respōdent, ut iis in regionibus, ubi Deus cruci affixus stultitia est, de scandalo crucis sileant; & Christi majestatem gloriamque, cruciatus nequaquam aut mortem, prædicent: id quod in Indiis & Sinensi Regno præstiterunt, ubi fictorum etiam Numinum simulacra colere fas Christianis esse voluerunt, hoc subtili artificio. Docent illos videlicet abditam sub veste imaginem Christi gerere, ad quam tacita cogitatione referant adorationem quam falso Patriæ Numini Chacim-choano, & Doctori Keum-fucumo palam

jam exhibent. Hoc Jesuitis Gravina Dominica- » V. Dial.
nus exprobrat: testatur hoc idem Commentarius »
Hispanus Regi Catholico Philippo IV. a Fran- »
ciscanis Insularum Philippinarũ oblatus, quem »
recitat Hurtadus in suo libro de *Fidei Martyrio*, »
pagina 427. Quæ res in causa fuit cur Cardina- »
lium *de propaganda Fide* Congregatio coacta »
fuerit Jesuitis interdicere nominatim, proposi- »
ta pœna excommunicationis, ne adorari inaniũ »
Numinum simulacra quocumque nomine per- »
mitterent, neve crucis mysterium iis, quos eru- »
dirent de religione, occultarent: imo ne quem »
sacro Baptismi fonte, nisi prius ea de re admo- »
nitum edoctumque, abluerent. Tum etiam, ut in »
suis Ædibus sacris Christi è cruce pendentis »
imaginem proponerent, edixit. Quæ fusius ex- »
plicat Decretum ejusdem Congregationis da- »
tum VII. Idus Quintiles anni MDCXLVI. & a »
Cardinale Caponi obsignatum. En quo modo se »
in orbem universum infuderunt, ope ac benefi- »
cio doctrinæ de opinionibus Probabilibus, &c. »

Hæc, fateor, inquit Cleander, tam stupenda sunt; istæ criminationes tam diræ atque atroces; hæc omnia tam longinquis è regionibus petita, ut ea prædicantibus *Moralis Practicæ* Auctoribus habere plane fidem, vix ac ne vix quidem unquam potuerim.

Quidni autem, retulit Abbas? Quid? Tune etiam fidem abrogas istis quæ iidem tam sancte affirmant, Jesuitas in causa extitisse, cur apud Japones in Christianum nomen tam dirè sævitum sit, quod Hollãdis hactenus tributum erat: à Jesuitis, non item ab illis, persuasum fuisse Japoniæ ac Sinarum Regibus, hoc unum specta-

re

V. DIAL. re Monachos Hispanos, dum aditum in hæc tētabant Regna, ut eadem Hispaniæ Regi subjicerent; non modo abigi cæteros Evangelii præcones a Jesuitis & male vexari, verum etiā multari usque ad mortem: compertissimum tota in Hispania fuisse, datum ab iis semel, iterum, ac tertio venenum Doctori Joanni Espino. Mitto sexcentas id genus alias leves noxas, quas non magis religioni habere prædicantur, quàm illi apud nos in Gallia, qui regias insident vias, grassatores nefarii ac prædones.

Moralis Practica Tom. 1. pag. 209.

II.

Summi Pontifices, ac Reges rationem Jesuitarum & instituta in Indis Sinensibusque Christianis erudiendis probant.

Rides, optime Abbas, inquit Eudoxus. Cui ille: Agamus seriò, per me licet. Ajo ego & confirmo, si perinde ista sunt uti nobis narrantur, multo majorem in Summis Pontificibus, in Regibus Hispaniæ, ac Lusitaniæ, quàm in Jesuitis culpam residere. Ad eorum quippe Tribunalia criminationes ejusmodi & querelæ, commentarioli, & expostulationes adversus Societatem deferuntur. Tamen nihilominus isti Pontifices ac Reges, Ecclesiæ ac Regnorum suorum obliti, Jesuitas ad Sinense Imperium & Indiam ire jubent, rogant, obtestantur ut in felici colenda messe laborem impendant; etsi quotidie moneantur hanc ab illis corrumpi ac disperdi: quin adhortantur, ut, quo cœperunt hactenus, pede pergant; nec ullum omittunt locum significandi, ab iis plane sibi satisfieri.

In hanc sententiam loquuntur Urbanus VIII. sub quo Pontifice delatorum vox audiri Romæ cœpta primùm est, in diplomate ad Japonios Christianos misso anno 1626. Alexander VII. anno 1655. in litteris ad Helenam Augustam uxorem Yumliè, qui tum Sinensis Regni Provin-

vinciis aliquot imperitabat, scriptis; itemque in alio Decreto anni 1656 in quo rationem & instituta, quæ tenere se Jesuitæ Sinenses professi sunt, nominatim probat: Clemēs IX. anno 1669. in alio itidem Decreto, in quo antecessoris sui Decretum confirmat: Innocentius XI. in eo Diplomate quod scribit ad Patrem Verbiestum, rebus in Sinensi Regno præclarè gestis inclytum; nec non in altero ad Christi cultores in Tunquino degentes dato, cum ad eos remitteret Jesuitas jamdiu ab ipsis expetitos: denique Alexander VIII. & Innocentius XII. in suis ad Sinensem Imperatorem Diplomatibus; quorum ille Jesuitas multis laudibus prosequitur, hic ab antecessore dicta testimonio suo calculoque comprobat.

V. DIAL.

3. Dec. 1681.

7. Jan. 1689.

25. Jul. 1690.

2. Septemb. 1691.

Magna sunt hæc profecto & gravia, clarissime Abbas, reposuit Eudoxus, at nonnihil tamen generalia. Rem ipsam de qua nunc agitur videamus, Decretum illud dico anni 1646. permissam illam falsorum Numinum adorationem. Ad hæc Abbas duriusculè: Mihi quidem ea, quæ modo dixi, videntur ad ipsam rem satis directò spectare, neque prolixa ratiocinatione opus esse, ut ex hoc Summorum Pontificum, & Hispaniæ Regum facto, ex eorum Diplomatibus ac Decretis in eam rem editis, colligatur, quæcumque super hoc negotio contra Jesuitas jactata sunt, puras ac putidas esse calumnias: ac si suppeterent eorum inimicis, ad eos premendos & coarguendos tam luculenta, quam quæ modo recitavi ad comprobandam ipsorum innocentiam, testimonia & instrumenta, longè uberiores acrioresque declamationes fuisse prodituras,

V. DIAL. ras, quàm quibus adhuc ſex ſeptemve Moralis Practicæ Tomi referti ſunt. Sed ea nimirum ſors Jeſuitarum eſt. Somniaverit quidpiam non nemo ex ipſorum adverſariis, frigidus aliquis rumor cõtra ipſos auctore incerto manaverit per populum: ſatis hoc ſuperque eſt ad aſpergendam eorum famæ labem: ad eandem vero eluendam certis atque authenticis actis auctoritatibuſque ſemper opus eſt. Poſt annos centum Namurcenſes bombæ in iis, quos Portus-Regius aliquis tunc ſcribet, annalibus legentur tãquam res certiſſima, & exploratiſſima; perinde atque cuniculus Anglicanus nitrato fœtus pulvere & a Jeſuitis incendendus, inter facinora nullatenus dubia in Britannorum hæreticorum annalibus numeratur.

Veniamus igitur, ſiquidem ita jubes, ad egregium Paſchalis locum, in quem paucula ſum notaturus, quorum veritatem & fidem in præſentia, vel domi meæ, vobis probabo.

III. *Decretum Congregationis de Propaganda fide temerè à Paſchale prolatum.*

Principio, quod attinet ad illud Decretum, de quo fit mentio in hac ad Provincialem epiſtola, neceſſe eſt Paſchalem id ex memoria dixiſſe, qui illud neque ipſe legerit, neque ii qui hominem ad ſcribendum induxerunt. Nullum extat Decretum Congregationis de *Propaganda* editum ſuper ea re anno 1646. ſed 1645. neque datum illud fuit menſe Julio, at Septembri; neque Cardinalis Caponi, ſed Ginetti nomen præfert. Ita minutæ illæ circumſtantiæ, quas adeo religiosè Paſchalis, quo fidem faciat majorem, perſequitur, eò dumtaxat valent ut graviori ſuſpicione laboret ipſius teſtimonium, velut hominis qui de re minime explorata diſſerat, qui ſequatur

tur commentariolos quorum fides merito nutat; & quicquid in calamum venit, effutiat. V. Dial.

Falsum videtis & mendacem : calumniatorem & sycophantam audite. Nemo est qui cum hunc Paschalis locum legit, non existimet Jesuitas, dicta causa, omnium istorum criminum cõvictos, frequenti Congregatione fuisse, decreto contra ipsos disertis verbis perscripto, condemnatos; tum admonitos & rationem pristinam in Proselytis ac Neophytis suis erudiendis mutare jussos, maximè vero præceptum ipsis fuisse ut eos à profanorum Numinum cultu abducerent, ac prohiberent quas permiserant erga Chacin-Choamum, & Kèum-fucum, sive Confucium, adorationes. Atqui hæc omnia quàm longissime à veritate absunt. Et quoniam cuncta vobis minutatim postulatis exponi, rem totam habetote.

Ex quo Evangelici præcones aliorum Ordinum in Sinense Regnum venerant, perlati fuerant Romam varii contra Jesuitas libelli super eo, de quo nunc disserimus, negotio, atque inter cæteros duo præcipui: unus à binis Philippinarum Episcopis conscriptus, alter à Dominicano presbytero, Christianæ Fidei præcone, cui nomen Joannes Baptista Morales. Ac primus ille quidem per Episcopos Philippinenses missus, nõ diu Jesuitas solicitos habuit : ambo enim isti Præsules haud ita multo post per litteras Summo Pontifici significarunt, certis auctoribus fuisse sibi compertum, rem habere se aliter atque antea falsis narrationibus delusi scripserant : quocirca facere non posse quin Patres Societatis de tam iniquis accusationibus purgarent, & eorum

V. DIAL. pariter ac veritatis patrocinium pro viribus susciperent.

At Pater Morales ea etiam Congregationi proposuit quæ scrupulum ipsi ac difficultatem moverant, in quibus hæc duo præcipuum obtinebant locum; videlicet, *num esset fas ad simulacrum Chin-Choami se prosternere, & Confucio sacrificare?*

Jesuitis, qui, ut facile apparebat, istis interrogationibus petebantur, nihil tunc quo se defenderent apud vulgus suppetebat, præter Philippinensium Præsulum, quas modo dixi, litteras. Apud vulgus, inquam: nam eos Congregatione nominaverat quidem, satisque habuerat ad ea quæ Pater Morales postulabat respondere: quorum pleraque, itidem ut ista duo, difficultatis nihil habebant. Consecutum est Decretum Pontificium, in quo Congregationis responsa comprobabantur: simulque vetitum, ne quis apud Sinas gereret se aliter atque præscriptum istis responsis fuisset: quorum unum erat, nefas esse Confucio sacrificare. Porro vetitum id fuit, *non Jesuitis nominatim ac proprie*, ut Paschalis asserit (eaque calumniæ pars non levis ac circumstantia est) *sed omnibus & singulis Missionariis, cujuscumque Ordinis, Religionis & Instituti, etiã Societatis Jesu*. Quæ postremæ voces, pro usitata Romanæ Curiæ styli que formula, in omnibus Decretis ad Religiosos Ordines pertinentibus jam pridem addi solent. Atque hæc omnia, *donec Sanctitas sua* (ita enim concluditur Decretum) *vel Sancta Sedes aliud ordinaverit*. Quod vel unum indicio est Sanctam Sedem de ipso facto amplius cognoscere voluisse. Nam de Jure ni-

nihil deliberandum præterea aut exquirendum erat, ac præsertim de sacrificio, quod fieri Confucio perhibebant. Res ipsa loquebatur. V. Dial.

Et vero cognita subinde res ea certius & intellecta fuit. Cum enim post aliquot annos Romam è Sinensi Regno venisset Pater Martinius Jesuita, totum hoc negotium & Pontifici & Congregationi ad plenum explicuit. Docuit natam idololatriæ suspicionem è cærimoniis quas in honorem Confucii Doctores, cum creantur, adhibent; quæ merè politicæ ac civiles, nullatenus religiosæ sunt: nihil hic sacrificii, nihil, quod rem sacram vel levissimè redoleret, esse. Itaque in gratiam Jesuitarum Decretum alterum Congregatio edidit anno 1656. quod profectò auctor Provincialium, aut ejus interpretes minimè ignorassent, si tam infensum & adversariū fuisset Jesuitis quàm est iisdem amicum, & eorum innocentiæ suffragatur. Sane est ejusmodi ut à quibuslibet morum Doctoribus aliis, quàm Portu-Regiis, fuisset imposita Paschali necessitas ea, quæ super his in sua ad Provincialem epistolam scripserat, retexendi ac recantandi.

Eudoxus qui hæc omnia avidis auribus excipiebat: Næ tu, inquit Abbatem respiciens, peritè ac scienter dicis: sed unde hæc hausisti tandem?

In ipsis fontibus, respondit Abbas; in gravissimis & locupletissimis, quæ in ejusmodi suppetere negotio possint, auctoritatibus ac testimoniis. Atque hic fortasse dabitur nobis facultas ostendendi tibi eorum saltem excerpta. Si Jansenista tuus rerum istarum & librorum tam est cupidus, quàm narras, & curiosus indagator, non

V.DIAL. dubito, quin eum omnibus *Moralis Practicæ* Tomis, habeat etiam Jesuitæ lucubrationem à quo ejusdem Moralis pars confutata est. Qui enim scripta id genus & contentiones cupidius asservant, vix omittunt, quæ in utramque disseruntur partem, colligere.

Continuo Abbas oculos & manus ad loculamentum id, in quo positi Moralis Practicæ Tomi conspiciebantur, adjecit; nec eum sua fefellit opinio. Ibidem quippe offendit librum, cui hæc inscriptio præfixa: *Defensio recentium Christianorum, & Evangelii apud Sinas præconum &c.* Ibi commonstravit Eudoxo excerpta è testimoniis plerisque & auctoritatibus, quibus eorum quæ modo dixerat veritas & fides asserebatur. In primis autem excerptam Decreti anno 1656 editi partem ostendens, in eo præsertim loco immoratus est ubi de religioso cultu, qui Confucio adhiberi jactabatur tanquam Numini, agitur. In hæc verba pars ea Decreti edita est.

1. Parte pag. 196. 2. edit.

„ Tertiò quæritur num accipiendorum graduũ „ cærimoniam, quæ fit in aula Confucii, Christia- „ ni litterati licitè agere valeant. Nã nullus inter- „ venit sacrificulus, vel ex Idololatrica Secta Mi- „ nistellus: nihil omnino fit ab Idololatris insti- „ tutũ: sed soli studiosi & Philosophi conveniunt, „ Confucium tanquam Magistrum suum agno- „ scentes, civilibus ac politicis ritibus ex sua pri- „ ma institutione ad merum cultum civilem insti- „ tutis. Omnes enim graduandi simul aulam Con- „ fucii ingrediuntur, in qua eos expectant Can- „ cellarii, Doctores ac Examinatores. Ibi simul „ omnes ante nomen Philosophi, nihil omnino

offe-

offerendo, illas faciunt cærimonias & inclinationes more Sinico, quas omnes discipuli faciũt suis Magistris vivis: atque ita, cognito Philosopho Confucio pro Magistro, gradus accipiunt a Cancellariis, ac discedunt. Præterea aula illa Confucii, Gymnasium est, & nõ Templum propriè dictum: nam clausa omnibus est præterquam studiosis. V. Dial.

RESPONSIO.

SAcra Congregatio, juxta ea quę superius proposita sunt, censuit permittendas Sinensibus Christianis prænominatas cærimonias: quia videtur cultus esse merè civilis & politicus.

Nec miror, excepit Eudoxus, præteritum a Portu-Regiis Decretum istud: innocentes esse Jesuitas & hac liberatos nolebant esse culpa.

Tum Abbas: Dabo aliquid etiam luculentius: Apologias, inquam, Jesuitarum ab ipsis Dominicanis factas; Dominicanis autem nominis ac notæ in Ordine isto non vulgaris. Age, licet nobis hæc omnia in *Recentium Christianorum Defensione* perlegere. Hujus Defensionis Auctor post varia, quibus Jesuitas nihil in ea re peccare probat, argumenta, hæc maximè scribit. 1. Part. pag. 210.

Vereor ne Jurieo & Practicæ Moralis Auctori veniat in mentem suspicari hanc epistolam (Patris Petri de Alcala Dominicani, cujus è litteris verba quædam Auctor proximè protulerat) ab aliquo Jesuita scriptam vel dictatam fuisse. Rem ipsam explorare, cum lubebit ipsis, licebit. Sed quid opponent tandem huic, quod jam prolaturus sum, & quo multa uno continentur, M. Jurieu.

V. DIAL. testimonio? Datum illud fuit a celeberrimo Do-
„ minicanæ Familiæ alumno Patre Joanne de
„ Paz Theologiæ Professore emerito, & Acade-
„ miæ Manilensis Rectore, Priore ac Vicario sui
„ Ordinis Provinciali. Hic in suis ad Tunquinen-
„ sium Evangelii Præconum dubitationes respon-
„ sis, quæ Manilæ anno 1680. typis edita sunt, su-
„ per his altercationibus de idololatria Christia-
„ nis Sinensibus objecta (nam illæ quoque ad Tũ-
„ quinenses pertinebant) posteaquam, quid sentī-
„ ret, edixit, in quo planè cum Jesuitis, vel potius
„ cum Decreto anni 1656 congruit, hunc in mo-
„ dum de suis responsis pronunciat: *Hoc mihi con-*
„ *stat ex variis relationibus Religiosorũ nostri Or-*
„ *dinis in Regno Sinæ assistentium.* Quanquam quid
„ hæremus in privatorum suffragiis, cum in prom-
„ ptũ sint ea quæ a tribus sanctissimi hujus Ordi-
„ nis (Dominicanorum) Præfectis majoribus lata
„ sunt? Provinciales dico tres, nimirum RR. PP.
„ Carolum Clementem Gant, Franciscum de Pau-
„ la & Philippum Pardo. Illi enim tres sæpenu-
„ mero suis apud Sinas Legis Christianæ præco-
„ nibus, pro eo, quo in ipsos præditi erant, *jure*
„ atque auctoritate, mandarunt ut eundem, atque
„ Societatis alumni, modum in servando Alexan-
„ dri VII. Decreto diligentissimè retinerent; ac, ne
„ quid contra scriberent, vetuerunt. Testis eorum
„ omnium quæ hactenus dicta sunt ac fidejussor
„ idoneus est R. P. Dominicus Sarpetri, sive à San-
„ cto Petro, in illa quam ad suum Provincialem,
„ & ad Definitores generalis Conventus Provin-
„ ciæ suæ, scribebat, epistola, ei adjuncta commẽ-
„ tationi quam his de rebus elucubraverat. Prodi-
„ bit hæc in lucem aliquando, & ejus copia aucto-

ri

ri Moralis Practicæ, spero, fiet. Interim autem recitabimus ejusdem Patris scriptum brevius, in quo summatim complectitur quod fusius in sua deinde commentatione probavit. V. Dial.

SCRIPTUM

R. Patris Dominici Sarpetri, a Sancto Petro dicti, Legis Christianæ apud Sinas Præconis.

Ego Frater Dominicus Maria Sarpetrus, aliàs de Sancto Petro, Siculus, Ordinis Prædicatorum, olim in Studio generali Sancti Dominici de Panormo ad lectionem Sacræ Theologiæ approbatus &c. Fidem facio omnibus & singulis præsentes litteras inspecturis. 1. Quod cum ex mandato Superiorum meorũ Provinciæ Sanctissimi Rosarii Philippinarum ejusdem Ordinis, ad hoc Regnum Sinarum Evangelicus Prædicator missus venissem, & ex novo iterum Superiorum mandato, quam potui, diligentiam per octo annorum spatium adhibuissem, ut de Sinicarum Sectarũ superstitionibus certior fierem; judico praxim, quam Patres Missionarii Societatis JESU in hoc Regno Sinarum se fatentur sequi circa permissionem seu tolerantiam quarumdam cærimoniarum, quibus Sinæ Christiani Philosophum Confucium & suos progenitores defunctos venerantur, esse non solum tutam (utpote a Sacra Congregatione Universalis Inquisitionis approbatam) sed etiam, si principia præcipuarum Sectarum expendamus, esse opposita sententia probabiliorem, & ad aperiendam Ethnicis Evangelii januam maximè uti-

V. DIAL. utilem, ne dicam necessariam . . . . .

„ 2. Fidem facio quod Patres Societatis JESU
„ in hoc Regno Sinarum Christum Crucifixum,
„ non solum verbo, sed etiam multorum librorũ
„ voluminibus, Ethnicis annunciant, & de sacræ
„ Passionis mysteriis suos Neophytos diligenter
„ instruunt; & in aliquibus residentiis adsunt sa-
„ cræ Passionis Confraternitates erectæ. Et novis-
„ simè persecutor Sanctæ Legis *Yam-quam-Sien*
„ dictus, hoc potissimum contra Evangelii Præco-
„ nes opponit, quod scilicet hominem crucifixum
„ pro Domino cæli & terræ venerantur: quod
„ quidem ex librorum Patrum Societatis testi-
„ monio comprobavit.

Mane paululùm, interpellavit hoc loco Cleã-der, dum ista comparem cum hoc Epistolæ Provincialis quintæ loco. *Nullum est hominum genus quod nõ accommodatum sibi Doctorem apud illos inveniat; adeo ut in illis oris, ubi Deus crucifixus stultitia est, de scandalo crucis sileant; nec patientem & humilem Christum, sed gloriosum dumtaxat prædicent*. Perge jam sanè.

„ 3. Fidem facio, &, quantum opus est, juramẽ-
„ to confirmo, quod ad duo prædicta testimonia,
„ proferenda non alterius precibus vel suasu, sed
„ solo veritatis amore impulsus fui . . . . . Sciens
„ ergo quod propter quædam dubia, quæ circa su-
„ pradictas materias P. F. Joannes Baptista de Mo-
„ rales, vir planè Apostolicus, zelo Fidei ductus
„ proposuit Sacræ Congregationi universalis In-
„ quisitionis anno 1645. quidam minus piè erga
„ Societatem affecti, cum in Europa, tum in Indiis
„ promulgarunt, Missionarios Societatis in Re-
„ gno Sinarum non prædicare Christum crucifi-
xum;

xum; insuper permittere Christianos suos idolatrare; ne & ipse tacens consentire viderer cum illis, & ut tantorum Patrum famæ eo, quo possum, modo satisfacerem, præsens judicium protuli: illud tamen subjiciens Sanctæ Romanę Ecclesiæ judicio certiori. In cujus fidem has litteras dedi & manu propria subscripsi in hac domo Cantoniensi, in qua loco carceris vel exilii pro causa Fidei detinemur: die 4. Augusti 1668. V. Dial. » » » » » » » » »

F. Dominicus Maria Sarpetrus, aliàs de S. Petro, qui supra.

Quid, obsecro, his addi potest? inquit Eudoxus admirans. Tu vero, adjunxit Cleander, nostin' ab auctore Apologiæ, seu *Defensionis recentium Christianorum & Evangelii apud Sinas Præconum* invitari eos quibus suspecta quoquomodo monumentorum & litterarum quas profert veritas esse posset, ut easdem ipsimet oculis usurpēt suis in Parisiensi Collegio Societatis, ubi earumdem extant autographa, aut exempla ex ipsis autographis summa cum fide exscripta, nullus ut dubio locus esse possit? Quid si scias ipsum me temperare mihi non potuisse quin curiositati parerem meæ? Quid ais? excepit Eudoxus: librum hunc tute legisti, & quæ in eo citantur testimonia auctoritatesque perspexisti? Age vero, de opere illo scire pervelim quid sentias.

IV. Liber inscriptus *Defensio recẽtium Christianorum & Evangelii apud Sinas Præconum.*

Illud planè sentio, retulit Cleander, hunc librum esse præstantissimum, scriptum eleganter & accuratè: in eo nihil non esse firmum ac solidum: illo doceri lectorem prudenter, imo etiam grata rerum varietate suaviter oblectari: cęteroqui modestum opus, ac hominis quem sui compo-

V. DIAL. potem esse mirabar certis in locis, ubi me legentem, adversus eos qui ibi refellebantur, stomachari atque excandescere sentiebam. Atrocitas flagitiorum quæ Jesuitis objectantur, factorum & rationum quibus eadem crimina revincuntur evidentia, variè animos ac jucundè afficit, ut obrepere legentibus tædium ac satietas nequeat. Auctor ipse sic animo temperat, sic orationi moderatur suæ, ut nullam tamen, quam quidem ipsi materia suggerat, adversarios multandi carpendique occasionem omittat. Quid plura? tetras illas, de quibus nunc dicimus, calumnias tam longè accersitas, non tantùm hæc Apologia diluit, verum etiam eos gravi præjudicio vulnerat, qui id sibi sumpserunt ut eas in Europa disseminarent venditarentque: neque apud me quidquam aliud plus valuit ad elevandam Provincialium Litterarum fidem.

Librum hunc legam per otium, inquit Eudoxus, tum ut mihi satisfaciam, tum ut erudito Abbati gratificer: cui, ut opinor, nihil occurrit quod additum iis, quæ dixisti modo, velit. Ego vero, subjunxit ille, possem adhuc Paschalem in eo ipso, quem examinamus, loco falsi coarguere. Scribit enim permissam à Jesuitis idololatriam non solum in Imperio Sinensi, verum etiã in Indiis: cum nemo adversariorum id ipsis objecerit, quorum calumniæ intra Sinense Regnũ omnes constiterunt. Et cur de Indiis mentionem nullam facerent causæ quidpiam suberat. Longè facilius quippe revinci calumnia potuisset. Nulli faciebant apud Sinas mercaturam, Hispani, Lusitani, Angli, aut Hollandi, qui frequentet in Indiis negotiantur; atque adeo Jesui-

tæ

tæ tot innocentiæ suæ testes, quot mercatores, habuissent. V. Dial.

Unum id tamen obiter observare juvat; nimirum, si tolerandus falsorum Numinum cultus fuerat, id longè commodius in rem Jesuitarum apud Japones quàm apud Sinas fieri debuisse. In Sinensi enim Regno non gravius in eos quàm carcere & exilio sævitum est: contra in Japonia proposita ubique fermè capitis pœna. Centum admodum Jesuitæ, qui ob Christianam Fidem ibi necati sunt, alii ingesta per vim aqua (dirum supplicii genus) alii in subjectas scrobes versis sublime vestigiis demissi, alii lento igne tosti, saluti suę & vitæ consuluissent directa clam tacitis mentibus ad latentem & abditam vestibus Christi è Cruce pendentis imaginem adoratione, quam falsorum Numinum simulacris palam adhibere simulassent; quemadmodum perhibentur suis Neophytis in Templis Sinensibus permisisse. Ut enim fert parœmia vetus, *Ordinata caritas sibi primum ipsa prospicit*.

Eho, Cleander inquit, tùne etiam nobis adjutoribus indiges, Abbas eruditissime? Itane tibi excidit quod in hoc negotio palmarium argumentum est? Cedo quid afferat Paschalis quo permissam illam à Jesuitis Ecclesiæ Sinensi idololatriam probet? Commentariolum profert Hispanum, Philippo IV. ut narrant, Hispaniæ Regi ab Franciscanis Insularum Philippinarum oblatum: nec tibi venit in mentem ejusmodi scriptum esse subdititium, & Franciscanis falsò attributum, quo plus illi accederet auctoritatis & fidei: cum ejus Auctor & parens suum nefario fœtui nomen imponere ausus non fuisset? Auctor

V. Dial. ctor ille, si nescis, Didacus quidam Colladus erat, eodem artificio ad consimiles satyras vulgandas olim usus; homo inquietus, rerum novarum, ac turbarum avidus; sæpe deprehensus in suis Commentariis pugnantia loqui, & falsa cōfirmare: qui demum, qualis fuerit, ipsa Ordinis sui historia satis indicat, cum graves turbas in eodem Ordine illius opera concitatas narrat. Jesuita, quo monstrante cognovi monumenta & scripta quibus Apologia Missionum Societatis nititur potissimùm, & quę in eam adhuc inserenda sunt, id quod retuli modo me docuit, ostenditque perscriptum in Sinensi Historia, quam edidit Hispano sermone Navarrettus, è Dominicana item Familia: in qua ipse dum vixit, mirè pervicax accusator Jesuitarum fuit; ad Archiepiscopatum subinde provectus, eorum laudator, amicus, patronus extitit; adeo ut Collegium ipsis in Urbe Archiepiscopali sua, Sancti Dominici nuncupata, fundandum curaverit.

Rem dicis, inquit Eudoxus, momenti haud certe levis inter cæteras, quibus modo primum illud quintæ ad Provincialem epistolæ caput ita exagitasti, nihil ut præterea desiderari possit.

Factum operæ precium puto, adjecit Abbas: unum hoc de Idololatria permissa caput acerbissimam Jesuitis plagam imposuit; ex iisque non semel audivi cum dicerent reliquas accusationes hac una stare vel cadere. Ea quippe si ponitur esse vera, proclivis ac prona est reliquarum fides: si falsa demonstratur, nihil est ex quo clarius adversariorum in eos invidia furorque perspici, bonorum indignatio ac stomachus vehementius commoveri possit. Cætera quæ in hac

hac eadem Paschalis epistola continentur, levioris ad examinandum operæ sunt, neque nos diutius morabuntur. V. Diat.

V. *Locus Escobaris de Jejunio excusus.*

Ea sunt, inquit Cleander, quæ de jejunio Escobarius decidit. En illum vobis cum præclara viginti quatuor Seniorum & Animalium quatuor Præfatione. Legamus, amabo: satis lepidè jocatur hic Paschalis. *Dormire quis nequit, nisi sumpta vesperi cœna: tenetur ne jejunare? Minime.* Nonne hoc satis tibi facit? Non omnino, inquam, nam jejunium sat commodè tolero, si paululum cibi manè capiam, cœnem vesperi. Attende ergo quæ sequuntur, inquit: nihil ab illis provisum non est. *Si sufficit manè collatiunculam sumere, & vesperi cœnare; tenetur ne ad id?* Nimirum is ego sum. *Non tenetur: quia nemo tenetur pervertere ordinem refectionum.* O, bellam, inquio, rationem!

Oppidò ridiculam, excepit Abbas: atque id prorsus fatendum est, Escobarium, qui nihilominus non semper ita est Escobarius, hoc est, ut loquuntur Jansenistæ, tam laxus ac indulgens, quã isti persuadere populo voluerunt: fatendum, inquam, est Escobarium meritò cum sua illa decisione rideri. Quin condemnetur, planè non recuso: hoc unum addo, Escobarium responsionem hanc neque ab Animalibus quatuor, Suare, Vasquesio, Molina, Valentia, neque à viginti quatuor Senioribus accepisse: hallucinatum etiam esse (quod identidem illi accidit viro minimè malo) dum pro se Filliucium citat, qui simile nihil quidquam habet in suo Tractatu de Jejunio.

Ad hæc Eudoxus: Hic te agnosco, Abbas opti-

V. DIAL. time: hic bonam illam fidem cerno, tibi adeo familiarem & amicam, ac laudo. Ego quidem certos quosdam Jesuitarum patronos non fero, qui eos ubique sibi defendendos putant: quasi statim atque Jesuiticam aliquis indu.t vestem, ita dotem hanc præclaram simul indueret, ut falli non possit.

Amici Jesuitarum eundem fortasse, quem servo, tenerent in iis defendendis modum, si eādem, atque tu, eorum inimici æquitatem in iis oppugnandis servarent. Utrique nimii sunt, utrique studio vehementiore, atque hi multo etiam plus, quam illi, peccant. Quod autem attinet ad eas de Jejunio quæstiones, quas lepidas Paschalis vocat; legat ipse, nisi molestum est, Divum Thomam in quartum Sententiarum; complures id genus, quibus perinde se oblectare poterit, offendet.

Distinct. 15. q. 3. a. 4.

Ad rem valdè non pertinent, ait Cleander: sed audire velim quid illi respondeas graviter incusanti Escobarium, qui vini potu, etsi extra cœnam adhibeatur sæpius, jejunium non solvi affirmet?

Cedo mihi, quæso te, inquit Abbas Eudoxum compellans, Summam hanc Sancti Thomæ. Legit ipsis Quæstionem 147. in Secunda Secundę. Ibi hæc ille docet, artic. 6. Quærit in titulo: *Utrum requiratur ad jejunium quòd homo semel tantùm comedat?* Tum id sibi objicit. *Non est prohibitum quin pluries bibamus diversis horis diei: ergo etiam non debet esse prohibitum jejunantibus quin pluries comedant.* Sic respondet: *Jejunium Ecclesiæ non solvitur nisi per ea quæ Ecclesia interdicere intendit instituendo jejunium.*

nium. Non autem intendit Ecclesia interdicere abstinentiam potus. Et ideo licet pluries jejunantibus bibere.... Si autem quis immoderatè potu utatur, potest peccare, & meritum jejunii perdere; sicut etiam si immoderatè cibum in una comestione assumat. V. Diat.

Divum Thomam hic auditis, perrexit Abbas, non Escobarium; ac Divum quidem Thomam Theologorum grege comitatum.

Do manus, inquit Cleander: Auctori tanto refragari non ausim: Escobarius in tuto est. At enim, retulit Eudoxus, monet saltem D. Thomas, si quis immoderatè potu utatur, peccare illum posse, & meritum jejunii perdere.

Paschalis, respondit Abbas, dum omnes aucupatur circumstantias quibus Escobarii decisio mollior & solutior D. Thomæ doctrinam ignorantibus appareat, cavit sedulò ne lenimenta, quibus illa temperatur, adjungeret. Audite igitur Escobarium, qui D. Thomam hoc loco prope ad verbum exscribit. *Immoderatio autem*, inquit, *potest temperantiam violare, sed non jejunium.*

Ho! exclamat Cleander, si has Casuistæ hujus voces Paschalis vernaculè repræsentasset, dicacitatis & joci, quo claream ejusdem Escobarii seu vinum aromatis conditum deridet, aciem omnem vimque retudissent: nemo risisset Escobarium, quod unum ille tamen volebat. Sequitur eodem de argumento Filiucius, adjecit Cleander, cujus verba sic Jesuita inductus à Paschale refert, sic ipse Paschalis explicat, exponitque. VI. *Filiucius defenditur.*

Qui aliqua in re defatigatus est, ut in puella „

V. DIAL. *insequenda, tenetur ne ad* jejunium? *Nullatenus.*
» *At si dedita opera, & ut* jejunii *onus excutiat,*
» *defatigatus est, tenebitur ne? Etsi fecerit in*
» *fraudem ac de industria, non tenebitur.* Ea,
» quasi à Filiucio sumpta dicuntur. Pergit Paschalis, sive is qui cum Jesuita colloquens à Pa-
» schale inducitur. Quid tu, credidisses ne? Ego
» vero, inquam, mi Pater, vix etiam credo. Eho,
» non peccat qui jejunium omittit, cum possit ob-
» servare? Siccine peccandi occasiones captare
» fas est, an potius nefas non vitare? Commo-
» dum istud quidem fuerit. Non usquequaque id
» nefas, inquit: habenda enim ratio multarum re-
» rum.

Age, inquit Abbas: Filiucium inspiciamus. Nec mora locum citatum reperit, &, Paschalem, ait, omittite paulisper, Filiucium ipsum auscultate.

Dices secundo, an qui malo fine laboraret, ut ad aliquem occidendum, vel ad insequendam amicam, vel quid simile, teneretur ad jejunium? *Respondeo talem quidem peccaturum ex malo fine: at, secuta defatigatione, excusaretur à* jejunio. *Ita Medina: nisi fieret in fraudem, secundum aliquos. Sed melius alii, culpam quidem esse in apponenda causa fractionis* jejunii: *at, ea posita, excusari à* jejunio. *Ita Antoninus, Medina, Sylvester.*

Quid? exclamavit Eudoxus; si ut crastino me jejunio liberarem, sanguinem ex utroque brachio ac pede misissem, adeo ut viribus pene defectus conciderem, an Paschalis jejunare me cras juberet? Si illo uterer Medico, jejuniumque mihi non interdiceret, peccatum ab illo ip-

so admitti censerem. Satis intelligo, quod docet Filiucius, admissum à me scelus gravissimũ, propter vitiosum finem quem mihi præstituissem, & quod ipse mihi facultatem ademissem implendi præcepti: bis ac largiter hoc uno facto peccatum foret. Sed cum in statum redactus, ne adeundum quidem mihi Parochum, ut jejunii lege solverer, judicarem. V. DIAL.

Vestrum jam arbitrium esse volo, subjecit Abbas, quantùm discriminis intercedat inter Paschalem Filiucii verba referentem, & ipsum Filiucium, ut à me citatus est; quantum etiam ejusdem Filiucii, Sancti Antonini, aliorumque decisio abhorreat ab ea quam Paschalis idem affert, proponendo rem captiosè, ut solet, ac fraudulenter. Quamplurimi qui Litteras istas animi tantum causa lectitant, & bona Paschalis fide nituntur male creduli, Theologum hunc ridiculum, ineptum, absurdum, moralis doctrinæ corruptorem appellare non dubitaverunt; quàm jure ac merito, cernitis. Prçterea, è duobus exemplis, quibus utitur ad mentem suam explicandam Filiucius, alterum nihil habet invidiosum: hoc Paschalis omittit; eligit alterum, quod, si Gallicè reddatur, objicit menti speciem subobscœnam; cum in Latino sermone, & in ejusmodi scriptis quæ à populo & ab iis qui versantur in seculi pravitate, non evolvuntur, ea res offensionis & invidiæ nihil habeat. Quis hominem non videt omnes nocendi vias malignè ac sedulo consectantem? Quid autem, cum hunc Filiucii locum vexat, cum ex eo derivat consectaria, & bonum illum, quicum fabulatur, Patrem his urget? *Eho, non peccat qui jejunii le-*

V. DIAL. *gem perfringit, cum possit implere? Siccine peccandi occasiones captare fas est? an potius nefas non vitare?*

Ego vero, intulit Eudoxus, ajo ista esse satis male falsa, bene ac naviter flagitiosa. Wendrokius, adjecit Cleander, versat se in omnem partem miris modis, dum se extricare hinc tentat. Quam in rem nuper ita mecum non nemo jocabatur. Wendrokius, inquiebat, ubique Jesuitas conviciis proscindit rustici aurigæ instar: hoc loco ut auriga, plaustro in cœnum immerso, dejerat, ac dira verba dicit, nec suo se tamen cœno expedit. Comparatio non elegans illa quidem, sed ad rem satis accommodata.

Quò magis progredimur, inquit Eudoxus, eò magis adducor, ut credam libros Casuistarum Societatis non tam feraces esse decisionum portenti similium, quam Jansenistæ prædicant, & ii qui fidem ipsis aut habent aut habere se simulant. Nam si tanta est earum turba, quid attinet eas deligere quas purgare Jesuitæ vel ipsa verborum expositione ac solo communis rectique sensus judicio possunt? Quid opus est iis tam plausibilem dare locum de fallacia conquerendi; suggerere materiam expostulandi tam justè, ut toties factum ab iis fuit, quòd suorum Auctorum scripta falsò proferantur ad risum populo dandum, & dicta dicenda? Non deerunt nobis alia ejus generis exempla, inquit Abbas: sed pergamus sanè, & quæ in hoc Dialogo sequuntur, expendamus.

VII. *Locus Baunii de occasione proxima depravatus a Paschale, restituitur & exponitur.*

Tum Cleander: hic hæseramus. Siccine occasiones peccandi captare fas est.... Non usquequaque nefas est, inquit: habenda ratio multarũ

re-

rerum. Quarumnam, inquio? Quid si ex illa oc- V. Dial.
casionum fuga caperetur aliquid incommodi, an tum quoque illam præceptam censeas? Non censet certe Pater Baunius, cujus hæc verba sunt pagina centesima octogesima quarta: *Non neganda absolutio est iis qui in PROXIMA PECCANDI OCCASIONE remanent, si eam deserere aliter non possunt, quin vel sermonem dent populo, vel aliquid ipsi inde incommodi capiant.* Bene est, mi Pater.

Legebat Eudoxus tum maximè librum Patris Baunii, ea, quam Paschalis citat, pagina. Continuò Cleandrum interpellans, non ita lego, inquit: Nulla in hoc Baunii loco fit mentio de *proxima occasione*: atque hæc fraus depravatioque capitalis est; hic contrarium disertis verbis exprimitur. *Quia*, inquit Baunius, *quæ illos ad peccandum tunc inducit causa, nec suapte sponte mala est, neque præcepto ulli aut Ecclesiastico Decreto contraria; neque ejusmodi per se se, ut ex communi hominum sensu, usuque vita quotidianæ, ad peccatum pertrahat. Quare in OCCASIONIS PROXIMÆ, & ad peccatum inducentis loco ac numero censeri non potest, quam, qui confitetur, vitare necessario debeat ad gratiam Sacramenti consequendam.*

Obsecro, ait Cleander, ipsa mihi Baunii verba ostendas. En, inquit, perlecto loco; en germanam iterum ac genuinam fallaciam, & omnibus numeris absolutam: constant omnia, plana res, nullus dubitandi ac disputandi locus.

Agitur in hoc Baunii loco, pergit Eudoxus, de quotidianis occasionibus, ac pervulgatis quæ mercatoribus offerunt se se, quos ipsa commer-

V. DIAL. cii ratio & negotiationis adigit *ad videndas puellas ac feminas, agendum cum illis, & colloquendum: quo ex aspectu & colloquio sæpe ad peccatum alliciuntur.* Eo res igitur omnis redit, an mercator, qui mercaturam sine famæ ac familiæ detrimento non posset omittere, *dummodo firmiter proponat non peccare*, possit absolvi: num Sacerdos negare illi sacram absolutionem debeat, aut ipsi abjiciendæ mercaturæ necessitatẽ imponere. Hoccine tãdem est, ut Paschalis scribit, idque characteribus Italicis & citata confidenter auctoris pagina, *negandam non esse absolutionem iis qui in PROXIMA PECCANDI OCCASIONE remanent*? Sinceritatem hominis ac fidem! Audieram hactenus proximam occasionem hanc dici, cui vix unquam resistatur; utque dicebat modo Baunius cum omnibus Theologis, occasionem quæ, ut res vulgo accidunt, ad peccandum per se trahit. Atqui, licet occasiones frequentissimæ, quæ nobis occurrunt certas artes exercentibus, ad peccandũ sæpius nos alliciant, nihilominus iisdẽ sæpius etiã resistitur; & immane quantũ frequẽs occasio à proxima discrepat. Quid igitur illo mercatore fiet, nisi concedat in eremum miser, aut Cartusianam vestẽ induat? In plerisque enim vitæ civilis & communis artibus officiisque versari coguntur homines cum puellis ac feminis, in eorum conspectum & colloquium venire. Hanc Moralem doctrinam si Parochus Sancti Eustachii sequeretur, næ quotannis complures tabernæ venales Paschalibus Feriis proscriberentur in vico Sandionysiano.

Contigit mihi, inquit Abbas, sæpenumero cũ

Sor-

Sorbonicis Doctoribus, cum Jesuitis, cum aliorum Ordinū Religiosis viris differere de proximis occasionibus; & quibus de causis sacræ absolutionis beneficio privādi aut ægre impertiēdi sint, qui seu voluntate seu necessitate illis implicantur. Verum, si absurda quædam excipias ad quæ delabuntur nonnulli Confessarii, vix ullos comperi Jesuitis in hoc negotio severiores. V. Dial.

Mihi vero, ait Cleander, Jesuita quicum nescio quid ejus generis aliquando agitabam, id confirmabat, observatum ab ipsis fuisse in urbibus, ubi domos Societas haberet, certos homines in suo quemque munere & gradu spectatos, quibus satis constabat opus esse benignitatem illam & suaviorem erga delinquentes indulgentiam, quæ Societatis Sacerdotibus tribuitur, nunquam fermè ad ipsorum tribunalia per tēpus Paschale convenire, idque indicio esse illos alibi commodius & mollius accipi.

Novi ego, adjecit Eudoxus, quos ille de Jesuitarum indulgentia sparsus rumor in fraudem induxit. Sane Eques N. quem probè nosti, mihi olim dictitabat, male Paschali ejusque litteris credi: se illis fretum Jesuitas adiisse confitendi causa, sibi nunquam rem tam male cessisse: dilatam absolutionem, idque certis conditionibus, quibus ut satisfaceret, multum sibi ac diu fuisse laborandum. Vigebant tunc temporis Provinciales: ea fama Equitem fefellit. Neque rem habuit clam; seque delusum & circumventum ægrè ferens, Paschalem impostorem, in ea re saltem, esse ubique clamitavit.

Ad hæc Abbas: Quis Sacerdotum vicem non doleat, qui confitentes audiunt, quibus, cum ma-

V. DIAL. ximè accusantur, defensionis copia præripitur? Ac nisi aliquis identidem, ut Eques ille tuus, qui levem famæ suæ jacturam putet, si negatam sibi absolutionem fateatur, Jesuitas in hoc negotio vacare culpa testaretur, plerique eam de illis animo conceptam opinionem foverent, quam diu Presbyter Or. mihi de facie notus ac nomine retinuit. Erat ruri cum Jesuita item Presbytero, qui a Societate post defecit. Jesuita absolutionis beneficio donare nonneminem detrectaverat, qui de repulsa aut gloriatus deinde fuerat aut conquestus. Pater admirans serio Jesuitam percontatur. Eho, mi Pater, an unquam Jesuitis usuvenit, absolutionem ut denegent? ea certe apud nos opinio percrebuit, vobis id penitus inusitatum esse.

Istis narratiunculis aberrabant paulisper a proposito, & legendi defatigationem levabant. Ad Provincialem epistolam ab istis diverticulis sermo est regressus.

VIII.

Basilius Pontius a Paschalis calumnia & inscitia vindicatus.

„ Bene est, mi Pater; si quidem peccandi occa-
„ siones non declinare licet, id demum restat ut
„ eas de industria consectari liceat. Enimvero, in-
„ quit, est ubi id liceat. Hoc Basilius Pōtius Casui-
„ sta percelebris asserit, quem laudat approbatque
„ Baunius noster, Tract. de Pœnitentia quæst. 4.
„ pag. 94. *Licet quærere occasionem peccandi primo*
„ *& per se ob bonum spirituale vel temporale, vel*
„ *nostrum vel proximi*. Equidem somniare mihi
„ videor, cum hæc a viris Religiosis dici audio.

Hæc verba quæ Paschalis interserit, inquit Eudoxus, dum nescire se dictitat, vigilansne an somnians Religiosos ita loquentes audiat, infandum aliquid inesse in hac decisione signi-

ficant.

ficant. Minimè gentium, inquit Abbas: mera hęc transitio est, quæ viam ad ineundum de Probabilitate sermonem facilius & jucundius sternat. Quæ sequuntur, quàm festiva sunt! Quid ais, mi Pater; an tu sicut loqueris, ita ex animo sentis? Nequaquam, inquit. Tum ego: Igitur quod improbat conscientia tua, verbis probas? Imo, inquit, quod Baunii, quod Pontii conscientia probat, hæc loquor; quos tu sequi duces tuto potes: viri enim docti sunt. Quid narras, Pater? An quia tres isti versiculi reperiuntur in eorum scriptis, ideo peccandi occasiones consectari licebit? Atqui sic persuasum hactenus habueram, mores meos ad Scripturæ & Traditionis amussim, non ad Casuistarum vestrorum opiniones exigendos esse. Bone Deus! inquit: redit mihi in memoriam istorum Jansenistarum, cum te sic fabulantem audio. An tu id juris Baunio & Pontio abjudicabis, ut opinioni suæ probabilitatem concilient? Probabilia, inquam, nihil moror; Secura postulo. Hic Pater, Ut video, inquit, in opinionum Probabilium doctrina peregrinus es: eam si calleas, aliter loquare. Hanc tibi explanare volo: pulcrè tibi navatam operam dixeris. Ea te notitia destitutum caligare necesse fuit. Hoc nostræ de moribus doctrinæ fundamentũ, hæc primula elementa sunt. Gaudere ego, cum illum eò, quo volebam, sensi delapsum. V. Dial.

Quid isto sermone lepidius, subjecit Abbas, quid excogitatum festiviùs? An istas veneres, lepores istos, ut levis calumnia vitaretur, amissos decebat?

Non hæc eo dico, quod verè citatum esse locum negem: absit. Patres Pinterellus & Caussinus,

V. DIAL. nus, in suis ad *Theologiam Moralem* responsionibus, hæc apud Baunium verba extare negaverunt: aliam enim hujus Theologi assertionem ab hac diversam & alio positam loco sumpserant, in qua Basilius Pontius pariter laudatur in argumento consimili, & quam ab auctore Theologiæ Moralis oppugnari crediderant. Hanc hallucinationem dignam duxit Paschalis ob quam triumpharet, seque mirificè jactaret in Epistola sua decimaquinta. Sed frustra est. Qui rem paulo attentius evolvere studuerit, ille manifestam hic quoque calumniam facile deprehendet. In eo consistit illa, quòd istæ Basilii Pōtii voces a Baunio citatæ, si spectetur locus unde sumptæ sunt, & sententia quæ illis ibi subjecta est, nihil continent nisi sapientissimam doctrinam, & rationi planè consentaneam: ut autem a Paschale referuntur, pestiferam indicant ac detestabilem. Hæc in ipso Pontio videamus. Licet è Sacra Divi Augustini Familia sit, non dubito tamen quin amicus tuus Jansenista, fretus auctoritate Paschalis, qui Baunio illum adjungit, eum Societatis Scriptoribus annumeraverit. Video enim Pontium in eodem esse cum iis loculamento & ordine, in mediis Societatis Theologis ac morum Doctoribus.

Habetur iste Pontii locus capite sexto Appendicis *de Matrimonio*. Quærit eo loco, possit ne citra culpam Catholica persona cum hæretica conjugium inire, non sine periculo desciscēdi a vera Religione: liceatne, inquam, ubi occurrit gravis aliqua ratio talis matrimonii contrahendi. *An cum periculo perversionis* (hic titulus est capiti præfixus) *possit ex aliqua magna causa*

causa contrahi matrimonium cum haretico? Agitur in eo matrimonio salus & gloria Reip. ac Religionis: affulget spes in libertatem asserendi Catholicos ab Administris Principis, viri aut feminæ, hæresi laborantis, dirè vexatos. Hæc exempla sunt quæ à Basilio Pontio in primo capitis aditu proponuntur. Respondet ipse contrahi posse matrimonium istud, etiam proposito periculo ac metu, ne conjux videlicet Catholicus in hæresim abripiatur: *Dum tamen*, inquit, *contrahat cum firmo proposito non labendi, fidensq; de divina misericordia & gratia, fore ut eripiatur ab eo periculo sine crimine.* V. DIAL.

Assertionem firmat exemplo Judithæ, quæ ut Urbem suam Bethuliam exitio prohiberet, in occasionem periculi plenissimam conjicere se cunctata non est: Item Estheris cum Assuero nuptiis: nec non Sancti Ambrosii, S. Augustini, S. Thomæ, Cardinalis Cajetani auctoritate aliorumque Doctorum complurium: atque hunc in modum concludit. *Ex his ergo & similibus casibus facilè perspicitur offerre se periculo peccandi tum demum esse peccatum quando fit sine urgente causa, vel necessitate ad id obligante & impellente; non vero si talis adsit causa. Nec vero semper necessarium esse, ut ea urgens causa sit spiritualis animæ salus, sed sufficere etiam temporalis alicujus boni gravem causam, ut in conjugio Estheris cum Assuero, Judith cum Holoferne, clarè cognoscitur.*

Jam a vobis quæro, inquit Abbas, quid in hac doctrina sit tam absurdũ, ut exclamare Paschalis cogatur, & in has voces erumpere fanaticus homo debeat: *Somniare mihi videor, cum ita loquen-*

V. DIAL. *quentes Religiosos audio?* An non potius ipse somniet ac vigilans planè stertat, cum se hac doctrina offendi tam dolenter & ineptè significat?

Alterum etiam observo, adjecit Eudoxus, qui legere Baunii locum pergebat; & hoc alterum calumniæ caput est. Observo, inquam, Basilii Pontii verba non proferri a Baunio ut probet fas esse peccandi periculum adire, proposita spe alicujus emolumenti fluxi & caduci; sed eo dũtaxat consilio ut confirmaret argumento, ut loquuntur, *à fortiori*, id quod asseruerat; nimirum *fas esse aliquando absolvere pœnitentem periculosa occasione irretitum, nec tamen illi necessitatem ejus omittendæ imponere: si justa cur eam non omittat, causa subsit: modo verè illum præteritorum criminum pœniteat, ac certam non peccandi in posterum mentem suscipiat. Cum ejusmodi occasio,* ut idem subjicit paulo inferius, *esse proxima desinat, pro ea quam occasioni proximæ Theologi subjiciunt notione, eo ipso nomine quod esse voluntaria desinat: desinit autem esse voluntaria, ubi, deposita peccandi voluntate, necessaria, cur in ea maneatur, causa intercedit.* Planè tibi assentior, ait Cleander ad Abbatem conversus: video transitionem illam necessariam fuisse Paschali ad conciliandam operi venustatem. Absolvamus.

Quidquid ex ea, quam habemus præ manibus, epistola superest, spectat Opinionem Probabilem. Sed supervacaneum fuerit in eo campo exspatiari, quem emensi jam integrum sumus. Tum id non ago ut fallacias omnes & cõmenta Paschalis notem. Nihil etiam dicam de opi-

opinione quam in eadem epistola Reginaldo tribuit, ac Patri Cellotio; nempe, *in quæstionibus ad mores pertinentibus, recentiores doctrinæ moralis consultos, antiquis Patribus, licet Apostolica tempora propius attigerint, esse præponendos.* Expensum hoc abundè jam fuit ac decisum, nec Paschalem sæpius eadem iterantem imitari libet. V. DIAL.

Hic finis colloquio impositus. Cleander & Eudoxus Abbatem amantissimè complexi, tenere se non potuerunt quin illi significarent quàm indigne graviterque ferrent confixos, desectos, & depravatos tam turpiter Paschalis stylo & novacula Scriptorum locos: nec miseritum ipsius non est, qui è cœnosis lacunis & infidis schedulis hausisset quæ scribendis Provincialibus perpolire laborasset. Condixerunt omnes in diem posteram, ut ad excutiendas sequentes litteras convenirent.



VI. DIALOGUS.

I. *Multa peccātur in Litteris Provincialibus contra integritatem, elegātiam, cæterasque sermonis leges.*

IN locum præstitutum hora condicta venire Abbati per negotium repente oblatum non licuit. Neque hoc tamen Eudoxo & Cleandro fuit in mora, quominus institutum iterque tenerent suum: ita nihilominus, ut ab examinanda morum doctrina, quam ad rem indigere se Abbatis eruditione præsidioque cēsebant, deflecterent paulisper ad aliam partem praeconii quo Perraltius Provinciales Litteras exornat in sua illa *Veterum Scriptorum tum recentioribus comparatione*, unde ipsi occasionem ansamque arripuerant easdem Litteras severiore trutina librandi.

Equidem novi complures, inquit Eudoxus, quibus non valdè persuasum est quicquid Paschalis contra Societatem suis in epistolis effutit: quàm jure illi ac meritò faciant, experti sumus. Verum per paucos contra reperias qui non assentiantur Auctori *Comparationis* dum addit, in iis Litteris *meram esse integritatem sermonis, sententiarum splendorem eximium*, *argutias jocorum admirabiles*; *omnem denique Dialogi texendi artem ibi prorsus elucere*. Tute ipse nuper, nisi obstitissem, ibas pedibus in hanc Perraltii opinionem, eamque sine ulla exceptione amplecti parabas; licet mihi non videatur usquequaque, dum eam penitius contemplor, esse vera.

Næ tu nunc quoque, ait Cleander, mihi videris audax & confidens, qui refragari omnibus, & con-

contra Torrentem, ut aiunt, niti non dubites. Per VI. Dial.
me tamen hodie non stabit quin animum expleas tuum. Et vero nihil instat modo gravioris momenti quod agamus: sed ea lege tecum paciscor, ut Arnaldus hac de re nihil audiat. Præstaret enim nobis ipsum Montense Testamentum attentasse. Si nos rescisceret veritos non fuisse styli acumen in Provincialium concinnitatem & elegantiam exerere: sic habeto, nullum fore stoliditatis, insolentiæ, ineptiarum genus, cujus non continuo rei citaremur. Fidem do me taciturum, excepit Eudoxus. Ac priores quidem Litteras tres, inquit, ne attigimus quidem: sic Abbati nostro visum, quia nihil in iis occurrebat ad Moralem Jesuitarum doctrinam quod spectaret. Nolo tamen esse irrita & perire nobis quædam à me, dum illas excutio, animadversa. Deradent illa, credo, nonnihil ex immensis laudibus istarum Litterarum, quibus hominum mentes Perraltius aliique bene multi præoccuparunt ac fascinarunt. Capesis unam è prioribus illarũ editionibus: excusę primò sũt typis in quarto, ut vocãt. Aggredior ab ipso titulo.

(*Sequebatur Examen eorum quæ adversus Gallicæ Linguæ regulas & elegantiam primâ in epistola peccantur: quæ quia commode intelligi nequeunt nisi ab iis qui Gallicam Linguam calleant, & librum ipsum habeant præ manibus, omittenda censuimus.*)

Ex iis omnibus, dum ea, quæ sunt à nobis hactenus observata in unum colligo, inquit Cleander, concludi videtur non usquequaque verum esse

VI. DIAL. esse *meram in Provincialibus Litteris candidissimi sermonis integritatem, argutias sententiarum reperiri*; in iisque *artem Dialogi totam elucere*.

Hoc Perraltii judicium, excepit Eudoxus, privati tantum Academici judicium est, non Academiæ totius; illi refragari citra culpam licet. Tum vero, nonne idem Perraltius paulò superiùs Equitem suum induxerat confitentem, magis arridere sibi Mondorii ac Tabarini, quàm Platonis Dialogos? Eat nunc Perraltius, & de Provincialium elegantia tanquam ex tripode pronunciet: ejus oraculis fidem abrogare fas erit.

Non incommodè dictum, ait Cleander. At enim si veniret in amicorum Paschalis manus censura nostra, riderent, credo; tricas istas, & apinas esse clamitarent.

Clamitarent sane, sed soli, ait Eudoxus. Equidem non inficior observationes nostras, si conferantur cum rebus ad doctrinam spectantibus, in eadem epistola merito notandis, maxime vero cum illa temeritate, ne dicam petulantia, qua Sorbona in gratiam Arnaldi deridiculo habetur, exile quidpiam & minutum esse. Verum id non agimus. Sunt minutæ res, ad alias graviores collatæ: at graves eædem sunt & capitales, cum agitur de sermone & scribendi elegantia, quod unum modo examinamus.

Non est satis ad eam laudem immensam ac prope infinitam, quam Perraltius Provincialibus tribuit, promerendam, si solœcismis aut barbarismis inquinatæ non sint. Opusculum ejusmodi non censetur omnes habere numeros elegantiæ & concinnitatis, si singulis paginis aliquid

quid insit errati: nec ferendum videtur, dum nitent aliquot hinc inde flosculi, ut fœdis omnia scateant animalculis, quibus oculi, quocumque se vertant, offendantur. Si eadem est Litterarum cæterarum ratio ac istius, quæ certe inter optimas censeri debet, ac fortasse omnium scitissime & sagacissime structa; excresceret censuræ nostræ modus supra ipsius operis molem. Ad secundam, si lubet, epistolam gradum faciamus. VI. DIAL.

Jam se operi accingebant, cum Abbas advènit. Cui Eudoxus: Dum te opperimur, id agebamus ut opinionem de Paschali caperemus paulo commodiorem ea quam animo comprehenderamus cum hinc digressus es: utque tetros illos colores quibus eundem heri tanquam professum impostorem & Sycophantam descripseras, obliteraremus.

Quo tandem pacto? inquit Abbas: allatis enim a me argumentis nihil opponi potest: oculis ipsis teneri ac probari queunt.

Ad hæc Eudoxus: Sit ita sane: nos alio mentes oculosque convertebamus. Id quærebamus unum, quonam jure Paschalis laudem hominis ingeniosi & boni Scriptoris vindicare sibi posset.

Si Paschalem hac spectatis parte, habebit quod placeat: idque unum ferè, quo placeat ac probetur, habet. Sed illi tamen ingenii & elegantiæ colores non pugnant in eadem tabella cũ iis, quibus illum heri vobis depingebam. Cogitat Paschalis eleganter; concinnè scribit; expeditè obtrectat; callidè, suaviter, confidenter, feliciter mentitur. Ex istis dotibus priores duas lectio Provincialium vel sola docet: reliquas do-

VI. DIAL. tes nostri commentarii, quibus easdem Litteras illustravimus, ostendunt.

Persuasum igitur habes, retulit Cleander, *istas* Litteras, qualescumque cæteroqui sint, saltem opus esse ingenio & arte perfectum, & inter pauca hujus generis miracula numerandum.

Ho! neutiquam profecto, respondit Abbas: apage. Dicas licet opus non illepidè scriptum, elaboratum affabre ac solerter: jure id ac merito dixeris. At istas Litteras prædicare tanquam divinæ cujusdam artis specimen, ut opus sine mendis ac nævis, & quidem gravibus, hoc vero Paschalis amicis, aut illorum clientibus & asseclis, aut iis quorum mentes occupaverint, relinquo. Scribit meo judicio volubiliter, expeditè, nativè, atque acriter: at dilucidè nequaquam & accuratè. Nec Perraltius, cum dictitat nihil in eo esse nisi *meram candidissimi sermonis integritatem*, docti aut certe sinceri Academici vocem misit.

Ut litem secas! ut præfractè decidis, o bone! inquit Cleander multo cum risu. Eam atrocem dicere sententiam ausi non sumus, post institutum a nobis modò, summa cum severitate, epistolæ primæ examen.

Atqui, reposuit Abbas, si proferrem quod est domi meæ Provincialium exemplum, vix una vobis occurreret pagina sine transverso ductu aliquo rubricæ, quo indicatur peccari aliquid ibi contra linguæ ac sermonis veritatem, aut nitorem styli, aut Dialogi artificium: sæpenumero sententiam esse frigide oscitanterque fusam.

An tantumdem notarum est, pro rerum portione, quantum hic cernis? inquit Eudoxus, primam

mam

mam ostendens epistolam, a qua examinanda recentes erant, & cui certis locis notas etiam apposuerant. Tantumdem, opinor, ait Abbas. VI.Dial.

Dum librum, aliud agens, evolvo, interpellat Cleander, incurro in locum, ex quo apparet leges quidem Dialogi non nescivisse Paschalem, at earum non semper fuisse in tempore ipso memorem. Extat hic locus initio sextæ epistolæ.

" Referam, inquit, (suum cum Jesuita videlicet colloquium) sed accuratiùs quam alterum: feram enim pugillares, notandis, qui citabuntur, locis: ac doleo vehementer quod eos prima vice non attulerim.

II. *Paschalis in Dialogi leges quam graviter peccaverit.*

Sane id præcautum ac provisum oportuit, ut verisimilitudo, quæ abesse a Dialogo non debet, teneretur: eaque vocula inseritur hic tempestivè. Neque enim credibile est potuisse illum complecti memoria omnes Casuistarum quos Jesuita proferebat locos: & eos tamen cur accuratè notaret, suberat ea causa, quòd amico Provinciali totius colloquii rationem ac modum perscripturus erat.

Sed ride mecum paulisper Paschalis memoriam parum in repræsentandis Dialogi regulis fidelem. In superiori epistola ubi renarrat sermonem bene longum quem habuerat cum eodem Jesuita, & ubi negat se pugillares attulisse: in ea, inquam, epistola citantur loci haud pauciores, quorum libri, capita, paginæ non minus accuratè, quam in hac sexta, recensentur. Omitto indicem illum quinquaginta Casuistarum, Theologorum, Canonici Juris Consultorum, quorum ipsa nomina tam scabra, & ad pronunciandum aspera ipsi visa erant, ut rogaret Jesui-

VI. DIAL. tes nostri commentarii, quibus easdem Litteras illustravimus, ostendunt.

Persuasum igitur habes, retulit Cleander, *istas* Litteras, qualescumque cæteroqui sint, saltem opus esse ingenio & arte perfectum, & inter pauca hujus generis miracula numerandum.

Ho! neutiquam profecto, respondit Abbas: apage. Dicas licet opus non illepidè scriptum, elaboratum affabre ac solerter: jure id ac merito dixeris. At istas Litteras prædicare tanquam divinæ cujusdam artis specimen, ut opus sine mendis ac nævis, & quidem gravibus, hoc vero Paschalis amicis, aut illorum clientibus & asseclis, aut iis quorum mentes occupaverint, relinquo. Scribit meo judicio volubiliter, expeditè, nativè, atque acriter: at dilucidè nequaquam & accuratè. Nec Perraltius, cum dictitat nihil in eo esse nisi *meram candidissimi sermonis integritatem*, docti aut certe sinceri Academici vocem misit.

Ut litem secas! ut præfractè decidis, o bone! inquit Cleander multo cum risu. Eam atrocem dicere sententiam ausi non sumus, post institutum a nobis modò, summa cum severitate, epistolæ primæ examen.

Atqui, reposuit Abbas, si proferrem quod est domi meæ Provincialium exemplum, vix una vobis occurreret pagina sine transverso ductu aliquo rubricæ, quo indicatur peccari aliquid ibi contra linguæ ac sermonis veritatem, aut nitorem styli, aut Dialogi artificium: sæpenumero sententiam esse frigide oscitanterque fusam.

An tantumdem notatum est, pro rerum portione, quantum hic cernis? inquit Eudoxus, primam

mam ostendens epistolam, a qua examinanda recentes erant, & cui certis locis notas etiam apposuerant. Tantumdem, opinor, ait Abbas. VI. Dial.

Dum librum, aliud agens, evolvo, interpellat Cleander, incurro in locum, ex quo apparet leges quidem Dialogi non nescivisse Paschalem, at earum non semper fuisse in tempore ipso memorem. Extat hic locus initio sextæ epistolæ.

„ Referam, inquit, (suum cum Jesuita videlicet colloquium) sed accuratiùs quam alterum: feram enim pugillares, notandis, qui citabuntur, locis: ac doleo vehementer quod eos prima vice non attulerim.

II. *Paschalis in Dialogi leges quam graviter peccaverit.*

Sane id præcautum ac provisum oportuit, ut verisimilitudo, quæ abesse a Dialogo non debet, teneretur: eaque vocula inseritur hic tempestivè. Neque enim credibile est potuisse illum complecti memoria omnes Casuistarum quos Jesuita proferebat locos: & eos tamen cur accuratè notaret, suberat ea causa, quòd amico Provinciali totius colloquii rationem ac modum perscripturus erat.

Sed ride mecum paulisper Paschalis memoriam parum in repræsentandis Dialogi regulis fidelem. In superiori epistola ubi renarrat sermonem bene longum quem habuerat cum eodem Jesuita, & ubi negat se pugillares attulisse: in ea, inquam, epistola citantur loci haud pauciores, quorum libri, capita, paginæ non minus accuratè, quam in hac sexta, recensentur. Omitto indicem illum quinquaginta Casuistarum, Theologorum, Canonici Juris Consultorum, quorum ipsa nomina tam scabra, & ad pronunciandum aspera ipsi visa erant, ut rogaret Jesuitam,

VI. DIAL. tam, num essent illi, quos nominaret, Christiani: quæ tamen omnia *sine pugillaribus* diligenter complexus memoria fuerat.

Hui! pulchrè observatum, inquit Eudoxus. Sed cur de pugillaribus in sexta epistola Paschalis meminerit, quos, malùm, erat oblitus in quinta, fecit, credo, amicus quispiam, a quo, serò licet, fuerit commonefactus errati, cui medicinam facere post tempus voluerit.

Risit hic Abbas, &, Opinor, illud erat, inquit, quòd in quarta & quinta epistola tot locos falso citatos, mutilatos, desectos è Laymanno, Baunio, ac Filliucio, deprehendimus. Scilicet pugillares afferre Paschalis omiserat: non habebat omnia perscripta & suis consignata verbis ac sententiis, sed ea vacillanti memoriæ malè credita referebat. Quod si per Criticos Portus-Regii factum est, adjecit Abbas, ut Paschalis pugillarium hoc loco faceret mentionem, ut in sequentibus epistolis verisimilitudinem retineret, & præteritum emendaret errorem; mutarunt iidem postea sententiam. In postremis enim editionibus cautionem istam, & pugillarium nomen sustulerunt; quo, etsi corrigebatur illud, quod narras, vitium, apparebat nimis tamen atque eminebat.

Vera prædicas, excepit Eudoxus, hunc ipsum locum legens in editione in 12. quam habebat præ manibus: istud in hoc libro non extat. Sed, siquidem ibi sumus, addidit, videtur mihi Paschalis Dialogi leges nondum satis fuisse meditatus. Ponit enim hoc & palam affirmat, suas Litteras pervulgatas esse: idem in octava epistola scribit ad amicum Provincialem, laborare

om-

omnes Parisiis ut assequantur conjectura quis earum auctor sit, cum alii Sorbonæ Doctori eas attribuant, alii tribus aut quatuor viris qui, itidem ut ipse, laicorum in ordine sint. Hoc unum ejusmodi est, ut similitudinem veri omnem iis, quæ referuntur in octava, nona & decima epistola, colloquiis planè detrahat. Nam, ut congredi pergat cum illo suo Casuista, id omnino poni ac fingi necesse est, clam Jesuitis esse Litteras superius scriptas Lutetia tota circumferri, jocorum ac sermonis materiam omnibus dare, sua ipsorum mysteria patere, cum invidia proborum omnium & offensione. Atqui rem adeo pervagatam a Jesuitis ignorari, & quę tantopere ipsorum intersit, simile vero non est. Paschalis hoc non vidit. VI. Dial.

Aliud vitii, subjunxit Abbas, longe gravioris per omnes Paschalis Dialogos fusum est. Nimirum in actoris sui primarii partibus & persona modum non tenet. Actor ille princeps Dialogorum est Jesuita, vir bonus, & egregiæ simplicitatis; qui sine circuitione, quicquid rogatur, effert. Satis scitè istud quidem. Ampla nascitur hinc Paschali videlicet jocandi & bella materies. Sed qui candidus ac simplex Jesuita inductus erat, idem sensim ineptus esse ac bardus, instar trunci stipitisque fingitur; suspenditur adunco naso; luditur apertè; jocis procacibus & sannis vellicatur, nec tamen sentit, stolidus: induit sese in omnes laqueos: ineptias aniles effutit: absurda insulsaque, dicenda, tacenda, quæcunque in buccam illi ingeruntur, deblaterat. Tum autem idem totius Societatis partes nomenque sustinet: quicquid pronunciat, quoscumque citat lo-

VI. DIAL. cos, quamlibet illis sententiam subjicit, quæcumque ponit principia, quibuscumque illa rebus accommodat applicatque, totum id tanquam ab idoneo & locuplete auctore dictum, sancitum, probatum, accipitur.

Scio inventos etiam fuisse apud Portum-Regium Criticos, qui capitale hoc fabulæ vitium reprehenderint. Responsum est, eadem nihilominus pergendum esse via: non esse tanti ut alia ratio iniretur: Provinciales litteras, licet isto laborarent vitio, id, quod quærebatur, assecutas; nimiam hanc religionem intempestivam esse: paucos admodum repertum iri quos iste nævus offenderet: ubi semel commotum vulgus & impulsum ad risum foret, reliquos, etiam delicatioris gustus ac fastidii, vellent nollent, denique secuturos.

Attamen visum est admonitionem cæteris deinceps editionibus præfigere, qua lector quidquid in istius personæ charactere peccatum erat, boni consulere doceretur: ad eum fere modum quo Molierus Misanthropi sui personam commendat, ejusque invidiam mollire studet in præfatione, sive critico examine, quod fabulæ ejus-
» dem nominis præponit. Inducitur Jesuita qui-
» dam (sunt ipsa Admonitionis verba) vir minime
» malus, quales inter eos permulti; qui Societatis
» suæ vitia aversaretur quidem, si nosset.... Qui
» eum auscultat, cum nec illum velit offendere,
» nec rursus ejus probare decreta, ambiguis jocis,
» quę dicuntur, excipit; quos intelligere facile pos-
» set, qui præjudicatis opinionibus esset vacuus,
» quibus iste Casuista occupatum animum ha-
» bet....

Am-

Ambiguis autem *jocis* l interpellat Eudoxus: VI. Dial.
documento sunt vel illæ voces quas in epistola quinta Paschalis, post citatum Baunii locum de peccandi occasione cõsectanda, profert: *Somniare profecto mihi videor, cum Religiosos ita loquentes audio*. An hunc demum ambiguum *jocum* vocas? Excute cætera illius joca & sales: vix unũ aut alterum ambiguè dictum reperies. Jesuitam illum appellat Admonitor *virum bonum*: idiotam & blennum diceret. Nunquam ejusmodi viro bono Casuistæ munus, quod Paschalis ipsi tribuit, mandatum in Societate foret. Tantumque abest ut tales permulti sint inter Jesuitas, quemadmodum in eadem admonitione prædicatur, ut vix duos illius pares ultima eremus ferat: aut si quid monstri tale Civitas parturiat, non aliunde quam ab amentium Xenodochio petendum sit.

Abis longius, inquit Eudoxus: in ipsa Dominicanorum familia domoque reperias. Qui secunda in epistola inducitur colloquens Dominicanus, de stoliditate certat cum Jesuita quem epistolæ sequentes adhibent. Eodem torno fabricatæ sunt ambæ istæ personæ, eadem expressæ forma. Mutatum aliquid vellem: varietas juvaret. Quartæ Provincialis actor Jesuita memoriam mihi statim refricuit Dominicani. Ea similitudo ingenium Paschalis parum ferax & copiosum arguit.

Haud ita pridem, adjecit Abbas, Horatii de Arte Poetica librum relegebam unà cum amico. Immorati sumus paulo diutius in eo quod ille tradit precepto, ad artem Dialogi pernecessario, cujus itidem male memor Paschalis in Provincialibus fuit. Ita canit vates:

Si quid inexpertum scenæ committis, & audes
Personam formare novam; servetur ad imum
Qualis ab incœpto processerit, & sibi constet.

Quorum versuum hæc est sententia trita & pervulgata: videndum esse diligenter, ut qui mores novæ personæ in theatrum inductæ primum sũt attributi, iidem ad extremum usque teneantur.

Novam profecto in Provincialibus personam Jesuitæ sustinent à Paschale prorsus inventam. Cum eos primum in hanc scenam induxit, astutos, sagaces, politicæ scientiæ consultissimos fecit; qui Principum in aulam obreperent callidè; qui procerum gratiam, benevolentiam plebis, omnium conscientias arcanis artibus, quas nemo ante audivisset, devincirent sibi. Hoc ut confirmaret, aperuit mysterium Probabilitatis, qua, tanquam certa & ineluctabili machina, Jesuitæ tractarent animos hominum, & voti compotes fierent. Mox, ubi artem hanc præclaram venditavit, delabitur ad directionem intentionis, quã exponit adeo ridiculè, & Jesuitas loquentes ita miserabilem in modum facit, tam inepta & absurda proferri ab iis fingit, imo etiam tam apertè ac verniliter impia; ut lectori non insulso, & quid audiat, paulum cogitanti, statim isthuc veniat in mentem: Ubi demum illa Jesuitarum calliditas & prudentia?

Quid? Jesuitas hunc sibi præstituere finem, ut in Orbem se totum infundant, ut conscientias populorum pro imperio & arbitrio gubernent, ut in Principum aulis dominatum quemdam obtineant, ut Præsulum ac Magistratuum animos sibi concilient: ad eum vero finem consequendum arrogare furtis auctoritatem, homicidiis, ra-

rapinis, singularibus certaminibus & simoniæ; VI.Dial.
arma sceleratis, imperii legitimi contemptoribus, prædonibus & grassatoribus ministrare; uno verbo quicquid est immane, atrox, impium, paci regnorum & otio inimicum, odiosum Principibus, invidiosum apud bonos, probare, moliri, suadere: hoc amplius, pervulgare omnia ista, & in lucem edere; in Gallia, in Hispania, in Germania, Romæ, in Italia defigere in oculis & auribus Orbis Terrarum, ut Paschalis docet?

At meministin', adjecit Abbas, epistolæ decimæ tertiæ & decimæ quartæ? Ibi enim concionabundus declamat, ac Jesuitas adhortatur. Ibi decerptis ex eorum Scriptoribus, & in unum centonem assutis maligne atque artificio veteratorio frustis quibusdam locorum variorum, quos in septima Provinciali exagitaverat, quosque Jesuitæ defenderant; in eosdem velut in Orci satellites intonat, ut in devota & addicta capessendis Erebi jussis capita, in Christianam legem & Evangelium conjurata. Non jam videas illos astutos & artis politicæ scientissimos homines, non simulatores ac dissimulatores sagacissimos, non versipelles ac pulcra decoros fronte; sed tetros quosdam & infandos omniū scelerum approbatores, qui suis ipsorum verbis, scriptis, assertionibus, palam sine ambagibus & fuco profiteantur se coire societatem horrendam cum homicidis, ultionem sitientibus, singulari marte digladiantibus, perduellibus ac veneficis. Quid censes? an constant ista sibi & cohærent?

Satis acriter hostem urget hæc tua censura, inquit Eudoxus: nec nihil opinor ad eos dedocendos valebit, quibus imponunt certi litterarum

Pro-

VI. DIAL. Provincialium loci. Nos interim, si videtur, inceptum peragemus, & epistolæ sextæ examen aggrediemur. Huc ibam, inquit Abbas: vos sequor, & quidem lubens.

Ita Cleandrum inter & Eudoxum pridiè convenerat, quo fieret compendium temporis, ut locos a Paschale citatos cum ipsis Jesuitarum libris privatim conferrent; & æqua portione, quos quisque componeret, inter se partiti erant. Itaque cum illos haberent in promptu notatos & perlectos, nihil faciendum restabat aliud, quam ut libros ipsos inspicerent; &, quæ alter animadvertisset, communicaret cum altero.

III. *Diploma Põtificium de sicariis explicatum: & Jesuita à Paschalis calũnia vindicati.*

Quod primùm in hac epistola occurrit, mei fori ac juris est, inquit Eudoxus. Jesuitas reos Paschalis defert, ut qui vitiosam interpretationem Summorum Pontificum Diplomatis subjiciant in gratiam delinquentium; atque in primis illi diplomati quo Gregorius XIV. sicarios esse indignos declaravit qui ædium sacrarum asylo gaudeant, eosque vi abstrahendos, si ad eas perfugerint, & Judicum ac legum severitati dedendos.

Antequam pergas ulterius, quæso, inquit Abbas, quid censes de istis accusatoribus? Num tibi videntur æquum facere, qui Pontificiæ Bullæ interpretationem Jesuitis objectent, cum ipsi eo temeritatis processerint atque audaciæ, ut hodieque pensi nihil habeant ac ludificentur Constitutionem a Summo Pontifice latam in materia ad Fidem spectante, ab altero confirmatam Pontifice, & ab omnibus Catholicæ Fidei cultoribus receptam: illi, inquam, ipsi quorum signifer atque heros, cum exploratas haberet censuras quibus Montense Testamentum a duobus Summis

Pon-

Pontificibus, & multis iisque Illustrissimis Galliarum Episcopis confixum ac inustum fuerat, ausus tamen fuerit prædicare, atque adeo in lucem edere, attingi hunc librum & oppugnari, nisi *absurdis & insulsis rationibus*, non posse. Subscribant candidè ac simpliciter Innocentii X. & Alexandri VII. Constitutiones editas contra Propositiones Jansenii, remota omni interpretatione & glossemate, tum videbunt Jesuitæ quo se præsidio ab ea, quæ intenditur, depravatæ interpretationis accusatione tueantur. Interim admitti Jansenistæ ad dicendum contra illos testimonium hoc in negotio nequeunt.

Jansenistam nodus iste implicaret, ait Cleander: sed is ego non sum, nosti: & esse posset ut erraret Jansenista, nec tamen continuo Jesuita æquum diceret. Age igitur, videamus num alio pacto Escobarium servare periclitantem possis.

Sudavi satis, excepit Eudoxus; neque magis unquam intellexi quantum ex Abbate eruditissimo in examinandis Provincialibus emolumentum caperemus. Ac primo quidem initium Epistolæ sextæ evolvi: en illud vobis.

„ Bonus ille Jesuita (quemadmodum sub epistolæ superioris finem significaram) ostensurum se promiserat quo pacto Casuistæ pugnantia in speciem cum placitis suis Sacræ Scripturæ, Conciliorum, Summorum Pontificum decreta componant. Et certè promisso non defuit, ac multa mecum de hoc argumento disputavit in eo congressu, cujus ad te narrationem hæ litteræ perferent. Sic autem exorsus est. Apparentis illius, quæ te torquet, discordiæ conciliandæ prima ratio est certi alicujus nominis interpretatio. Exempli

gra-

VI. DIAL. gratia: Gregorius XIV. sicarios, sive *assassinos* Ec-
» clesiarum perfugio indignos, & inde per vim
» abstrahendos decernit. Contra tamen Seniores
» nostri apud Escobarium Tract. 6. Exam. 4. n. 27.
» *non omnem qui per insidias hominem interimat,*
» *hujus Bullæ sanctione teneri contendunt*. Credas
» hæc inter se pugnare; sed hac voce *Assassinus* ex-
» posita, conciliantur. Ausculta illos, quæso. *Num*
» *assassini*, inquiunt, *gaudent Ecclesiæ privilegio?*
» *Non gaudent ex Constitutione Gregorii XIV. As-*
» *sassini autem nomine eum intelligo qui pecunia*
» *aut pretio ad hominem incautum occidendum ex*
» *insidiis conducitur. Quare qui sine pretio aliquem*
» *interficit, ut amico rem gratam faciat, non dicitur*
» *Assassinus.*

Nihil feci priùs quàm ut ipsum Escobarii cõtextum adirem, inspiceremque num esset fideliter laudatus. Obstupui, cum assertionem laudato loco plane contrariam deprehendi. *Proditoriè aliquem occidens, seu ferro, seu veneno, caretne Ecclesiæ immunitate? Caret*. Ibi statim ego: En quo indicem locorum falsò a Paschale citatorum aut depravatorum augeamus.

Porro cum Escobarii contextum legere pergerem, & si mala fides accusantis me commoverat, nonnihil tamen durioris adversus accusatum suspicionis injecit mihi quod postea proximè legebatur. *Dicitur proditoriè occidere qui aliquem id minime suspicantem interficit. Quare qui inimicum necat, haud proditor dicitur; licet per insidias, aut a tergo percutiat*. Visa est mihi hæc interpretatio distinctionis speciem præ se ferre, aut subtilioris responsi, cujusmodi a Casuistis interdum adhibetur. Legere perrexi. *Num*

As-

Assassini rei gaudent Ecclesiæ privilegio? Non gaudent ex Constitutione Gregorii XIV. Assassini autem nomine eum intelligo qui pecunia aut pretio ad hominem incautum occidendum ex insidiis conducitur. Quare qui sine pretio aliquem interficit, ut amico rem gratam faciat, non dicitur Assassinus. Porro etiam Assassini cooperatores, fautores, auxiliatores, & receptatores privilegio immunitatis privantur. VI. Dial.

Pars hujus decisionis prior, subjunxit Eudoxus, tam laxa mollisque mihi videbatur, quàm posterior apparebat adstricta & severa: &, quid statuerem, non habebam. Audieram universè qui dicerent in re diplomatica stylum quemdam esse peculiarem ac sermonem, quem qui nesciat, hærere hunc & rem totam ignorare necesse sit. Itaque pronunciare nihil sum ausus: sed illico ad amicum & vicinum adii Juris Canonici peritissimum. Quæro quid illi videatur hæc Escobarii decisio. Legit ille integram, &, non potest, ait, accuratius quidquam doctiusque decidi. Tum, video quid te offendat, inquit: nimirum definitiones *Assassini & proditionis*, atque illæ, quibus alligantur, circumscriptiones: sed mirari desines, cum hujus Bullæ historiam audieris.

Noris igitur, perrexit ille, Ecclesiarum immunitates ab omni retro antiquitate, atque adeo hisce temporibus, in Italia momenti longe maximi habitas fuisse, Magistratibus Ecclesiasticis per Summos Pontifices præcipuè commendatas, & contra Civilium Magistratuum incursiones retineri diligentissimè jussas. Cum tamen iisdem nonnulli abuterentur, & per causam hujus privilegii atrocissima scelera susciperentur, Sũ-
mi

VI. DIAL. mi Pontifices aliqui, ac præsertim Sixtus IV. & Pius V. arctioribus terminis illud circumscribẽdum esse duxerunt: datisque super ea re Bullis fecere potestatem certorum criminum reos ab sacris ædibus avellendi, nulla immunitatum habita ratione, eosque Judicum arbitrio permittendi.

Civiles postea Magistratus eas Bullas, ut fit, latius patere voluerunt quàm Summi Pontifices decreverant: idque in causa fuit cur Gregorius XIV. novam Constitutionem ederet, quæ rem totam definiret accuratius, altercationesq; omnes ac difficultates componeret. Ibi declarat magis singillatim reos, & crimina quæ vult excepta, ne privilegio gaudeant; & quæ tum juris formulæ sint adhibendæ, præscribit. Inter exceptos autem & exortes privilegii reos numerantur, *qui proditoriè proximum suum occiderint, aut assassinii*. In extrema porro Bullæ parte vetat excludi privilegio, & Ecclesiarum asylo alia crimina, reos alios, præterquam eos qui sunt in ea nominatim & disertè appellati.

Sciendum itidem est, inquit, in ejusmodi Bullarum interpretatione & explicatione id in primis curæ esse, ut verba rigidè & ad Juris formulas exacta usurpentur; neque alio, quoad fieri potest, accipiantur sensu quàm qui ab usu, & stylo Jurisconsultorum auctoritatem sit adeptus. Jam vero in Jure *proditoriè occidere*, & vocabulum *Assassinius* non latius patent quàm quomodo hic ab Escobario usurpantur. Ibi Canonum interpres ille meus protulit mihi *Lexicon Juris* Joannis Calvini, Bartholum, Ambrosinum, Farinacium, Covarruviam, Clementem VIII. addiditq;

si

si aliter locutus esset Escobarius, neque ex Jurisconsultorum doctrina, neque ex Bullæ verbis aut mente fuisse locuturum; imo, contra ipsius Bullæ vetitum, arctiores terminos circumdaturum fuisse privilegio, cujus retinendi summum semper Sedi Romanæ studium fuit. VI. Dial.

Præter Escobarium, quem lævo complexus brachio tenebam, erat mihi præ manibus libellus Provincialium. Vidit hoc ille, &, quorsum ista percontatus essem, conjectans, sic mecum. Paschalis, inquit, hoc loco non bene oppugnat Escobarium: ac si falsarii crimen aliquatenus potest effugere, certe notam ignorantiæ omnino non potest. Tum ego: Illius ignorantiæ libenter ignosco, si modo *invincibilis fuit*: quod affirmare tamen & præstare non ausim.

Tuus ille Canonici Juris peritus addere poterat, inquit Abbas, Escobarium, dum ita loquitur, ex Italiæ totius & Hispaniæ consuetudine locutum esse, ubi isthæc Bulla ad eum, quem explicuit, modum observatur. En igitur, adjecit ad extremum Eudoxus, dissolutum feliciter nodum, multa, ut vides, cum Paschalis laude; cui possit istud occini, *Ne sutor ultra crepidam*.

Est ita ut dicis, excepit Abbas: at vide ne Paschalis ignorantiam, sive imprudentiam dum agnoscis, excidat ex animo tibi ea loci ab Escobario sumpti depravatio a te primum agnita, ubi illum alia penitus, atque dicat, loquentem facit. Nihil nobis excidet, respondit Eudoxus: omnia ista in ejus rationes inducemus.

IV. *Vasquezii locus de eleemosyna perperam prolatus & depravatus a Paschale.*

An vero mihi promptius & facilius fuisse quam tibi putas, inquit Cleander Eudoxum compellans, ut litem instruerem & funditus cognosce-

VI. DIAL. scerem, quam idem Paschalis Jesuitæ Vasquezio de Eleemosyna intendit? Atqui sic habeto me hesterna die integrum hujus Theologi de hoc argumento tractatum evolvisse, & laborem in mediam usque noctem extraxisse. Nec facti piget. Vix quicquam conscribi super ea re potest quod doceat uberius, quod prudentius differat; ubi Scripturæ, Patrum, & Canonum auctoritas frequentius adhibeatur. Illud vero quartum caput quod Paschalis carpit, vellem homines nostri, Beneficiis Ecclesiasticis ornati, qui laxiorem morum doctrinam exagitant, attentius perlegerent, & quæ docet exequerentur: tum eos libenter audirem.

Mira narras, excepit Eudoxus. Ausculta enim Paschalem nostrum. Sic etiam, cum in Evan-
„ gelio legamus, *Quod superest, date eleemosy-*
„ *nam*, tamen locupletissimum quemque erogan-
„ dæ in pauperes pecuniæ onere complures Ca-
„ suistæ exolvunt. Pugnare hæc videntur inter se;
„ at re vera consentire facile probatur, si exposita
„ fuerit vox *superflui*, adeo ut nihil unquam diviti-
„ bus superfluere contingat. Hoc egregie præsti-
„ tit doctissimus Vasquesius de eleemosyna c. 4. n.
„ 14. *Quod sæculares*, inquit, *de bonis patrimoniali-*
„ *bus servant ad statum suum vel consanguineo-*
„ *rum mutandum, non dicitur superfluum: unde vix*
„ *in sæcularibus invenies, etiam in Regibus, super-*
„ *fluum*.

Quid? Etiamne, sciscitatur Eudoxus, hunc Vasquezii locum falso Paschalis attulerit? Sic est, respondet Cleander: corruptus iste quoque locus & falso citatus est; nec alia re quam ista depravatione nixus Paschalis cōcludit è Vasquezii do-

doctrina *inveniſſe Caſuiſtas quemadmodum locupletiſſimum quemque exolverent onere pecuniæ in pauperes eroganda.* Ejuſmodi concluſio nullatenus ex iſtius Theologi doctrina conſequitur; imo etiam illi penitus adverſatur. Locum ipſum, cujus detruncatam partem dumtaxat Paſchalis laudavit, legeſis, amabo, integrum. Ex hoc uno, quam vera narrem, ſcies. VI. Dial.

In eo eſt illa depravatio quod Vaſquezium inducat Paſchalis universè dicentem, *vix in ſæcularibus inventum iri ſuperfluum*: cum tamen tantum dicat, *vix inventum iri in ſæcularibus ſuperfluum STATUI*: quam vocem notes velim: hanc Paſchalis reticuit: quanti ſit illa momenti, jam intelliges. In hoc loco Vaſqueſius onus erogandæ pauperibus pecuniæ Beneficio Eccleſiaſtico donatis impoſitum, cōparans cum eo quod incumbit laicis, ſic ſcribit.

Primo mihi videtur, quod Eccleſiaſtici tenentur extremas neceſſitates ſublevare, eodem modo ac Sæculares: graves etiam neceſſitates ſtatus proximorum & alias graves tenentur Eccleſiaſtici ſublevare, ut minimum, de ſuperfluo *ſtatus*, & aliquando de neceſſario, ut ſupra de ſæcularibus diximus. Sed eſt quædam maxima & notabilis differentia inter Eccleſiaſticos & Laicos. Primo quod Laici non tenentur inquirere pauperes, ſed illis, quos obviam habuerint, eleemoſynam impertiri: Eccleſiaſtici vero, præcipuè Epiſcopi, ut bene notavit Corduba, tenentur pauperes inquirere; quia ſunt pauperum parentes, & hæc eſſe debet illorum cura erga pauperes. Secundo, quod Laici poſſunt de bonis patrimonialibus ſervare ad ſtatum ſuum, vel conſanguineorum mutandum;

VI. DIAL. dum; & tunc illud non dicitur superfluum. Unde
» vix in Sæcularibus invenies, etiam in Regibus,
» superfluum *STATUI*. At Episcopi & alii Eccle-
» siastici non possunt ex bonis Beneficii Statum
» mutare, altiorem sibi, vel consanguineis, vel
» amicis, ut bene docuit Corduba: quia ista bona
» non sunt data nisi ad congruam sustentationem.
» Et ita fere nullum invenies, qui pingue habeat
» beneficium, qui non habeat, aut habere possit, si
» parcè viveret, ut decet, superfluum *Statui*, & de-
» centi sustentationi.

Ad hoc Eudoxus interpellans: Parce, oro, plura legere: non modo patet ea quam dixisti depravatio, verum etiam liquidò constat vel ex hoc uno loco, quàm futili ac frivola ratiocinatione Paschalis exultet. Non solum Clerici & Ecclesiasticis aucti Beneficiis severè hoc in loco, & severius opinione votisque plurimorum, tractantur; verum ipsi Laici teneri perhibentur in extrema & in gravi etiam pauperum necessitate, ad opem ipsis ferendam, U*t minimum de superfluo statuts, & aliquando de necessario*. Quonam igitur pacto ex hac doctrina colligi, quod efficit ex ea Paschalis, potest? *Ex Vasquesio*, inquit, *non minus securum ad salutem iter ingreditur, qui superflua non erogat, quia propter infinitam ambitionem nulla se superflua habere deputat; quam qui ambitione vacuus habet superflua, sed ea in pauperes, ex Evangelio, largitur* Hæc vero conclusio tam apparet mihi modò falsa, quàm hactenus implexa ejus elocutio, tortuosa, & incondita, visa erat.

Tum ridens Cleander: At mihi perire non sic patiar quem exhausi laborem, & operam in do-

doctrinæ Vasquesii excutienda pernoscendaque collocatam. Date mihi, obsecro, hanc veniam, ut eam vobis summatim exponam. Paucis expediam: nec nihil id ad hunc Doctorem purgandum ac defendendum valebit. VI. DIAL.

Postquam Scripturæ ac Patrum testimoniis ostendit teneri planè divites ad impertiendam eleemosynam, quærit quo tandem nomine teneantur. Refert in hanc sententiam varias Theologorum opiniones, in primis Cardinalis Cajetanis, qui duabus præcipue de causis impositam divitibus eam legem esse dicit: altera est aliena necessitas, & inopia; altera, quòd habeat dives superflua statui. Cum enim naturæ jure bona omnia sint communia, neque privatorum evaserint propria, nisi Gentium jure; qui abundat, ejus quod abundat, dominum non esse, sed dispensatorem tantum, ut id largiatur indigenti.

Cap. 1. Dubio 3. num. 19.

V.

Doctrina Vasquesii de Eleemosyna summatim exponitur.

Non satis probantur Vasquesio, nec satisfaciunt istæ causæ, quibus fundari vult Cajetanus eleemosynæ præceptum: ac nominatim alteram refellit ex Gentium petitam jure, ex quo jure superflua erogandi necessitatem Cajetanus repetit. Nam, inquit, si, præcisè loquendo, ex eo quod habeat aliquis superflua, satis causæ est cur eadem impertiri debeat, cogeretur etiam iis exuere se se, tametsi nulli pauperes sublevandi essent: quod absurdum. Inde colligit obligationem eleemosynæ faciendæ ex eo propriè non oriri quòd suppetant alicui superflua, sed petendam a Caritate quæ me admonet, ut superfluum largiar, ad alienam calamitatem, cum necesse est, levandam. Quod quidem dictum prudenter videtur & cordatè. *Num. 24.*

VI.DIAL. Prætèrea Vasquesius varias superflui species distinguit. Ea quippe vox, *Superfluum*, diversos quasi vultus habet ac respectus: quod enim ad aliquam rem superfluum est, ad aliam potest esse necessarium: quod naturæ superfluum est, ut loquuntur Theologi, non est illi, in quo nos divina Providentia collocavit, statui superfluum.

Postea idem Vasquesius, cum ageretur eo loci de variis gradibus illius obligationis & legis quę de superfluo eleemosynam erogari jubet, duplicem explicat modum, quo quid superfluum esse dici potest conditioni cujuspiam & statui. Nimirum si spectetur status præsens, in quo quis versatur, aut illustrior aliquis & nobilior, ad quē aspirare pro jure quodam suo, ac citra noxam possit: *quem ego*, inquit, *licite possum acquirere*. Itaque rem eandem, diverso spectatam modo, superfluam statui appellari posse, & non superfluam dixeris, si eum, quem nunc obtineo, statum spectes, ad quem conservandum necessaria non est: non superfluam, si statum spectes, *quem licitè possum acquirere*, si ad eum assurgere sine illa non possum. Quibus ita constitutis, quærit Vasquesius, num, si quem videam in ejusmodi venisse periculum ut statu suo excidat, tenear proposita letalis noxæ pœna, ad hominem periculo prohibendum, & ad nummos illi erogandos a me sepositos ut ad altiorem proveherer statum, quo aspirare sine piaculo possum. Respondetque me non teneri.

Hoc est, inquit Eudoxus, si Senatoris in Parisiensi Curia locum obtineam, videamque unum è Sodalibus meis coactum iri abdicare se magistratu, cujus sumptibus par non sit, nullam mihi le-

legem impositam ut ipsi pecuniam largiar a me destinatam ad munus libellorum supplicum Magistri comparandum , quem honoris gradum ambire me nihil vetat. VI.Dial.

Rem istud exemplum planè declarat, inquit Cleander. Inde Vasquesius efficit,ex ipsius Cajetani principiis, quem de hac superflui notione ac distinctione consentientem habet, raram fore juvandi proximi obligationem, si modo hæc obligatio ex eo præcise, quod statui superfluum aliquid sit, oriretur. Mera hæc argumentatio est,ut in Scholis loquuntur, *ad hominem*; nempe ut ostendat Cajetani,ad probandum eleemosynę præceptum, genuinam & germanam rationem non esse. Præclare, ait Eudoxus, & eruditè.

Jam accipe,adjecit Cleander,quas ex eo,quod posuit,principio,nempe præceptum eleemosynę una Caritate fundatum esse,conclusiones eliciat: an sit hic quoque indulgentior, cognosces. En tibi quem in levando proximo præscribi ordinem a Caritate velit.

Ordo ergo Caritatis talis esse debet, quod ad conservanda bona proximi cum proprio damno,considerandum est æqualiane sint, vel disparis conditionis. Vitam enim proximi cum detrimento vitæ meæ non teneor tueri; cum detrimento ceterorum teneor,& sic de reliquis. Aliàs *quomodo caritas Dei manet in nobis*, si in simili necessitate plus honorem, vel divitias, quàm vitam alterius tueamur? „ Cap.1.nu. „ 25.26.

His positis,pergit ille,si immineat vitæ periculum, quia est extrema necessitas, vel si urgeat gravis morbus, tenetur quis ex superfluo naturę suæ, & subditorum aliis subvenire; quia tenetur de-

VI. DIAL. defendere proximum a morte, si potest efficaci-
„ ter, vel ab amissione salutis; etiamsi ad id opus
„ fuerit substantia rei temporalis quæ superfluit
„ naturæ. Si enim ille non exponeret substantiam
„ temporalem ad propellendum simile damnum
„ proximi, non servaretur ordo Caritatis.

„ Secundo, si alicui imminet periculum famæ
„ amittendæ, quia illa est pretiosior auro & statu,
„ seu dignitate, quę auro & substantia rei familia-
„ ris comparatur; ideo tenetur quis cum detri-
„ mento sui status & rei familiaris superfluæ na-
„ turæ, similem necessitatem propellere & suble-
„ vare, ut ordinata sit Caritas.

„ Tertio, si alicui immineat necessitas seu peri-
„ culum cadendi a suo statu ob amissionem rei tē-
„ poralis, tenetur quis ex superfluo status illi sub-
„ venire; non tamen ex necessario statui, quia non
„ teneor cum æqualis rei detrimento proximo
„ subvenire.

Hanccine tu doctrinam vocas dumtaxat non laxam, non remissam? subjunxit Eudoxus. Ego vero non dubito quin pletisque oppidò severa, & certis etiam in capitibus modum egressa videatur.

Sed, inquit Cleander, ad loci depravationem redeamus, & jubeamus Paschalem ex Dialecticę regulis atque, ut ajūt, in forma, ratiocinari, sumpto ad argumentandum principio quod ille a Vasquesio mutuatur, aut simulat mutuari. Sic igitur Paschalis ratiocinatur.

„ Nemo tenetur ad erogandam eleemosynam
„ nisi de superfluo: atqui vix, auctore Vasquesio,
„ reperias in divitibus superfluum: ergo, Vasque-
„ sio judice, vix unquam divites eleemosynæ lege
„ obligantur.

Esto

Esto sanè, vera sit propositio prima: sed altera seu minor, Vasquesii nequaquam est: *Vix in divitibus reperiri superfluum* nusquam ille dixit. Itaque ad eum nihil pertinet cōclusio, quam inde Paschalis infert. Planum hoc, ait Eudoxus, & perspicuum est. Jam, subdidit Cleander, instauremus argumentum, & Vasquesii propositionem non depravatam adhibeamus, simulque videamus, num res Paschali commodius cessura sit. VI.Dial.

„ Auctore Vasquesio, dici possunt divites raro habere superfluum statui: Atqui divites ad eleemosynam impertiendam non tenentur nisi de superfluis statui: Ergo, Vasquesio auctore, divites raro ad faciendam eleemosynam tenētur.

Propositio prima, inquient hic Jesuitæ, pro eo quem illi Vasquesius subjicit sensu, prout statum distinxit, tum eum in quo quisque est, tum eum quo aspirare jure potest, facile intelligitur, eademque rationi ac veritati consentanea videtur. Secunda propositio ex eodem Vasquesio cæterisque Theologis est falsa. Cum illis enim censet divites sæpe obligari præcepto eleemosynæ ad ea etiam impertienda quæ statui sunt necessaria. Hoc patet ex iis quæ docet de ordine quem in eleemosyna facienda Caritas præscribit. Ea modo legebamus.

Constat igitur, adjecit ad extremum Cleander, falso citatum & corruptum a Paschale hunc locum, nec posse deduci è Vasquesii principio consectaria, quæ Paschalis contra præceptum eleemosynæ derivat, nisi posita illa ejus loci depravatione. Ex quibus efficitur, opinor, & Vasquesium vacare admodum culpa, & Paschalem

VI. DIAL. viri probi & honesti officio functum hic non esse.

Videbat Abbas non sine voluptate Cleandrum & Eudoxum excellentis hujus Theologi causam ab injustitia & inscitia vindicantes; ac sine interpellatione tacitus audiebat. Tenere se tamen haud potuit, quin rem ipsis magni ad purgandum plane Vasquesium momenti suggereret. Animadvertite, inquit, agi hoc in loco de pecunia dumtaxat, quam Laici ad ornandum augendumque statum adhibere pro suo jure possint, quæ ipsis proinde non est superflua, ut est Ecclesiastico Beneficio donatis: neque inde concludi quicquam posse, quo vulgaris & usitatæ eleemosynæ præceptum infirmetur. Sunt hæc inter se maxime diversa. Quid velim, planius aperio.

Rex hebdomadis singulis pauperibus aureos cētum largiatur: qui triginta librarum Francicarum millia è prædiorum suorum fructibus quotannis redigit, aureos largiatur decem quolibet mense: nihil admodum deperdent quod vel ad conservandum vel ad augendum statum opus sit. Nihilo Rex minus arces in Regni sui limite positas muniet, aut classem novis navibus instruet: nihilo minus iste annuo librarum triginta millium censu dives rem familiarem novo Magistratu & gloriam augebit: atque adeo istæ leviores summæ sine ulla controversia sunt eorum statui superfluæ: neque hic ea res agitur. Itaque licet Vasquesius una cum Cajetano præceptum eleemosynæ in superflui ratione fundatum vellet, non vero in caritate, atque in indigentia proximi; licet nullam diviti necessitatem impone-

ne-

neret, uti re vera certis in circumstantiis impo- VI. Dial.
nit, alienæ calamitatis atque inopiæ sublevandæ cum detrimento etiam rerum statui conservando necessariarum: tamen staret obligatio lexque consuetæ eleemosynæ. Ponamus enim, exempli causa, eo redactum opificem esse, ut opificium ac tabernam cum familia deserere cogatur, nisi quis aureos tres quatuorve laboranti subministret, ut supellectilem, verbi gratia, necessariam comparet: is de quo dicimus, dives quem iste faber appellat, cujus implorat opem, quique intelligit certum fabro exitium, nisi succurrat, imminere; non potest, si Vasquesiũ audiamus, sine noxa pecuniam hanc illi & opem negare, qua nihil detrahi sibi videt conservando vel augendo legitime statui necessarium.

Qualem nobis tamen Vasquesium depingit Paschalis? *Eo pertinet ejus doctrina*, inquit disertis verbis, *ut locupletissimus quisque eleemosyna lege solvatur*. Quid iniquius fingi potest?

Profecto, excepit Cleander, nec ratiocinatur Paschalis, nec in istis rebus quicquam videt. Nihil vero mihi visum est indignius illa pertinacia qua eundem Theologum verbis petulantibus insectari perrexit. Post editam epistolam sextã, Vasquesium Jesuitæ defensum dederunt exponẽda breviter & candide illius doctrina, quo ferè modo præstiti, quod res ipsas spectat. Insurgit denuo duodecima sua, & decima tertia in epistola Paschalis, ac materiam eandem tractat, explicatque . . . . Imo, interpellavit Eudoxus, implicat magis de industria & obscurat. Neque, si mihi confutandum ejus responsum esset, aliaque id genus sexcenta, id aliter præstare vellem, quã
og-

VI.DIAL. oggerendo allatam a te modo Vasquesianæ doctrinæ explicationem, qua una labefactatur & corrruit quicquid antea Paschalis dixerat, quicquid postea remiscuit. Qui paulummodo Theologicè argumentari sciat, is omnino animadvertit cæcutire Paschalem, aut potius dedita opera, in iis quæ refellit, caligare.

Te vero etiam atque etiam oro ne graveris expedire mihi duplicem adhuc nodum a Paschale objectum in duodecima sua & decima tertia epistola, quo probet ex Vasquesii principiis eleemosynæ præceptum ad nihilum ferme redigi. 1. Quia, inquit, non censet Vasquesius impositam eleemosynæ erogandæ legem *in communibus & usitatis pauperum necessitatibus*. 2. Quia subdit post nonnullas decisiones hæc verba: *Hoc intelligo, & cætera omnia, quando scio nullum opem laturum*. *Atqui*, inquit Paschalis, *an crebrò contingit Parisiis, qua in Urbe tot sunt beneficentissimæ personæ, ut nosse quis possit pauperi, in quem incurrit, neminem alium opem laturum?*

VI. *Duplex nodus ad intelligendam Vasquesii doctrinam solvitur.*

Tum Cleander: Primum illud quod objicitur, inquit, prava nititur amphibolia; alterum mera cavillatio est. Ut amphibolia pateat, observandum triplicem alienæ necessitatis & inopiæ gradum distingui a Vasquesio cæterisque omnibus Theologis; *extrema* nimirum, *gravis* seu *urgentis*, & *communis*. *Extrema* necessitas est non tãtum ea, qua quis in vitæ periculum adducitur nisi occurratur ejus inopię; verum etiam cum in id periculi adducendus probabiliter existimatur. Necessitas *gravis* seu *urgens* ea dicitur, cum venit aliquis in discrimen, non quidem vitæ, sed gravioris incommodi & calamitatis.

Cap. 1. n 9.

Com-

Communis denique est ea qua vulgo laborat VI. DIAL.
inopum grex, quos usitata voce mendicos appellamus, qui nonnisi corrogando stipem victitant, at victitant tamen.

Docet Vasquez non solum in extrema (quod quidem non obscuri Theologi videntur docuisse) verum etiam in gravi necessitate præceptum eleemosynæ obligare, proposita, si quis illud violarit, letalis noxæ pœna. Quod ad eam necessitatem attinet, quæ communis vocatur, cum plerisque omnibus Theologis sentit, arbitrantibus non eandem sancitam mortiferæ culpæ esse pœnam si quis tunc præcepto defuerit; nec letalis piaculi reum teneri divitem, qui pauperibus quibusque obviis dare stipem omiserit.

Huic voci *necessitatis communis* visum est Paschali substituere vocem *usitata* seu *ordinaria* necessitatis; ut haberet cur diceret Vasquesium eleemosynæ legem abrogare, qui doceat videlicet ea neminem teneri in *ordinariis necessitatibus*. At quis technam malignæ hujusmodi interpretationis non videt? Quamvis enim quæ vocatur communis necessitas, pro notione quam huic vocabulo Theologi subjiciunt, eadem simul ordinaria sit; tamen id sola non habet. *Gravis*, sive *urgens* necessitas, in qua præceptum obligare Vasquesius affirmat, neque extraordinaria, neque rara est. Jam tum ab anno superiori propter frumentarię rei angustias erat frequentissima: hoc ipso anno ingravescit; nec infrequens unquam, vel si frugum ubertate annona vilescat, erit.

Quam multis urbes vel ditissimæ & amplissimæ abundant pauperibus, quos malus egestatis pu-

VI. DIAL. pudor ac verecundia domi tenet, quorum inopia gravior & indignior, quàm mendicorum, est? Hinc fit ut quamvis fateantur Theologi, non admissurum vulgò divitem letale scelus, si omnibus egenis prætereuntibus stipem non impertiat: nihilominus plerique, ac præ cæteris Vasquez, eos teneri doceant ad alios istos pauperes in gravi necessitate sublevandos; ac, ni faciant, graviter ab iisdem peccari. Quamobrem iniquè ac malignè Paschalis facit, qui *necessitatis communis* voce ad inferenda consectaria, quæ contra Vasquesium deducit, abutitur.

Quando quis in locum iniquum & salebrosum semel progressus est, excepit Eudoxus, emergit quà potest, & obvia quæque prensat uncis manibus, iisque adhærescit. Qui fuisset hominum de Paschale sermo, si prædicantibus Jesuitis illum in manifesta fallacia deprehensum, nihil responsi dedisset?

De altero, perrexit Cleander, quem explanari tibi postulas, Paschalis loco, dixi miserabilem esse cavillationem ac stropham. Dum ita loquitur Vasquez: *hoc intelligo, quando scio nullum opem laturum*; id unum significat, si hunc pauperem ab alio sublevandum sciam, non teneri me ad opem illi ferendam proposita letalis culpæ pœna. Ibi se vehementer Paschalis jactat. *Crebrone continget*, inquit, *Parisiis, qua in Urbe tot sunt beneficentissimæ personæ, ut nosse quis possit, pauperi, in quem incurrit, neminem opem laturum?* Quasi Vasquez id velit, ut priusquam eleemosynæ lege dives obligetur, moneatur a matronis omnibus quæ levandæ pauperum inopiæ munus ultro suscipiunt, aliisque personis be-

ne-

neficentiæ Christianæ studiosis, quæcumque Madriti aut Toleti versantur, neminem fore qui opem ærumnoso illi sit laturus.

Quid? si Paschalis ipse Vasquesii tractatum non oscitanter legisset, an unquam illi venisset in mentem nodum adeo futilem ac vanum objectare? Quippe in secundo capite, dubio tertio, Vasquez disertè sic pronunciat: *Omnes peccabunt; quia unusquisque tenebatur, alio non subveniente, succurrere. Unde ridiculum est dicere quod peccabit communitas, nullus tamen in particulari de communitate: si enim nullus peccat, quanam est hac communitas qua peccat?* Non censet igitur Vasquez posse divitem eleemosynæ obligationem & onus in alios transferre, nisi pauperi per alios istos subventum iri sciat.

Digna non sunt ista, subjunxit Abbas, quæ refellantur. Hoc interim inde colligite, Jesuitis ignosci plane nihil, omnia contra illos apponi lucro. Vox nulla est, nulla locutio vel minimum ambigua qua quis vitilitigator fretus non arbitretur jure suo posse negotium ipsis facessere ac litem intendere. Sed indidem est profecto cur de illorum doctrina causaque homines commodè suspicentur, & ipsorum adversariis jure diffidant.

Atenim, pergit Abbas, inspicite, amabo, quemadmodum Paschalis hanc sextæ, quæ nobis in manibus est, epistolæ partem claudat: hinc magis elucebit ille a nobis antea reprehensus & penitus abhorrens a verisimilitudine color ineptæ simplicitatis, quo Jesuitam in epistolas a se inductum & subdolo percunctatori respondentem, pingit. Hoc quidem video ex Vasquesii

do-

VI. DIAL. doctrina consectarium esse, mi Pater. Sed obji-
„ ciet fortasse quispiam: Ex Vasquesio igitur
„ non minus securum ad salutem iter ingredi qui
„ superflua non erogat, quia propter infinitam
„ ambitionem nulla se superflua habere deputat;
„ quam qui ambitione vacuus habet superflua, sed
„ ea in pauperes ex Evangelii doctrina largitur;
„ Hæreo quid respondendum sit. Respondendum
„ est, inquit, utramque viam securam, utramque
„ Evangelio consentaneam: alteram quidem Evá-
„ gelio, ut obvium & congruentem verbis ac lit-
„ teræ sensum præfert; alteram eidem Evangelio
„ per Vasquesium interpretato. Cernis quanta
„ interpretationum commoditas.

Est, ait Abbas, in hoc responso ridiculum quiddam, modi & verisimilitudinis expers. Nosti porro quæ in his jocis fiat partitio. Pars ridiculi una tribuitur personæ fictæ, quæ loquens inducitur: altera, quæ abundat, ad ipsum auctorem pertinere judicatur. Quod sequitur ad Summorum quoque Pontificum Bullas spectat, inquit Eudoxus: illud etiam ex meo Canonici Juris Cōsulto pernoscere curavi, cujus eruditio gravi me labore levavit. Quæritur quandonam evenire possit ut Religiosus Ordinis sui vestem deponat nec tamen incidat in excommunicationem. In hunc modum ea de re Jesuita productus a Pa-

VII. *Locus de Religiosis habitum exuentibus exponitur & explicatur.*

„ schale disserit. Religiosi habitum exuentes a
„ Summis Pontificibus excommunicantur. Quæ-
„ runt tamen Seniores nostri apud Escobarium,
„ Quandonam Religiosus sine excommunicatio-
„ ne possit habitum exuere? ac multas quidem,
„ cur id fieri possit, causas subjiciunt, easque præ-
„ sertim, si ad turpem causam, verbi gratia, ut fu-

re-

retur occultè, vel fornicetur, cum dimittat, mox VI. Dial.
reassumpturus. Et vero istas in Bullis Pontifi- „
ciis causas non commemorari patet. Hic ego „
vix satis auribus meis credēs, ea mihi in ipso li- „
bro ostendi volui. Ac re vera caput, in quo hæc „
legebantur, ita inscriptum vidi, *Praxis ex So-* „
cietatis JESU *Doctoribus*; & hæc ipsa in eo capite „
verba legi; *Si habitum dimittat ut furetur occul-* „
tè, vel fornicetur. „

Non video, excepit Cleander, cur Jesuitæ istis nebulonibus & Religiosarum familiarum maculis patrocinari tantopere studeant. Quæ artis politicæ lex id ipsis potuerit suadere, non intelligo. Ac tametsi concederem eorum Theologos tam absurdos esse quam vult Paschalis, ista exceptio per sese ita odiosa est ac dura, ut eam subdidisse credendi non sint, nisi aut aliquo juris effato, aut Bullę cujuspiam clausula niteretur.

Rem ipsam dicis, excepit Eudoxus; cumque id à meo Canonici juris Doctore quęrerē, respōdit necesse profecto esse ut Paschalis, post excussum tam sedulo suum Escobarium, pauca in eo coarguenda deprehendisset; siquidem futilia isthæc & frivola sectaretur. Sic igitur ille rem omnem evolvit mihi. Extant, inquit, complura in Religiosos qui vestem exuunt, & Prępositorum injussu pedem claustro efferunt, Decreta. Isthuc de quo nunc agitur, est caput Ut *periculosa Ne Clerici, vel Monachi in 6.* Eo vetitum est Religiosis, constituta excommunicationis pœna, ne temerè habitum deponant, ut publicas adeant Scholas, aut aliò se conferant. Quærunt Canonum periti, num ex hoc Decreto, quicumque Religiosus habitum deponit, ut ipso nomine perculsus ana-
the-

VI. DIAL. themate censeatur. Respondent omnes Decretum hoc, ut alia cætera, interpretandum esse secundum Legislatoris mentem, id est, Summi Pōtificis, à quo est conditum: hanc porro mentem perspicuè his verbis declarari, *Ut periculosa Religiosis evagandi materia subtrahatur*. Itaque Religiosum, qui vestem exuat, & alio indutus cultu è Monasterii septis egrediatur, excommunicationem incurrere: atque adeo multò magis, *qui habitum deponat ut furetur occultè, vel fornicetur*.

His ita constitutis, varias occasiones notant Pontificii Juris Consulti, in quibus posset Religiosus vestem ita deponere ut eum excommunicatio non feriret; ac earum quidem alias, ubi facere id citra culpam, alias ubi citra letalem culpam, posset. Atque id ipsum præstat Escobarius dum quærit, *Quandonam Religiosus potest sine excommunicatione habitum exuere*; respondetque illum in excommunicationem non incidere sequentibus in causis quas exempli causa profert. 1. *Si in loco secreto exuat, ut commodius ei sit, vel ut melius currat & saltet*. 2. *Si injustè gravatus à Prælato immediato fugiat ad Superiorem sine habitu, ne agnitus comprehendatur*. 3. *Vel si ad turpem causam, v.g ut furetur occultè, vel fornicetur, illum dimittat, mox reassumpturus*. Atque hæc postrema verba Paschali collibuit, adhibita sic paraphrasi, explicare: *Si eum deponat ob turpem causam, ut v. g. ad furtum clam faciendum exeat; aut incognitus in ganeas se conferat*. Sed is omnino Escobarii sensus non est.

Istis enim exceptionibus & exemplis id agitur

ut Confessarium doceat, quæ sit præcisè Decreti sententia, quo vetatur Religiosus vestem deponere dumtaxat ut è Monasterio pedem efferat ac *periculosè evagetur*; & in quo Summi Pontificis mens nullatenus fuit ut piorum communione prohiberetur, qui præcisè intra Cœnobii septa exueret habitum, etiamsi prava & turpi de causa illum exueret. VI. Dial.

Hic ego ad meum Canonici Juris Doctorem conversus: Quod dicis, inquit, perquam probabile mihi videtur: nec tamen habeo quòd periphrasim Paschalis penitus improbem, aut eam temerè ac nullo certo fundamento nixam putem. Etsi enim exuere vestem Religiosus possit ut furtum in Monasterio faciat, si v.g. trāsducendum sit corpus per angustum foramen ubi cucullo malè impeditus hæreret: vix fieri tamen potest ut ibi fornicetur; quocirca videtur Paschali jus fuisse contextum Escobarii & mentem ita, uti fecit, interpretandi.

Ad hæc Juris-Consultus: Eo tempore, inquit, scribebat Escobarius, quo id opinione tua crebrius accidebat, vel in hac nostra Gallia, in plerisque Cœnobiis rusticanis, quæ postmodum ad pristinam ordinis sui disciplinam sunt revocata. Verum, addidit, Escobarii liber à Paschale indicatus nihil nisi compendium quoddam est, ex interrogationibus responsisque confectum. Faxo hujus Theologi mentem super isto Canonici juris loco evolutam fusius atque explicatam habeas. En tibi tertium quam scripsit Theologiæ Moralis volumen: legas licet (locumque commonstravit tom. 7. pag. 144.) Ibi post recitata verba capitis, *Ut periculosa*, pronunciat Escobarius

VI.DIAL. rius Religiosum in excommunicationem incidere, simul ut vestem deponit occultandi status gratia: & quamvis aliam non indueret, ejusque retineret partem unam, puta tunicam interiorem, altera, quæ tunicę superimponitur, deposita, nihilominus, si hoc satis sit ut agnosci pro Religioso non queat, censeri in Jure habitum dimisisse.

Probabilius censeo (sunt hæc ejus concepta verba) *solam depositionem habitus ob finem statum occultandi esse veram habitus dimissionem, licet alius novus non assumatur: neque talis habitus depositionem dicendam esse denudationem aut spoliationem, cum fiat animo occultandi statum, sed veram ac propriam dimissionem.* Num tibi hæc videntur, inquit, congruere cum Paschalis commentàrio, qui hunc Religiosum exhibet tanquam sectorem zonarium Lutetiam vicatim obeuntem, aut ganeonem lupanaria, mentito cultu, concursantem.

Tum Cleander: Mirari non cesso, inquit, ardorem plenum sagacitatis atque industriæ, quo Paschalis fertur ad Jesuitarum doctrinam corrigendam ac perpurgandam: si enim adhibes animum, videbis eas ab illo selectas in moribus quæstiones, eos locos, quibus hinc quidem plurimum inest difficultatis ut explicentur, inde vero qui ab toto separatim sumpti contextu ac serie sermonis, detractis etiam certis circumstantiis, quas supplere paucorum est, immane quantum invidiæ apud vulgus & offensionis habent.

Quæ consequuntur, adjecit Eudoxus, istius pravæ calliditatis palmarium specimen tibi dabunt. Excogitata res argutè ac subtiliter quæ per-

perturbari graviùs & solicitari Jesuitas oportuit. Quasi parcitum pudicis auribus vellet, indicat strictim Escobarii locum, de quadam Pii V. Bulla contra Clericos affines criminis quod appellare sine gravi & necessaria causa pudor vetat. *Reipsa vidi*, ait Paschalis, (*hunc Escobarii locum*) *illo ipso die, sub vesperam: sed referre non ausim, ita teter & horrendus est*. VI. Dial.

Et quidem res ipsa, ipsum crimen, si de illo Paschalis loquitur, inquit meus Canonici Juris Doctor, tetrum & infandum est; quo vix ullum turpius perpetrari queat: illudque cum sigillatim & particulatim Escobarius evolvit, molestus ac putidulus est. Sed hæccine tandem Doctoris Medici culpa sit, si suis auditoribus morborum genera quædam explicet minutatim, de quibus fieri potest ut consulantur? Monet prudentia ut res eo sermone tantum perscribatur, qui omnibus in ore non sit; iisque mandetur libris, quos norint volvantque dumtaxat qui ad confessiones audiendas adhibendi quōdam sint: quorum in aures longè graviora quotidie deponuntur. Si quis hic est nocens, an non hæret omnis in Paschale culpa per quem cupiditas cognoscendi rem injicitur iis quorum nihil interest?

Quod si, dum ait tetrum facinus & horrendum esse, de ipsa Escobarii decisione loquitur, elucet in eo quoque loco ipsius vel inscitia singularis, vel nequitia. Huc enim recidit quicquid super ea re disputat Escobarius. Alterius Hispani Theologi refert sententiam, nempe probabiliter Bullam hanc usu acceptam non esse; ac proinde pœnas, quas infligit, posse à sonti-

 bus

VI. DIAL. bus citra culpam & , ut loquuntur, in conscientia, declinari. Merum est factum, quod nullo modo præstat, ac tuetur Escobarius. Tum non magis mirum est hanc Bullam neque receptam neque usu comprobatam fuisse in Hispania, quã mirum non est eandem receptam non fuisse in Gallia, ubi re vera nec admissa, nec in mores inducta unquam fuit.

2. Si quis admissam fuisse ponat, Escobarius ostendit quandonam subeundæ pœnæ onus reis afferat, quando non afferat; idque certissimo juris principio, ex quo sua semper intelligi decreta Summi Pontifices satis intelligunt: nimirum, quando sceleris alicujus faciunt mentionem, tũc ipsorum verba de scelere perfecto in sua specie & consummato accipi, nisi contrarium disertis verbis exprimatur.

3. Addit Escobarius, ante sententiam Judicis reos de subeundis pœnis per ejus-modi Bullam constitutis in foro conscientiæ non teneri: v.g. de Beneficiis Ecclesiasticis, aut muneribus, si quibus potiuntur, amittendis, de gradu & dignitatis insignibus exuendis, ad expendendam arbitrio civilis Judicis, quæ decreta Laicis est, pœnam, hoc est, ut vivi concrementur. Hæc omnia constant inter omnes sine ulla controversia, ducunturq; ex illo, quod Escobarius ponit, principio, lege nulla, quæ pœnas indicit, sontes teneri ad seipsos Judicibus prodendos deferẽdosque. Et esset nominatim hoc loco perabsurdum, si quis contenderet istius flagitii conscium teneri ad seipsum judicibus indicandum, à quibus de gradu cum ignominia depositus, igni vivus addiceretur; ac, ni faceret, gravi scelere obligandum esse.

Ri-

Ridiculum id profectò sit, excepit Cleander. VI. Dial.
At obsecro te, adjecit Abbatem affatus, siquidem in Escobario sumus, evelle scrupulum mihi: In isto quod sæpè commemorat Paschalis, Compẽdio Moralis doctrinæ, Escobarius nonnullis capitibus hunc præponit titulum: *Praxis circa* . . . *ex Societatis* JESU *Doctoribus*: tum in afferendis deinceps responsis ac decisionibus ascribit ad marginem complurium è Societate Jesu Scriptorum nomina. Num ex iis, quos laudat, Scriptoribus illę revera decisiones sumptæ sunt? Si enim Paschalem audimus, cum iis in locis loquitur Escobarius, Societas universa loquitur.

VIII. *Escobarii decisiones pro Societatis universæ decisionibus & doctrina nequaquam accipienda.*

Næ ageretur cum Societate Jesuitarum perinìquè, respondit Abbas, si quicquid in istis Escobarii capitibus legitur, præstare cogeretur. 1. Quia in plerisque morum quæstionibus ac responsis idem Jesuitis usuvenit quod cæteris Theologiæ, Canonum, Jurisque Doctoribus: aliud aliis placet. Itaque doctrinam Escobarii spectare tanquam Societatis doctrinam, quia ille, exempli causa, Vasquesium sequutus fuerit, interim dum Suarez & Laymannus contra sentiunt, ac scribunt, absurdum est.

2. Satis habet vulgò Escobarius, ut quempiã ex istis auctoribus tanquam pro sua facientem opinione laudet, si deprehenderit in eo principium unde deductam à se bellè conclusionem putat: in quo erroris & hallucinationis nihilo magis est expers quam cæteri Teologi, quos sua sæpè ratiocinatio fallit: ac sane ipse nonnunquam fallitur.

3. Escobarius in consarcinandis & colligendis undequaque Scriptorum locis multus est,

 idem-

VI. DIAL. idemque non accuratissimus, falsò locos indicans, quòd eos diligenter ac sedulò non inspexerit. Documento sit quæstio de *jejunio* proposita, cujus paulò ante meminimus; in qua citat Filliucium, ejusque nomen apponit margini; quum tamen Filliucius nullibi, quod sciam, locutus ita sit.

Ut video, interpellat Eudoxus, auctore te, Escobarium, qualem hunc modo descripsisti, non ægrè Paschali dederent Jesuitæ. Nec de retinendo quidem Baunio, & à Criticorum censura vindicando magnoperè laborares, nisi me fallit animus. Audivi enim aliàs ex te nonnihil de illo parum commodè, in iis etiam locis quos Paschalis & Provinciales Litteræ non attingunt.

Nequaquam id dico, Abbas retulit. Est in utroque quod laudare jure possis: decidunt vulgo ac ratiocinantur, ut par est. Id unum volui, eos quibusdam in locis aut hallucinatos, aut parum accuratè locutos fuisse, meritoque culpandos, modo eadem in illis redarguendis moderatio, quæ cum Theologis alterius Societatis & Ordinis, teneatur: tantum abesse ut Jesuitæ Auctorum istorum doctrinam iis in locis adoptent amplectanturque tanquam suam, ut eandem cōtra rejiciant, auspicibus ac ducibus Theologis è corpore suo præstantissimis, quos inter principem isti profecto locum non obtinent.

Quod si ob eos locos, ubi paulisper illi duo Theologi deerraverunt, æquum non est nigram reliquæ ipsorum doctrinæ notam inurere; integram Societatem idcirco in crimen vocare multò est iniquius. Nemo suos auctor nævos non habet. Eos unos si ostendas, exaggeres, defigas

in

in omnium oculis usque & usque; si occultes ac premas quod in eo laudandum est; quis effugere censuram & invidiam Scriptor potest? Nullum item corpus, cujus membra omnia, sana, integra, vitio penitus & labe vacua sint: atque adeo nullum, cui eo nomine obtrectari & inuri macula non possit. At at, subjunxit Abbas, à proposito sensim aberramus. VI.Dial.

Eudoxus igitur ad institutum sermonem reversus, Quæ sequuntur, ait, in hac sexta Provinciali, magnam partem ad Jesuitas nihil pertinent; sed ad Dianam & Caramuelem, quos in suis alumnis Societas non numerat. hæc omnia missa faciamus. ad Gregorium à Valentia ejusque de simonia locum veniamus. Tu illius causæ cognitor, inquit Cleandrum intuens: hęc jurisdictioni tuæ sortitò attributa fuit.

Hìc interfatus Abbas, Manete paulisper, exclamat: debetur antea laus Paschali non levis, quam illi abrogare injurium sit. Fateamur eum strenuè admodum & callidè in lubrico loco esse versatum. Videbat permagni sua interesse, ut animos Lectorum imprudentes aliò abduceret atque averteret: quemadmodum id præstiterit audite. Sic scribit dimidia, priusquam Gregorii Valentiæ locum proponat, pagina, ut præfert hæc tua editio *in quarto*.

Utinam quidem, inquit Pater, nuda Evangelii ,,
præcepta, nulla mitigatione temperata fidelibus ,,
proponere licuisset! nihil nobis esset optatius. ,,
Nostrorum enim morum severitas & compositio ,,
satis indicat prudenti potius indulgentia, quàm ,,
voluntate ac proposito, molliorem in aliis di- ,,
sciplinam à nobis tolerari. Eò quamlibet invi- ,,

VI. DIAL. ti adigimur. Tanta est hominum depravatio
„ ac perversitas ut ad nos accedere & perduci ne-
„ queant: accedamus igitur ad ipsos necesse est.

Satis intelligebat Paschalis è Jesuitarum ratione vivendi, ex illa *morum severitate & compositione* quam agnoscere hìc non gravatur, ductum iri generale quoddam præjudicium, valde adversarium & dissentaneum flagitiis tetris atque immanibus, quæ ipsis objectare meditabatur. Non ignorabat illos eo semper apud homines loco fuisse, hanc vitæ rationem semper cursumque tenuisse, ut quæcumque in ipsos jactata fuerant ab inimicis, & per Galliam, Germaniam, Hispaniam, Romæ disseminata, usque ad illud tempus quo editę Provinciales fuerant, non multum de Societatis fama detraxissent apud viros sapientes & bonos, etiam Jesuitis non amicissimos.

Sanè cùm Provinciales primum exierunt, is fuit continuo apud plerosque omnes viros probos honestosque sermo, suis se moribus Societatis Patres satis tueri ac defendere: credibile non esse, quo in corpore vitiatis & infectis membris minus esset, quàm in alio ullo, veniæ ac loci, in quo singulorum ferè membrorum integritas & innocentia publico testimonio comprobata foret, in eo consilia iniri, fabricari machinas ad inducendam in mores populorum, aut fovendam pravitatem ac licentiam: sic esse homines, ut sibi ipsis plusculum, aliis perparum indulgeant: raros esse qui severè se ipsi, alios leniter & benignè: postremo vix intelligi quo fieri pacto posset ut Christiani, ut Religiosi, qui nulli operæ, impensæ nulli parcerent ad salutem suam in tu-

to

ro collocandam, iidem simul artes admoverent VI. DIAL.
omnes in gratiam facinorosorum, ut unà cum illis in æternum se præcipites exitium darent.

Paschalis jam inde à quarta epistola, ubi Jesuitas lacessere primum incipit, hanc difficultatem prospexerat; & jam tum, ut hujus præjudicii vim infringeret, pro viribus laboravit. Iterum id hoc in loco tentat, ut cernis, perquam astutè. Et opinor ea Perraltio vestro causa fuit cur diceret, *Quicquid esse artificii potest in Dialogo, totum hoc in Provincialibus elucere.*

Id verè observatum Cleander Eudoxusque confessi sunt, in eaque Paschalis transitione tantumdem esse solertiæ, quantum doli & malignitatis. Ventum subinde ad Valentiam est.

IX.

Valentiæ locus de simonia diligenter expensus.

Quid acciderit nescio, inquit Cleander, cur in diversis, quas vidi, Provincialium editionibus tam mendosè citatus reperiatur Valentia, tam falsò indicatæ libri paginæ. Arbitror id imprudentia factum esse; verum ea me res coegit ut ab initio totum hujus Theologi de Simonia tractatum perlegerem: de quo antequam exponam vobis quid sentiam, Paschalem inspiciamus.

» Habemus igitur Decreta & effata unicuique
» hominum generi accommodata; sua sunt Bene-
» ficio Ecclesiastico donatis, sua Sacerdotibus, sua
» Religiosis, sua Nobilibus.... Primi veniant, in-
» quit Pater, qui beneficia Ecclesiastica obtinent.
» Nosti quale nunc Beneficiorum commercium, ne
» dicam nundinatio exerceatur; & quàm multi
» nunc in Ecclesia, si antiquorum & Sancti Tho-
» mæ decretis standum esset, simoniacæ hæreseos
» damnandi forent. Quamobrem apprimè ne-
» cessarium fuit priscam illam severitatem à So-

cic-

VI.DIAL. cietate nostra prudenter temperari, quod ex istis
» Valentiæ verbis (qui unus est de quatuor *Escobarii* animalibus) facilè cognosces. Habentur
» pagina 1042. tomi III. His concludit sermonem
» bene longum, ubi varia id genus temperamenta
» fusè docet; in quibus istud, meo quidem judicio,
» longè optimum est; *Si conferatur temporale pro*
» *spirituali, hoc est, pecunia pro Beneficio, deturque*
» *hac pecunia ut pretium Beneficii, aperta simonia*
» *est. Sed si detur dumtaxat ut causa & ratio movens Beneficiarium ad resignandum Beneficium,*
» *NON TANQUAM PRETIUM BENEFICII,*
» *SED TANQUAM MOTIVUM AD RESIGNANDUM, simonia non est; quamvis qui resignat, consideret expectetque pecuniam, ut finem*
» *principalem.* Tannerus ex nostra itidem Societate, Valentię subscribit, tomo III. pag 1519. &c.

Nullus dubitabam, subjecit Cleander, quin conclusionem hanc fusè perscriptam in Valentia reperirem; cujus meram conversionem esse illas paucas Italicis litteris in Epistola notatas voces, arbitrabar. Sed post evolutum bis terque caput sive punctum tertium à Paschale laudatũ, operam lusisse me sensi. Hæc paraphrasis ab ipso contextu tantopere abludit, ut suspicari profecto non potuerim ad quem Tractatus locum referri & pertinere posset. Quia vero Paschalis in Gallicum sermonem Latina isthæc inserit verba, *Non tanquam pretium Beneficii, sed tanquam motivum ad resignandum*, putavi ea pro signo ascripta esse, unde locus agnosceretur. Verum illa quoque frustra scrutatus sum; nusquã unquam deprehendi. Idem Paschalis ait eas, quę modo sunt à nobis recitatæ, voces *Conclusionem*
esse

esse longioris sermonis, ubi Valentia varias tradit artes, ad exercendam absque noxa Beneficiorum nundinationem. Nec isto indicio deduci ad locum, de quo loqueretur, potui. VI.Dial.

Ad extremum conjectura ductus existimavi repertum tandem unum, quem habere præ oculis potuisset. Extat initio hujus capitis tertii, ubi quærit Valentia; *Utrum quotiescumque spirituale datur, vel fit qualicumque modo pro temporali, & è contrario, fit transactio simoniaca....*Respondet, *dubitari non posse quin pars negativa hujus quæstionis certa sit*. Mox ita pergit: *Dicendum est convenienter doctrina communi hos modos (quibus contingit spirituale dari pro temporali & è contrario, sine simonia) generatim loquendo esse duos. Primus est quando temporale est dumtaxat motivum conferendi vel efficiendi spirituale, aut è contrario. Secundus est quando per temporale fit solum compensatio gratuita pro spirituali, aut è contrario*. Assertionem probat notione simoniæ,quam, ut contractum quemdã, cum omnibus Theologis considerat. Tum subdit: *Sequitur igitur argumenti conclusio*.

Vid. D.Thom. 2.2. qu.100. ar.3.ad 2.

Visus sum, inquam, mihi, perrexit Cleander, cum sextam Provincialem legerem,illum ipsum detexisse locum quem Paschalis præsertim indicaret. 1. Quia reipsa propositæ quæstioni Valentia ibi respondet; videlicet simoniam continuo non admitti,si tẽporale pro spirituali detur, aut contra. 2. Quia distinguit duplicem hunc modum quo temporale pro spirituali dari potest; nempe cum datur ut motivum conferendi,vel ut compensatio gratuita. 3. Quia demum hæc subdit: *Sequitur argumenti conclusio*: quas voces vi-

VI. Dial. videtur Paschalis respexisse. Demum quia nullus occurrit mihi locus in quem commodius cadere verba possint, quæ velut è Valentia ipso desumpta, citantur à Paschale.

Explicare Valentiam & defendere olim Jesuitæ conati sunt: responsum illis est: occursum responsis: hinc inde adversarios falsi accusarunt qui altercabantur: crevere lites: implicata verius & obscurata controversia, quam explicata & illustrata fuit. Quocirca fore satius, & ad componendam litem compendiosius arbitror, si, ut in Vasquesii loco similibus de causis jam fecimus, ipsam Valentiæ doctrinam per se spectatam expendamus; eaque sic exposita, pronunciemus quàm *jure* vitio data Jesuitis fuerit. Hæc habeo super ea re quæ dicam.

Primò, cum in ista concertatione citari utrinque Divum Thomam viderem; placuit eum adire, quæstione centesima Secundæ Secundæ, ubi argumentum istud tractat. Legi: cum Valentia contuli; nihilque ferè aliud esse hujus Theologi tractatum comperi, quam commentarium quo Sanctissimi Doctoris quæstionem explanat, cujus doctrinæ sic inhæret, ut huic uni fundamento imponat quæcumque docet.

Secundò, animadverti Valentiam in iis, de quibus agitur locis, rem generatim tractare, neque de Beneficiis Ecclesiasticis nominatim ac propriè quærere. *Quæstio est*, inquit, *utrum quotiescumque spirituale datur, vel fit qualicumque modo pro temporali, & è contrario, sit transactio simoniaca*. In eoque causæ cardinem & quæstionis verti, ut explicetur cum Divo Thomas, quemadmodum, salvo præcepto simoniam vetan-

tante, possit ex certa consuetudine ab omnibus recepta, dari sæpè temporale pro spirituali: qui possint citra simoniam Ecclesiæ Ministri stipendium ob spiritualia ministeria percipere; quomodo, absque eadem simoniæ labe, certa pecuniæ summa perpetuo proventu capienda, ædi sacræ relinqui testamento queat, ea conditione ut anniversariũ sacrum fiat; quo pacto non sit usus quarumdam Ecclesiarum simoniacus, in quibus aliquod ministerium spirituale, ut precum in exequiis cani solitarum solennis recitatio, sacrificium &c. illis promittitur qui eleemosynæ quidpiam donive contulerint; quomodo liceat pretio compensare quasdam actiones spirituales penitus, & sanctitatis plenas. Quod attinet ad postremum hoc caput Lectorem Valentia remittit ad articulum 3. S. Thomæ, ubi exempla hæc proponuntur; largiri pecuniam pauperibus ut orationum ab ipsis suffragia impetrentur; Ecclesiæ Ministris ad supplicationem obeundam, ad preces pro mortuis fundendas, & alia hujus generis. VI. Dial.

Tertiò, utitur Valentia distinctione quam initio attulit, *Quando temporale est dumtaxat motivum conferendi vel efficiendi spirituale, aut è contrariò: vel quãdo per temporale fit solum compensatio gratuita pro spirituali aut è contrario*, ut ostendat *non esse simoniacam eam consuetudinem qua videmus recipi à ministris spiritualibus pro spirituali ministerio stipendium sustentationis, quia non tanquam pretium pro spirituali datur, sed ex quadam OBLIGATIONE GRATITUDINIS.*

Quartò, indidem concludit donationes alicujus

VI.DIAL. cujus rei temporalis sub conditione & onere conferendi aliquid spirituale, non esse simoniacas;ut si v.g. aliquis leget Ecclesiæ fundum cum conditione,ut anniversarium sacrum fiat,ut peragatur supplicatio, ut fundantur à pauperibus preces,&c. *Ratio est*, inquit, *quoniam tunc spirituale dumtaxat est motivum conferendi temporale*; *atque ita non emitur pro temporali*, *sed est donatio temporalis onerosa.* In his omnibus,adjecit Cleander, non modo nihil falsi apparet; verum etiam, quid aliter aut dici aut fieri possit, non video.

Postremò,quoniam Paschalis in Valentię Doctrina, ut illam invidia oneret ac pejorem in partem trahat, maximè insectatur directionem hanc intentionis & distinctionem rei,quæ datur vel *tanquam motivum*,vel tanquam *compensatio gratuita*,non tanquam *pretium*:incessit me cupido pernoscendi num istæ distinctiones & directiones intentionis è Divo Thoma sumptæ, perinde atque cætera, forent: ac meram Sancti Doctoris esse doctrinam agnovi. Extemplo Cleander Summam D.Thomæ aperuit,& exempla eadem in singulis propè hujus quæstionis articulis commonstravit.

„ Art.2. Dicendum est quod recipere pecuniam „ pro spirituali Sacramentorum gratia,est crimen „ simoniæ: accipere autem aliqua ad sustentatio„ nem eorum qui Sacramenta Christi ministrant, „ secundum ordinationem Ecclesiæ & consuetu„ dines approbatas, non est simonia neque pecca„ tum. Non enim sumitur tanquam pretium mer„ cedis,sed tanquam stipendium necessitatis.

„ Ad Quartum dicendum quod, sicut dictum

est,

est, consuetudo non præjudicat juri naturali vel VI.Dial.
divino quo simonia prohibetur: & ideo si aliqua „
ex consuetudine exigantur quasi pretium rei „
spiritualis, cum intentione emendi vel venden- „
di, est manifestè simonia, & præcipuè si ab invi- „
to exigantur: si vero exigantur quasi quædam sti- „
pendia per consuetudinem approbata, non est „
simonia; si tamen desit intentio emendi, vel ven- „
dendi, sed intentio referatur ad solam consuetu- „
dinis observantiam. „

Eadem S. Thomas iterat, etiam planius ac di-
stinctius, sequenti art. ad 2. Dicendum quod illi „
qui dant eleemosynas pauperibus ut orationum „
ab ipsis suffragia impetrent, non eo tenore dant „
quasi intendentes orationes emere: sed per gra- „
tuitam beneficentiam pauperum animos provo- „
cant ad hoc quod pro eis gratis & ex caritate „
orent . . . . : Similiter etiam aliqua temporalia „
dantur Deum laudantibus in celebratione Ec- „
clesiastici officii sive pro vivis, sive pro mortuis, „
non quasi pretium, sed quasi sustentationis sti- „
pendium. Et eo etiam tenore, pro processionibus „
faciendis in aliquo funere, aliquæ eleemosynæ „
recipiuntur. „

Ad 4. Pro ingressu Monasterii nõ licet aliquid „
exigere, vel accipere quasi pretiũ: licet tamen, si „
monasterium sit tenue, quod non sufficiat ad tot „
personas nutriendas, gratis quidem ingressum „
monasterii exhibere, sed accipere aliquid pro vi- „
ctu personæ, quæ in Monasterio fuerit reci- „
pienda. „

Sed quæ subdit velim attentius audiatis, ait
Cleander. Similiter licitum est aliquem provo- „
care ad devotionem monasterii per temporalia „

be-

VI. DIAL. beneficia, ut ex hoc inclinetur ad monasterii in-
„ gressum: licet non sit licitum ex pacto aliquid
„ dare vel recipere pro ingressu monasterii. Si distinctionem hanc Escobarius, non D. Thomas, usurpasset; si potestatem hanc intentionis dirigendæ dedisset; ut eum agitasset Paschalis, ut ludos fecisset! ut illigati statim in Provinciales isti duo postremi versiculi fuissent!

X. His omnibus locis sedulo perlectis, Cleander ita est sermonem prosecutus. Non diffitebor, post collata Divi Thomæ & Valentiæ principia, iniquissimo animo tulisse me, quod hic Theologus ob istas distinctiones infandi sceleris reus fuerit postulatus, quas ab Angelo Scholæ, ac Theologorum Magistro dumtaxat exscripserit: sed longe mihi visum est indignius, cum Valentiæ locum prout à Paschale citatur, inspexi diligentius, & cum auctore ipso contuli. Dixerat Valentia, D. Thomam secutus, non semper nefas esse dare spirituale pro temporali, & vice versa temporale pro spirituali: iisdem quibus Sanctus Doctor, exemplis usus erat. Age, quo illum modo loquentem Paschalis facit? *Si conferatur temporale pro spirituali, hoc est, pecunia pro Beneficio, deturque hæc pecunia ut pretium Beneficii, aperta simonia est. Sed si detur ut causa & ratio movens Beneficiarium ad resignãdum beneficium NON TANQVAM PRETIVM BENEFICII, SED TANQVAM MOTIVVM AD RESIGNANDVM, simonia non est.*

Quam fœdè Paschalis locum è Valentia citatum corruperit, insertis de suo, quæ in auctore nulla sunt, verbis nõ paucis.

Quis conceptas & proprias ipsius Valentiæ voces illas esse non credat? cum non modo eas diverso à reliquis charactere signatas videat, sed etiam insertas Gallicis latinas istas & majuscu-

lis

lis literis exaratas cernat, *Non tanquam pretium beneficii, sed tanquam motivum ad resignandum.* VI. DIAL.
Quid enim id signi est, nisi auctoris ipsius textũ esse, cum vernacula interpretatione conjunctũ? Tamen, o incredibilem audaciam! hæc Latina propositio tota Paschalis aut ejus amicorum est, neque ulla ejus vel minima uspiam extant in toto Valentiæ tractatu vestigia.

Ad hæc Eudoxus majorem in modum obstupuit: & , Rem prorsus incredibilem narras, exclamat; neque tenere se potuit quin ipse oculis perlegeret attentè indicatum à Paschale caput. In quo postquam nihil simile aut consentaneum citatis verbis detegere valuit, in hanc erupit vocem: Hic fallaciæ cumulus, hoc imposturæ hactenus inauditum specimen est. Mox, fraudem, inquit, teneo: sẽtio planeque video quæ Paschalem illecebra traxerit. Principium hoc, licitum esse aliquando dare spirituale pro temporali, si traducatur nudè ac rigidè ad materiam Beneficiorum Ecclesiasticorum, quidpiam vehementer invidiosum habet: id Paschali placuit, id illi fuit in causa cur suum commentarium ita conderet.

Sed quid fuit Jesuitis in causa, cur in eo loco tam perspicuè depravato non triumpharent, & adversarios in tam aperto scelere non tenerent? Incurrit enim in oculos falsitas; eadem est crasso ac pingui texta filo, non involucris intecta, non imbuta colore aliquo veri & tectorio. Non ea dumtaxat est conversio parum fidelis, qua sententia Scriptoris infringitur ac debilitatur; aut sermo rapitur invitus in diversam partem ac pravè torquetur. Totæ lineæ supponuntur;

VI. Dial. beneficia, ut ex hoc inclinetur ad monasterii in-
„ gressum: licet non sit licitum ex pacto aliquid
„ dare vel recipere pro ingressu monasterii. Si distinctionem hanc Escobarius, non D. Thomas, usurpasset; si potestatem hanc intentionis dirigendæ dedisset; ut eum agitasset Paschalis, ut ludos fecisset! ut illigati statim in Provinciales isti duo postremi versiculi fuissent!

X. His omnibus locis sedulo perlectis, Cleander ita est sermonem prosecutus. Non diffitebor, post collata Divi Thomæ & Valentiæ principia, iniquissimo animo tulisse me, quod hic Theologus ob istas distinctiones infandi sceleris reus fuerit postulatus, quas ab Angelo Scholæ, ac Theologorum Magistro dumtaxat exscripserit: sed longe mihi visum est indignius, cum Valentiæ locum prout à Paschale citatur, inspexi diligentius, & cum auctore ipso contuli. Dixerat Valentia, D. Thomam secutus, non semper nefas esse dare spirituale pro temporali, & vice versa temporale pro spirituali: iisdem quibus Sanctus Doctor, exemplis usus erat. Age, quo illum modo loquentem Paschalis facit? *Si conferatur temporale pro spirituali, hoc est, pecunia pro Beneficio, deturque hæc pecunia ut pretium Beneficii, aperta simonia est. Sed si detur ut causa & ratio movens Beneficiarium ad resignãdum beneficium NON TANQUAM PRETIUM BENEFICII, SED TANQUAM MOTIVUM AD RESIGNANDUM, simonia non est.*

Quam fœdè Paschalis locum è Valentia citatum corruperit, insertis de suo, quæ in auctore nulla sunt, verbis nõ paucis.

Quis conceptas & proprias ipsius Valentiæ voces illas esse non credat? cum non modo eas diverso à reliquis charactere signatas videat, sed etiam insertas Gallicis latinas istas & majuscu-

lis

lis literis exaratas cernat, *Non tanquam pretium beneficii, sed tanquam motivum ad resignandum.* VI. DIAL.
Quid enim id signi est, nisi auctoris ipsius textũ esse, cum vernacula interpretatione conjunctũ? Tamen, o incredibilem audaciam! hæc Latina propositio tota Paschalis aut ejus amicorum est, neque ulla ejus vel minima uspiam extant in toto Valentiæ tractatu vestigia.

Ad hæc Eudoxus majorem in modum obstupuit: &, Rem prorsus incredibilem narras, exclamat; neque tenere se potuit quin ipse oculis perlegeret attentè indicatum à Paschale caput. In quo postquam nihil simile aut consentaneum citatis verbis detegere valuit, in hanc erupit vocem: Hic fallaciæ cumulus, hoc imposturæ hactenus inauditum specimen est. Mox, fraudem, inquit, teneo: sẽtio planeque video quæ Paschalem illecebra traxerit. Principium hoc, licitum esse aliquando dare spirituale pro temporali, si traducatur nudè ac rigidè ad materiam Beneficiorum Ecclesiasticorum, quidpiam vehementer invidiosum habet: id Paschali placuit, id illi fuit in causa cur suum commentarium ita conderet.

Sed quid fuit Jesuitis in causa, cur in eo loco tam perspicuè depravato non triumpharent, & adversarios in tam aperto scelere non tenerent? Incurrit enim in oculos falsitas; eadem est crasso ac pingui texta filo, non involucris intecta, non imbuta colore aliquo veri & tectorio. Non ea dumtaxat est conversio parum fidelis, qua sententia Scriptoris infringitur ac debilitatur; aut sermo rapitur invitus in diversam partem ac pravè torquetur. Totæ lineæ supponuntur;

 in-

VI.Dial. inseruntur Latinæ voces & intruduntur in Gallicas, quæ nullibi reperiuntur. In eo, quem convertere profitetur dolosa manus, loco adduntur verba non pauca gravissimi momenti tum Latina, tum Gallica, quibus propositio sua sponte innocens, tetra, immanis, odiosa fit.

Jesuitis, respondit Cleander, id unum erat faciendum, ut Valentiæ doctrinam exponerent, eandem cum Divi Thomæ doctrina compararent, uti modo præstitimus, adversarios planè victos & concisos habebant: vincere nescierunt. Aliò se verterunt: ad distinctiones abjere, probas illas quidem, sed nullatenus necessarias: quas dum arripiunt adversarii peropportunè; dum litigant; dum rem disputando, cavillando, clamitando disturbant, extrahunt, intricant, Jesuitis elapsi sunt. hærendum hic, ut præclarè mones, erat; in facto uno consistendum: compellendi Jansenistæ ut ostenderent in Valentia citatas a Paschale voces; quas donec monstrarent, abstinendum responso, & certa victoria, quam aperta fraus dabat, lætandum fuit. Qui sic luce palam mentiri, fallere, dicta indictaque proferre ac depravare impudenter audent, indigni sunt quibus respondeatur. Confiteantur ante de suo peccato necesse est, fallaciam detestentur, populum dedoceant. At, nisi fallor, expectare dum id faciant, longum est.

Ego, inquit Abbas, libro ipso in manus sumpto, viginti Jansenistas prostravi. Rem ipsam ambo attigistis: ad arcem calumniæ pervenistis. Nihil æquius, nihil rationi magis consonum est eo principio quo Valentia, quo Sanctus Thomas utitur, si ad materiam applicetur ad quam illud

ipsi

ipsi traducunt: nihil necessarium magis ad informandos Ecclesiæ Ministros, ac docendos quemadmodum pura & à rebus terrenis expedita mente operam sanctissimis navare ministeriis debeant. At eodem principio nihil impium magis & absurdum foret, nihil æque periculosum, si ad eam, quò ipsum torquet Paschalis, materiam traduceretur. Exemplo res patebit. VI. Dial.

Habe hunc tibi nummum, inquiet aliquis pauperi, ea lege ut pro me Deum depreceris. Alter Ecclesiastico Beneficio præditum sic alloquatur: Est hoc tuum Beneficium librarum dives mille quingentarum: cedo illud mihi, & hos tibi decies mille nummos habeto in præsentia numeratos. Porro illos non tanquam Beneficii pretium do, absit: sed ea mente dumtaxat ut lubentius mihi gratificari de tuo isthoc beneficio velis. Quid simile minus, quid magis diversum ac discors, quam istæ propositiones duæ? Nihil innocentius prima; nihil altera ineptius. Primam probat usus fidelium, quem Valentia præclarè docet; alteram ipsi affingit inimica fraus, tanto ab ejus mente disjunctam intervallo, quanto error à veritate dissidet.

Contendit insignis ille Theologus non esse semper illicitum temporale pro spirituali dare, idque aliquando licitum affirmat ob eam causam quæ cæteros Theologos in eandem sententiam trahit: nempe quia, *Nisi ita esset, oporteret damnari universalem usum Ecclesiæ, quo ferè quicquid spiritualis ministerii confertur in populum, confertur pro aliquibus subsidiis temporalibus, quibus ministri alantur*. Simul explicat quo vitari pacto simonia in istis possit; nimirum ita

VI. DIAL. conferendo temporale pro spirituali, ut non pretium, sed compensatio gratuita sit, vel incitamentum, quo quis accepti temporalis boni memor & gratus, spirituale, quod rogatur, impertiat.

Quid horum Paschalis inficiabitur? Num usum hunc communi fidelium consensu & consuetudine receptum? Num eundem vacare culpa? Num denique eam mentem atque intentionem adhibendam esse quam Valentia suggerit, excludendam quam rejicit? An dicet Valentiæ principium, ut est alligatum illi materiæ, quam unà cum Divo Thoma hoc loco tractat, eo duci posse, ut ex illo concludatur fas esse pretio Beneficium Ecclesiasticum comparare? Si hoc dicet, accuset sanè Divum Thomam, similiter atque Valentiam accusat: accuset Ecclesiam universam, cujus consuetudo, ut patet, principio Valentiæ nititur, & ab omni labe purgatur per eam mentem & intentionis sanctimoniam quam hic Theologus Christianis, ac Ministris Ecclesiæ præcipit: quæ consuetudo multò magis, quam ipsum principium, vitio verti deberet ac suspicione simoniæ laborare. Sed ea omnia qui prudenter ac peritè disceptare ac dijudicare possit, hunc altius & penitius illa, quàm Paschalis fecerat, attigisse par est.

Distinctionem temporalis boni quod pro spirituali detur vel *tanquam motivum, vel tanquā pretium*, usurpant post Divum Thomam Theologi, sed in iis rebus tantum quibus ea convenire possit: & exempla proponunt iis simillima, quorum mentionem fecimus. Nec habere tamen illa interdum in Ecclesiasticis Beneficiis

Io-

locum aliquando non potest. Exemplum esto VI.Dial.
quod à Sancto Thoma & Valentia nequaquam prætermissum fuit.

Bene de Episcopo meritus est quispiam, cæteroquin idoneus Ecclesiastico Beneficio, nec eodem indignus: hoc illi Episcopus gratificatur. Abesse potest simonia; potest etiam adesse. Si Episcopus amicitiæ ergo dumtaxat,& meriti non immemor,id muneris ipsi largiatur,simoniæ nihil est:at si Beneficium tanquam mercedem tribuat, qua se homini, cui multum debet, satisfecisse arbitretur; adeo ut levatum se putet onere solvendæ ipsi mercedis, ob officium aut factos Episcopi causa sumptus debitæ; simonia est. Dirigat Episcopus tunc intentionem quantum volet, & amicitiam gratique animi significationem intueatur ac prætexat; Beneficium est reipsa pretii loco datum. Tam sana, tam pura, tam ab omni remota labe sit mens eorum ac voluntas, qui conferunt,permutant,resignant Beneficia, quam sunt istæ Theologorum distinctiones veritati simul & æquitati consentaneæ; nihil erit injustitiæ, vel errori, loci. Sin recta mens abest,sin eos mala cupiditas pręter jus fasque rapit, ipsi se audiant, ipsi se consulant: nullum sibi, ad elidendas reclamantis conscientiæ voces, in istis distinctionibus perperam adhibitis præsidium esse sentient.

Satis superque in hoc uno morati loco sumus, inquit Eudoxus; nec injuria. Multis rebus perobscuris afferenda lux fuit, multæ in ordinem suum componendæ. Sed ante tamen quam hinc discedimus, solve sodes levem, qui restat mihi, nodum. Is me identidem cum loquereris,

VI. DIAL. ris, angebat: objicere distuli, ne interpellarem. Agitur de facto: sæpè hæc appellasti Latina verba, *Non tanquam pretium sed tanquam motivum ad resignandum*, quæ dicebas à Paschale in vernaculum inserta sermonem, cum Valentiæ locum de pecunia pro Beneficio danda falsò citaret. Absunt ab hac editione mea istæ voces Latinæ: magnam tamen piaculi & perfidiæ in citando Valentia commissæ partem, ac præcipuam continent.

Nec istud me fugit, inquit Abbas: dempta sũt Latina hæc in posterioribus editionibus verba, postquam in prioribus eum, qui Jesuitis intendebatur, ictum pertulissent. Subiit metus ne tam fœda loci depravatio, quam redarguere promptum erat, & in quam dura multa dici merito poterant, non bellè cederet: sublata clam fuit. Quod ne ipsos quidem Jesuitas sensisse reor: certe questos nunquam fuisse video. Sed hanc perlege primam *in quarto* editionem: en extant totidem expressa vocibus. *Si l'on donne un bien temporel pour un spirituel, c'est à dire de l'argent pour un Benefice, & qu'on donne l'argent comme le prix du Benefice, c'est une simonie visible: mais si on le donne comme le motif qui porte la volontè du Beneficier à le resigner, NON TANQUAM PRETIUM SED TANQUAM MOTIVUM AD RESIGNANDUM, ce n'est point simonie.*

Si qua adhuc ejusmodi, præter alias, quas hactenus tot ac tam variis in argumentis observavimus, depravatio & corruptela tam pinguis & opima occurreret, inquit Eudoxus; sanè illi, quod ea tempestate percrebuit, proverbio suf-

fra-

fragaret, *Haud secus ac Jasenista mentitur : IL MENT COMME UN JANSENISTE*. Verum an tandiu nos Tannerus, itidem Jesuita, distinebit, quem Paschalis Valentiæ adjungit, socium videlicet ejusdem criminis? *Tannerus è nostra item Societate, Valentia subscribit, tomo III. pag.* 1519. inquit bonus ille Jesuita, qui loqui fingitur in Provincialibus. VI. Dial.

Nequaquam, excepit Cleander: Una modo columna libri perlecta, eandem illi atque Valētiæ calumniam structam fuisse intelliges. Tannerū extemplo sumpserunt in manus, ac præter propositionem generalem, fas esse aliquando spirituale pro temporali dare, ne verbulum quidem eorum, quæ ipsi Paschalis affingit, invenerunt. Quin etiam circumspectiùs quodammodo & cautiùs, quam Valentia, loquitur; & quas è suis principii elicit decisiones, illæ tam apertè indicant ipsum non aliis de rebus quam quas Divus Thomas memoraverat, agere, ut qui aliud in eo videat, hunc somniare omnino necesse sit.

Immane dictu! exclamat Eudoxus; neque hoc profecto cuiquam nisi his oculis credidissem. Nō sic abibunt ista tamen, quin Paschalis aliquando litem contra Jesuitas vincat. Ad me quidem quod attinet, plane decisionem quæ consequitur condemno: qua dicitur *Sacerdos posse, dum accepto stipendio pro altero celebrat, partem Sacrificii sibi convenientem alteri applicare, & pro ea stipendium accipere; dum nō tanquam pro integro Sacrificio, sed pro parte, ut pro una tertia, accipiat*. Escobarii decisio hæc est: probè ac sincerè citatus à Paschale fuit: locum ipse contuli.

Quid igitur, Abbas excepit, si scias Escobarium

VI. DIAL. XI.

Propositioni cuidam Escobarii de Missæ stipendio lux affertur & objurgatores Theologiæ Scholasticæ admonentur.

rium hac ipsa decisione id agere ut solutos hac in parte sui temporis mores emẽdet ac restituat?

Mirarer, inquit Eudoxus; quam enim proponit quæstionem hoc loco, ea præpostерè admodum proposita, pejus etiam decisa mihi videtur.

Ita se res tamen habet, ut dixi, adjecit Abbas; ac ducem sequitur Canonici Juris Doctorem pium juxta & peritum Navarrum, cujus in principiis & doctrina hæret. Agit Navarrus de quibusdam ætatis suæ Presbyteris, qui Divum Thomam malè interpretati docentem Missæ meritum, quod satisfactorium vocant, esse infinitum, non dubitabant accipere pro divina re semel facienda plura stipendia; seque iis omnibus, unde illa capiebant, uno Sacrificio facere satis arbitrabantur: cum dicerent inesse Sacrificio satisfaciendi vim inexhaustam, quæ pluribus etiam mundis cumulatè sufficiat. Eapropter Navarrus negotium hoc diligentius excutiens, Theologicum acumen exerit; ac distinguit tum eam partem quam pro jure suo vindicare sibi Ecclesia in quolibet Sacrificio potest; tum quæ iis cõvenit quorum in gratiam nominatim offertur; demum illam quæ propria Sacerdotis ipsius est: ex qua nonnihil etiam, inquit, concedere aliis ac detrahere sibi posset.

Etiam isthæc probantur tibi omnia? Cleander ait, Abbatem appellans.

Mihine? oh minime gentium, respondit Abbas. Longè satius fuisset Escobario & Navarro monere Presbyteros quantum invidiæ ac dedecoris habeat hæc sordida lucri cupiditas, cui prave obsecundant; quam in istis distinctiunculis otium conterere, quæ ab Ecclesiæ pietate ac in-

ge-

genio mirum quantum abhorrent. Quod reipsa VI. Dial.
præstitere summo studio Theologi Societatis Doctissimi, Suarez, Laymannus, De Lugo, Vasquez, Turrianus, aliique bene multi, cum de his rebus disputandi occasio se obtulit. Et isti, meo quidem judicio, longè melius Societatis totius doctrinam, nomen, ac personam exhibent, quam hic Hispanus; etsi suffragatorem Navarrum, percelebrem illum Doctorem, habeat.

Hæc illa ex argutiis Theologicæ Scholæ & distinctiunculis est una, quas exagitari & vexari paululum, non nimis ægrè ferrem; ea nihilominus lege ut prudens earum haberetur delectus & accuratus ac fidelis texeretur index: qui, crede mihi, brevior opinione foret. Ea item conditione, ne homines in eam falso adducerentur mentem, ut hanc Theologiæ Scholasticæ quasi medullam & subtilissimum succum putarent esse; quin potiùs admonerentur, id quod est verissimum, ejus-modi nævos in ea perpaucos esse præ sexcentis aliis eximiæ utilitatis ac frugis quæstionibus ad stabiliendam Religionem & mores informandos admirabiliter inventis, discussis & disputatis. Denique, ut ne exiguum illud quod in Scholastica Theologia reprehendendum videretur, totum inferretur in rationes Jesuitarum; qui, ut levissimè dicam, pars ejus non major quàm alii quilibet sunt.

Dictum probè, inquit Eudoxus: habeo quod proponam Doctoribus nonnullis morosis & anxiis, quos novi; & quos Scholasticis Doctoribus nunquam video non iratos. Quæram ab iis num in istas conditiones convenire, ac æternum sancire fœdus velint.

Isti

VI. DIAL. Isti vero quos dicis, excepit Abbas, nunquam Doctores Scholasticos legerunt; & quam habent animo præceptam opinionem, in judicãdo mordicus sequuntur. Si quam forte Epocham in Codice veteri manuscripto detexerint; aut ex ęroso numismate extuderint, in cœlo sunt; & majori hoc apponunt lucro quam Indias à Lusitanis detectas. Lapsus in aliqua re id genus fuerit Scholasticus Doctor, cum sua ratio aut aliena fefellerit; facinus est capite plectendum, & summa semper ignominia, illorum calculo, mulctatur. Sed redeamus in viam. Credis, adjecit, Paschalem Censoris veri ac sinceri partes obire diu posse?

Non id volo, retulit Eudoxus: imò ut de illius fide ac sinceritate dubitarem, fecerunt sumpti tres è Baunio loci; qui simul omnes continua juncti serie ab eo proferuntur, quamvis alii aliunde sint excerpti. Illi, inquam, loci suspicionem aliquam mihi prima fronte moverunt; nec immerito, ut postea intellexi. Asseritur in sexta Provinciali Jesuitas modo affirmare idem, modo negare, ut collibitum est: id ut planum fiat, hoc argumenti profertur in eadem epistola.

» Noster Baunius in hôc genere mirificus est.
» Quam juvat enim videre magnum illum Casui-
» stam, cum in eadem quæstione, quæ Presbyteros
XII. » etiam spectat, modo hoc, modo illud asserit: nec
Male jun- » eum tamen certa ratio uspiam deficit, ita subtilis
cti à Pa- » & ingeniosus est. Affirmat verbi gratia (tracta-
schale tres » tu 10. pag. 474.) nullam legem aut Canonem
Baunii loci » Parochos obligare ad quotidie sacrificandum,
& pejus in- » eo quod haberet lex hujus-modi peccati morta-
tellecti. »

lis

lis periculum, cui obligatum ad sacrificandum VI. Dial.
haud dubiè objiceret. Idem nihilominus in eo- »
dem tractatu pag. 441. ait Sacerdotes, accepto »
pretio, quotidie sacrificandi obligationem su- »
scipere, neque excusari posse eo quod non sint »
semper parati ad sacrificandum: quia Sacerdo- »
ti jus est omni tempore contritionis exercendæ »
liberum, quo si officio non fungitur, imputet ip- »
se sibi vitium hoc. »

Cum hæc legerem, perrexit Eudoxus, non intellexi eum qui hæc diceret, idem affirmare & negare; adeo diversa sunt, de quibus agitur his in propositionibus, argumenta. Neque tám qui citantur loci apparent mihi esse contrarii, quàm ejus à quo citantur vafra malignitas perlucet. Age Latinum dumtaxat sermonem, ut in Baunio extat, inspiciamus: non modo nihil cōtrarium, & sibi pugnans, nihil absurdum, aut impium, sed prudentiæ quoque plenum esse comperies.

Dico tertio: cum pro se quis quotannis aut diebus Sacrum fieri cum Sacerdote convenit, peccare hunc si pactum per se aut per alium non impleat. tract. 10 *pag* 441.

Id ergo si non fecerit cujus causa est ei memorata pecunia data, hanc Domino integram, nullaque sui parte diminutam redhibere debebit.

Mox id sibi objicit: afferri huic Sacerdoti necessitatem prope ineluctabilem peccandi. Cui argumento duplici ratione occurrit. 1. Posse illum per actum contritionis redire ad Deum, quo si officio non fungitur, in culpa esse.

Hic ridens Cleander, Peccat hoc responsum, inquit, saltem ut sunt Paschalis principia. Nititur

VI. DIAL. tur enim hoc effato, gratiam non deesse tum, cum sequeretur ex eo quod abesset, potestatem implendi præcepti abesse.

Missa hæc Jansenistarum scita & placita faciamus, excepit Eudoxus: non id modo agimus. Ausculta quid Baunius secunda respõsionis parte dicat. *Cum ejus opera non sit addicta sacro huic ministerio necessariò, sed quatenus illud obire per se satagit, non per alium; in ejus potestate esse, cum est ad sacrificandum imparatus, sibi in eo subrogare alium: in quo quid sit periculi, quid peccati aut maculæ, adversariorum est dicere.* Quid censes? subjecit idem Eudoxus; quidquamne dici clarius & sapientius singulis hujus responsi partibus potest? Num videtur tibi Paschalis, viri probi & honesti officio functus, qui partem hanc responsionis alteram reticuerit, non solum ut pugnantia loqui Baunium doceret, verum etiam ad Lectores eò ducendos, ut impositam ab eo Theologo huic Sacerdoti necessitatem admittendi sacrilegii suspicarentur?

Accipe tertium Baunii citatum à Paschale locum: An sacrificare Sacerdoti licitum est qui letali se noxa, vel turpissima eo die inquinaverit, si antea sit confessus? Negat Villalobos propter flagitii obscœnitatem. Dissentit Sancius, ac fieri citra culpam posse censet: *Cujus mihi opinio & tuta & sequenda videtur in praxi.*

Duriter & odiosè dictum, ait Cleander.

Cui Eudoxus: Mane paululum, obsecro, dum audias reliqua. Et me quoque perculerat graviter primo aditu Baunius legentem isthæc: sed cum forte indicem libri percurrerem, objectum præter spem vocabulum injecit animum mihi ut

ut Tractatus quarti sextum caput evolverem: ex VI.Dial.
quo mentem ipsius ; & hujus capitis sententiam percepi.

Idem ibi quærit de conjugibus, quod de Sacerdotibus quæsierat, docetq; tametsi nihil preter fas & conjugii leges admiserint, dandum id nihilominus honori Sanctissimæ Eucharistiæ & Sacramento, ut ad cælestem mensam statim non accedant. *Si in eo decòri ratio non habeatur, si honesti, sane negari non potest*, inquit, *quin ejus omissio omittenti danda sit vitio: quod quia præter indecentiam culpabile nihil habet, leve sit oportet hoc vitium, ac proinde tantum veniale.* Addit nihilominus intercedere causas posse, quę peccatum aut minuant, aut penitus tollant: verbi gratia scandalum & offensionem, quam allaturi sunt conjuges si sacra mensa careant; diei festi sanctitatem & religionem; vehemens cælesti epulo fruendi desiderium divinitus injectum... Itaque liquido constat, subjecit concludens Eudoxus, à Baunio non spectari Parochos & Presbyteros (quorum de officiis præsertim in eo, quod citat Paschalis, capite differit) nisi certo rerum in articulo positos, ubi illos hinc peccati conscientia, inde sacrificandi necessitas ancipites ac suspensos tenet. In quo primùm hoc tradit: Sacerdotem ritè confessum, id habere quod à Concilio Tridentino requiritur ad Eucharistiam recipiendam, hoc est divina gratia potiri: quod quidem ita plane est, quantumvis aliud sibi novitatis isti amatores fingant. Secundò, cum dixit Baunius hanc sententiam *in praxi tutam* esse, ille ipse qui admitti venialem noxam censet ab cõjugibus, nihil profecto aliud

vo-

 voluit, nisi Sacerdotem aut Parochum posse citra culpam hanc sententiam sequi, si quando ipsum officii & muneris sui ratio rem divinam omittere non patitur: quod interdum accidit.

Si, exempli causa, Parochus rusticanus in eo sit adductus locum ut populus die Dominica sacrificio sit cariturus, & sermonem rusticis suis sinistrum det: consulantur ea re super, non correctores illi videlicet morum & Ecclesiasticę disciplinæ, quorum severitas præpostera graves in consimilibus causis aliquando turbas non sine multorum offensione concivit; sed Theologus quilibet rerum æstimator prudens, qui calleat quemadmodum firmissima doctrinæ moralis principia sint ad singulas actiones aptanda: tum vero quàm parum à Baunio dissentiat, apparebit.

Omnino, inquit Abbas, hanc ipsam esse Baunii mentem cônstat, qui hanc de conjugibus sẽtentiam dixerit. Sed istarum interpretationum, quę non minus veritati & æquitati favent, quam ipsi auctori, indulgentia & beneficio Jesuitæ nõ gaudent. In eorum libris una pars alteram non adjuvat: ut quidque statuunt ac decidunt in moribus, repetenda sunt ipsis ab ovo principia omnia, circumscriptiones & circumstantiæ; omnes nodi antequam objiciantur, solvendi & explicãdi. Id ni faciant, non desinent malevoli censores ex eorum libris quædam excerpere, quæ à suis principiis ac probationibus avulsa nonnihil habere possint invidiæ; iis excerptis ac frustis inurendam censuræ notam curabunt; ac Europa deinde tota & missis ad ultimum usque orbem nunciis litterisque, quasi præconis voce, Jesuitarum

rum

rum doctrinam fœdo inustam fuisse stigmate, promulgabunt. At tu, nihilne, quod de isto loco præterea dicas, habes? VI. Dial.

Nihil, retulit Eudoxus: nam quod ait Paschalis, sive inducta jlocalariter ab eo Jesuitæ persona, de Casuistis recentibus quos à Theologis Societatis anteponi Sanctis Patribus dictitat, jam abunde fabulam hanc, ut alias de genere hoc aniles multas, explosimus.

XIII. *Filliucii voces per Paschalem contorta ac truncata restituuntur.*

Sic est, respondit Abbas; sed nonne illud etiã in calumniæ parte ponis, quod tanquam à Filliucio Jesuita generaliter & universè pronunciatum refert, Leges Ecclesiasticas non valere, *cum jam desuetudine abierunt?* hæc propositio sic expressa, inter periculosas & falsas recenseri jure potest: cum tamen in eo, ubi Filliucius eam adhibet, loco, & unde illam Paschalis excerpsit, nihil sit rationi magis consentaneum.

Certè, inquit Cleander, plurimos vidi, quos illa propositio, ut eandem Paschalis accipit, magnopere offenderet.

Ad hæc Abbas: Effatum hoc in jure tum Civili, tum Canonico usitatum est: sæpenumero à Sancto Thoma, Sancto Antonino, Gersone, cæterisque Theologis ac Juris-Consultis usurpatur. Quin ipsæ voces Filliucii, è jure civili desumptæ sunt: *Si quæ leges in veteribus libris posita, jam per desuetudinem abierunt, nullo modo vobis easdem ponere permittimus.* Leg. *Deo auctore* Cod. *de veteri jure enucleando.* Refert vero quemadmodum hoc effatum tractetur, ad quod argumentum aptetur. Id Filliucius quo pacto præstet, videndum Tomo, ut citat Paschalis, secundo Tract 25. num 33. Locum perlegerunt,

VI.DIAL. runt, ac Filliucium perspexerunt ibi agere de poenis adversus eos qui contumeliosas in Deum Superosque voces *jactarent*, constitutis sive a Moyse in Veteri Testamento, sive a Conciliis & Summorum Pontificum Decretis, in Novo. Quas poenas a Confessariis imponendas confitentibus dicit, etiam in *foro* conscientiæ, hoc est, in Sacro Confessionis Tribunali, si essent adhuc in usu ac more positæ: verum alias nunquam in usu Ecclesiæ fuisse positas, alias usurpari desiisse. *At* (sunt ejus ipsa verba) *vel recepta nunquam sunt, vel jam desuetudine abierunt*. Quid hoc facto verius? Potuitne hoc juris effatum applicari cōvenientius? Inde tamen avulsum fuit, quò probaretur Jesuitas veterem disciplinam habere ludibrio, ejusque sanctissimis Legibus, futiles Casuistarum suorum & frivolas argutationes præferre.

Quod sequitur meę quoque cognitionis erat, ac fori, ait Cleander: verum candide de me ipse confitebor, constantia me defecit. Facile intelligitis quam molestum mihi, ut est hæc nostra indoles, certe quam parum volupe sit componere inter se Scriptorum locos, contextum ipsum ac singulas prope voces numerare. huic tam ingrato labori diutius ferendo par esse non potui: fixumque deinceps & deliberatum mihi est, pro rato & certo habere quidquid Abbas eruditissimus à se animadversum & examinatum fuisse testificabitur.

Siccine, subjecit Eudoxus arridens, arma deponis, & pedem refers? Parum honestè profecto ac civiliter. Et mihi gratulor qui te ista saltem constantiæ laude vincam. Neque tamen diffi-

diffitebor, meam ſæpè quoque & graviter tentatam fuiſſe conſtantiam ac patientiam, quæ jam excidebat licet invito, & me reluctantem deſerebat. Equidem ſumma cum voluptate ornatiſſimum Abbatem audio tam dilucidè ac prudenter evolventem ea quæ Paſchalis cum implicaret involveretque, ſolertiæ ac ingenii ſpecimen edidit. Verum ipſa materia tetrica per ſeſe ac tenebricoſa, plena contentionis & operæ, me deterret. VI. Dial.

Prætereà vero, ex iis quæ hactenus à nobis excuſſa ſunt, ſatis ſuperque intelligimus, quodnam de Provincialibus Litteris judicium ferre debeamus. Quid ſit de illarum encomio, quod Perraltius adornavit, ſentiendum abunde peritus Abbas demonſtravit. Jam intelligo quam ſolidæ rationes in iis afferantur, quam feſtivi ſint & liberales joci. Nihil Jeſuitæ, quod quetantur, habent: ipsis oſtenſum eſt certiſſimis & clariſſimis argumentis (quibuſcum tamen bellè ſociatur ingenua & honeſta dicacitas) ipſorum Societatem Eccleſiæ peſtem eſſe, corpus è ſceleratis hominibus, ineptis ſtolidiſque conflatum; quos aut exterminare, aut æternis mandare vinculis par eſſet. Fallitur qui Sycophantam Paſchalem, calumniatorem & mendacem dicit: hęc nomina in Scriptorem tam lepidum, tam elegantem ac venuſtum non cadunt.

Sub hæc Abbatem appellans, Tibi vero, inquit, ut amoto joco loquar, gratias habemus longè maximas, oramuſque ut labori poſthac parcas. Operæ pretium feciſti qui nobis, id quod erat, oſtenderis, Paſchalem & ejus in Jeſuitis oppugnandis armigeros, à quibus tela ſumit, mul-

VI.Dial. to indigere magis severiore doctrina quàm ipsos Jesuitas. Qui occasionem dedit elucubrandi hujus operis, in quo videtur vim suam omnem exeruisse calumnia; qui venditat illud idem, & ubique imperitis obtrudit, rem faceret Catholicis omnibus longè utilissimam & gratissimam, si fœtum hunc infandum abjuraret, excuteretque onus grave, quod brevi, ut ætas ejus jam provecta monet, ad supremi Judicis Tribunal deferet; tot fallaciarum & criminum, quæ in eum merito conferuntur, rationem redditurus.

Eja, subdit Abbas, concionaris, ut video. Tuũ est, scilicet, Arnaldum adhortari, & illi scrupulos injicere. Ego vero id tibi prædico, ubi primum mortem obierit, nihil priùs factum iri quam ut in numerum Cælitum à suis adscribatur. Omnia jam ad eam rem prompta sunt & parata. Quod vel inde colligas licet. Intuere quæ sit factionis totius erga San-Cygiranum Abbatem veneratio & pietas. Quamvis in illum dixerint tam dura testimonia, & Sacerdos ille sanctissimus D. Vincent, Sodalitatis, cui à Sancto Lazaro nomen est, conditor (Locus demptus est ille quidem ex editione novissima ejus vitæ; quid enim factioni non licet? idem tamen, Deo volente, alibi etiamnum extat) & Abbas Prierensis; & Lingonensis tum Episcopus; & Bellegardius Archiepiscopus Senonensis; & qui non ita pridem obiit D. Cauletus, postmodùm Apamiensis Episcopus, testis Portui-Regio sane permolestus. Quamvis eundem San-Cygiranum accusarint tam graviter Gondrenus Oratorii Præpositus Generalis, qui multa de illo arcana & norat ipse & palam renarrabat; aliique complures gravissi-

mi

mi testes, quibus comperta erant nefaria illius adversus Ecclesiam consilia, & opiniones ineptæ atque hæreticæ quas amplectebatur: nihilominus tamen San-Cygiranus, inquiunt, vir eximiè Sanctus erat, & inter Dei famulos primarios numerandus, quem Cardinalis Richelius iniquè vexavit, tanquam si Lutherus alter extitisset. Ita illi omnes hodièque prædicant. Quid censes de Arnaldo prædicandum olim esse, quam viri famam & opinionem de illius sanctimonia futuram, qui San-Cygiranum Abbatem tam longe & consiliorum audacia & operum successu vicerit? VI. Dial.

Cæterum, perrexit Abbas, nimium indulgetis mihi: nondum sum oneris & laboris mei parte potissima vobiscum defunctus. Id mihi erat in animo ut iter institutum ad epistolam usque decimam produceremus. Quæ enim consequuntur, aliud nihil fermè sunt quam priorum repetitiones & interpolationes earundem fallaciarũ. Quod superest, habebitis me, cum pergere libebit, expeditum & accinctum. Addam unum, mihi informatum jam esse consilium ac delineationem libelli cui titulum hunc facere meditor, *Moralis Speculativa & Practica* Jansenistarum. Opus esset non illepidum, nec magni negotii. Non accerserem longinquo ex orbe commentarios & schedas quinque aut sex millium Leucarum itinere ad me perlatas. Extra Galliæ, Flandriæque limites non evagarer: earum Regionum me cancellis includerem, hinc facile necessariam ad scribendum supellectilem sumerem. Sequerer temporum ordinem, & ducto à primis concertationibus exordio, rem ad nostram ætatem

XIV. *Libelli propediem edendi Synopsis ac delineatio.*

VI. DIAL. usque deducerem. San-Cygitani Abbatis libri & autographa scripta præ cæteris locupletem mihi materiam sufficerent. Varias variorum, qui florent in eo grege olimque floruerunt, historias nō invenustas calleo, quibus operi gratia & voluptas conciliaretur. Vel ipsa lis Perretæ *des Lions*, quam confitentem Arnaldus audiebat, & cujus causam cōtra ipsius Perretæ Avunculum & Tutorem Decanum Sylvanectensem strenuè propugnavit; hæc una, inquam, causa probè narrata, & suis ornata circumstantiis, tomum breviorem impleret, ac Lectorem sine tædio, nec sine risu teneret.

Euge, mi Abbas, exclamat Cleander, incumbe in opus; successum in me recipio. At scin' me prima, quæ habuimus, colloquia descripsisse? Ea cum aliquot amicis communicavimus; jamque in manibus & ore Civium sunt: posteriora item describere meditor.

Sum, inquit Abbas, pacis cupidior; nec ultro quemquam lacessere meum est. Sed siquidem in arenam descendere me cogitis, dum nostra colloquia pervulgatis, videte ne quis contra me libellus Jansenistarum prodeat: qui si exibit vereor ut mihi temperare satis queam. Exeram stylum, depugnabo. Cæterum, quamvis intelligam molestum vobis examen istud Provincialium & laboriosum fuisse, unum aut alterum tamen vos oratos, nisi molestum est, velim.

Primum est, ut ne gravemini lectitare paucu-las paginas in quibus explicantur quædam capita generalia, quæ in Provincialibus Litteris attinguntur; & quæ, cum doctrina probabilitatis, artem Jesuitarum politicam & Moralem eorum Theo-

Theologiam, si Paschali credimus, maximè continent. Ea sunt de directione intentionis, de distinctione Probabilitatis speculativæ & practicæ, de ambiguarum vocum usu & mentis restrictione. hæc si habebitis comprehensa, nihil admodum, aut perparum, ad Provinciales quod attinet, desiderabitis. Quis ejus-modi sit opusculorum auctor, mittite quærere: hoc dumtaxat spondeo, vos ex illis magno & laboris & temporis compendio intellecturos quid rectè, quid secus, disputari super his rebus possit; utrum culpanda Jesuitarum doctrina, necne; laude sint an venia digni. Intra horulæ unius spatium perlegeritis hæc omnia; unde non exigua lux affulgere potest rebus per se abditis, in quibus vulgo plerique parum vident. Quæ hic afferuntur exempla è Litteris Provincialibus septima, octava, ceterisque subsequentibus depromuntur, quas singillatim examinare longiùs vobis videtur. VI. Dial.

Alterum vos oratos volo: pertinet id ad postremum caput decimæ ad Provincialem epistolæ, quod caput Paschalis *mysterium iniquitatis cumulatum* appellat. Spectat enim amorem Dei, quem, si illum audimus, Jesuitæ *ad salutem non esse necessarium* prædicant. Omnino velim ut eo de argumento differamus paulo uberius. Conveniemus, cum erit commodum, in amici vestri Jansenistæ Bibliothecam: & confido fore ut vobis reponam illam voluptatem quà vos nuper caruisse doluistis, cum ille pugil mihi opera vestra destinatus, domi suæ non adfuit. In hoc certamine gravissimo, præ quo cæteræ superiores concertationes nostræ, dici velitationes

VI.DIAL. & umbratiles pugnæ possunt, adversarium hunc objici mihi lætor.

Ad hæc Eudoxus & Cleander gratiam à se ambobus ingentem initurum Abbatem responderunt, si opusculorum istorum facere ipsis copiam non gravaretur. Quod spectaret vero ad destinatum cum Jansenista colloquium & certamen, se ad eam, quam constitueret, diem adfuturos spoponderunt.



VII.DIA-

VII. DIALOGUS.

Eudoxus Abbatis domum adveniens, quo jam Cleander accesserat, sic eum affatus est: Non elabetur hodie nobis Jansenista noster: curavi admonendum, atque adeo nos in Bibliotheca sua præstolatur. Eamus, inquit Abbas, rhedam conscendamus: in me nihil est moræ. Liceat mihi modo nonnullas hinc auferre mecum chartas: erunt, quantum prospicio, usui. Tamen antequam digrediamur, dicite, amabo, quid hominis ille sit, quicum conferendæ mihi sunt manus. Ac miror equidem quid fuerit causæ cur illũ nobis describere tam obstinatè hactenus fugeritis, quem tanquam hostem minime contemnendum toties ostentastis.

Mitte hanc, oro, curam, inquit Eudoxus arridens. Jansenistam esse dixi; quid quæris amplius? Quod si plura tamen cupis, audies plura; non quidem ex me, de amico enim dicenti mihi non satis crederes, sed ex Cleandro, qui sæpe illum vidit cum esset mecum una, & hominem non ignorat; aperiet hic tibi candidè, ut solet, quæ de illo comperit.

Tum Cleander, Homo, inquit, mirificus est, cujus paucos pares videas; ita nonnihil archetypum & singulare præ se fert. Vis animi vivida, sermo volubilis: utrumque illi pro ingenio est. Se Jansenistam esse & dicit serio, & ab aliis existimari gaudet; sic elegantis ingenii famam aucupari posse ratus. Ante biennium priusquam

VII. DIAL. Lutetiam veniret principem gerebat Magistratum in Oppidulo N. Jam tum frequens erat *illi* per Litteras collocutio cum N. itemque cum N. quibus dum studet impensiùs, multas sibi hactenus molestias accersivit. Erat illis perjucundum quòd in ea regione talem emissarium nacti essent, ubi gratia & auctoritate pollebat. Jampridem eum inter suos Jansenistas numerum obtinet ac locum quem velites & speculatores in acie. Eundem ego sæpe navigiis illis comparavi quę in navali pugna ad incendendas hostium naves immittuntur, & quorum jactura levis est, si eorum periculo exitioque major aliqua perire navis possit. Utitur Eudoxus illo familiariter ab aliquot jam annis: Ego ab eo tantum tempore quo Lutetiam accessit. Si quod responsurus est, non omnino arridebit tibi; ipsa certè respondendi ratio, & habitus oris ac vultus non displicebit.

Hoc agitis, video, inquit Abbas, haud minus ut rideatis, quàm ut veritatem exquiratis. Nec mora conscendunt rhedam, Timantem conveniunt: hoc nomine donabitur novus ille Abbatis adversarius. Eudoxus rectà in Bibliothecam: ibi hominem offendit, salutem dat accipitque: mox, En tibi, de quo agebam heri tecum, Abbatem, Molinistam in paucis pervicacem & professum, qui non ita pridem animum induxit Jesuitas contra Litteras Provinciales tutari; hunc tibi do dedoque: hic per te magno Augustino ac bonis partibus oportet accedat: tuorum hoc operum est.

Ad hæc Timantes: Sensisti non semel, me ad ejusmodi certamina nunquam imparatum.

Da

Da modo hostem idoneum, meque non indignũ, illum, ut par est, habebo. Vix ea, cum venientibus Cleandro & Abbati obviam procurrunt. Ac Timantes: Mihi certe nihil acciderit gratius quàm afferre meam quoque symbolam ad ea colloquia quæ de Provincialibus Litteris instituisse vos ab Eudoxo cognovi. Esse te Molinistam, inquit ad Abbatem conversus, non me fugit: at esse me Jansenistam profiteor, paratumque ad vindicandas admirabiles istas Litteras, earumq; veritatem haud secus atque ipsius Evangelii, asserendam. Nihil in iis est errori, mendacio, vel imprudentiæ loci: omnia Veritas occupavit.

Hanc a vestris tribui dotem Arnaldo ut falli non posset, dudum sciebam, respondit Abbas: sed eam dotem Paschali quoque liberaliter cõcedi nesciebam. Ego Jesuitarum doctrinam ita generatim & universè tueri non aggredior. De illis itidem ac cæteris hominibus statuo: falli, errare interdum posse puto. Sed ut missa modo faciam pleraque, de quibus quid Eudoxus & Cleander sentiant, ex ipsis rescire poteris, unum modo agimus, una veniendi causa nobis fuit, ac tuæ locupletissimæ Bibliothecæ præsidium requirendi. Id agitur, inquam, vere an falso fuerit Jesuitis objectum, quod illis de amoris divini præcepto Paschalis exprobravit.

Id vero in dubium revocare, inquit Timantes, parum ex hodierno more est, Eudoxumque & Cleandrum admiror, qui te ea de re tam patienter audierint. Ibi Cleander: An ea, inquit, valeat arte Abbas ornatissimus, ut homines magicis præstigiis liberet vel fascinet, nescio; id unum

scio,

VII. DIAL. scio, perfectum ab illo fuisse ut animi erga Paschalem nostri planè sint immutati. Evolvit nobis libros Jesuitarum, fecitque ut in iis sæpe legeremus aliud penitus atque Paschalis in iisdem se legisse scribit, ac nihil propius factum est, quã ut id ab illo tẽtatum crederem in iis libris, quod in Jansenii volumine factum a Jesuitis post quinque Propositiones condemnatas, aliqui dictitarunt. Nonnulli homines, quibus istæ Propositiones in eo libro monstrabantur, cum inducere in animum sibi non possent mentitum Arnaldum fuisse qui negaret eas unquam in eodem a se visas, corruptum a Jesuitis & depravatum *Augustinum* Jansenii confirmarunt, in eumque insertas, quæ fuerant confixæ, propositiones; quibus editio primigenia, de qua diceret Arnaldus, careret. Eodem, inquam, modo vitiatos ab clarissimo Abbate Baunii, Valentiæ, Vasquesii libros, aliosque non paucos credidissem, nisi exemplaria, quibus usi sumus, è tua, magnam partem, Bibliotheca prodiissent, in qua nullis nisi lectissimis atque optimis editionibus locum esse certo scio.

Sanè, inquit Timantes, magicis incantationibus fascinatum esse oportet id qui sentiat. Quid? Paschalem in suis Provincialibus vera non dicere, ubi capita librorum, paginas, numeros, ipsas etiam editiones, distinctè, singillatim, enucleatè citat? Quid? Jesuitarum doctrinam non esse molliorem ac planè dissolutam? Quidvis depono jam, & qualibet tecum sponsione certo, si audes hoc palam Lutetiæ profiteri, nisi fortè apud nonnullos, quos Jansenismi larva territat. Quid quod ne deerunt quidem ex illis, qui se,

quan-

quantum attinet ad eam rem de qua nunc agimus, Jansenistas renunciare non dubitent; quique, demptis prioribus Litteris tribus, ubi Auctor de gratia sufficiente, potentia proxima, & Sorbonæ cœtibus jocatur; cæteras epistolas sine ulla dubitatione subscribant. VII. Dial.

Rem universè sumptam ne attingamus, intulit Eudoxus; quod cuique videtur id pertinaciter defendit. Veniamus ad aliquod singulare caput ac definitum; id agamus cujus causa nunc adsumus. An non laudas, quod de amore Dei, & caritatis divinæ causa tantopere laboramus? Cedo igitur quid ea de re secundum Paschalem contra Jesuitas pronuncies.

Epist. X.

I.

An vere Paschalis dicat Jesuitas docere amorem Dei non esse necessarium ad salutem.

Ad hæc Timantes: Contendo, inquit, Paschalis propositionem, quàm latè patet, esse veram: *Docere Jesuitas amorem Dei necessarium ad salutem non esse*. Tu vero? ait Eudoxus Abbatem respiciens.

Contendo, respondit ille, contrarium prorsus à Jesuitis doceri, idque me probaturum denuncio. Et vero, excepit Cleander, probandi onus tibi incumbit. Negat Timantes; ais tu: doce, profer Jesuitarum libros.

Longum esset, retulit Abbas, Scriptores omnes Societatis qui amorem Dei necessarium ad salutem esse disertè docent, singillatim proferre. Nihil dico de piarum Meditationum libris, Exercitationum spiritualium, Christianarum praxεων, aliorumque id genus operum sexcentorum ad pietatem spectantium, in quibus nihil æque prædicant Jesuitæ atque amorem Dei. Omitto Rodericios, San-Jurios, Haynovios, Suffrenos, Ludovicos a Ponte, cæterosque prope innume-

VII. DIAL. rabiles, quorum libri hoc singulis pene versiculis docent. Unos eorum Theologos appello, quos etiam enumerare infinitum sit: & eorum indicem legere est in edito Lovanii volumine anno 1689. quod inscribitur, *Sexaginta quinque propositiones nuper a Sanctissimo Domino nostro Innocentio XI. proscripta, a Societatis* JESU *Theologis diu ante Sanctissimi Domini decretum consensu communissimo rejecta*. Triginta ibi Theologi recensentur. Satin' vobis erit si novem decemve jam produxero, sed è primoribus, & qui tanquam Societatis oracula spectari possunt?

Satis superque erit, ait Timantes fidenter & affirmatè, si dimidiam hujus numeri partem explere potueris. Nihil Abbati erudito remitte, subjecit Eudoxus. Novi quam sit ejus certa in citandis Auctoribus fides.

Age, inquit Abbas, initium a Cardinale Bellarmino fiat: oro te, profer tomum ejus quartum. Aures arrige. Scriptura Divina non solum prædicat dilectionem esse donum Dei, sed etiam præcipit, ut diligamus Deum: at certè non præcipit ut diligamus Deum ex habitu infuso, sed ut diligamus Deum ex toto corde: leges enim de actibus dantur (nempe virtutum quas præcipiunt) non de habitibus.

Lib. 6. de grat. & lib. arbit. c. 7.

Sumpsit etiam in manus Abbas Cardinalem de Lugo, ejusque in Tractatu de Pœnitentia hæc legit. Præceptum de diligendo Deo est omnino de jure naturæ, & obligaret secluso quolibet Dei decreto, ut omnes concedunt. Enimvero, Timantes ait, Cardinales tu mihi profers, hoc est homines qui cum Societatis veste, illius quoque sen-

Disp. 7. sect. 12. n. 210.

sententias pestiferas exuerunt. VII. DIAL.

Ignoras videlicet, retulit Abbas, rationem temporum quibus quique Societatis libri sunt editi. Neque hoc admodum in te culpo: ignorare hæc tibi sanè licuerit. Nondum purpuram induerant Bellarminus ac de Lugo, cum eos, qui a me sunt memorati, libros edidere; cumque hic affirmat Theologos omnes de hoc præcepto cõsentire, inclusos prorsus in hoc numero Societatis suæ Theologos haud minus credo, quàm cæteros, volebat.

Sed, perrexit Abbas, siquidem Cardinales Jesuitas respuis, omittam Toletum, cujus testimonium laudaturus eram: in iis, qui nullum aliud nisi Jesuitæ nomen & gradum obtinent, consisto. In hac tua voluminum Theologicorum serie Suarem conspicor, & eum in quo de tribus Theologicis Virtutibus differit, tomum.

Aperuit eundem Abbas, & istas voces in Tractatu de Caritate recitavit. Dico primo, omnibus hominibus impositum esse hoc præceptum. Constat Deuteron. 6. *Diliges Dominum Deum tuum*. Et Matth. 10. & 22. *Hoc est primum & maximum mandatum*. Ratio conclusionis est, quia hujusmodi dilectio est medium necessarium ad salutem, omnia autem talia media cadunt sub præceptum. *Disp. 5. sect. 1.*

Hic interfatus Cleander in hæc erupit verba: Certè cum asseruit Paschalis negare Jesuitas amorem Dei esse necessarium ad salutem, excipere quoque Suarem debuit. Quid enim super ea re dici clarius potest, quàm id quod ex illo jam recitavi, *Hujusmodi dilectio est medium necessarium ad salutem*? Atqui, ut est illius Theolo-

VII. DIAL. logi fama & existimatio, qua audio illum pollere, non apud Jesuitas modo, verum etiam apud eos omnes qui Theologiæ dant operam; non dubito quin Jesuitæ, si daretur ipsis optio alicujus è suo corpore nominādi, quem Societatis Theologum dici vellent, hunc unum cæteris facilè anteferrent. Equidem audivi a multis Scriptorem nullum esse, cujus doctrina censeri magis possit doctrina Jesuitarum, & quàm frequentius ac lubentius amplectantur.

Ego vero, inquit Eudoxus, ut pateat etiam clarius quo in numero Theologus iste sit, præsertim in Hispania, unum addam, quod ex amico nuper audivi, qui has terras sæpe lustravit. Ajebat ille tantum ibi esse nomen Suaris, ut plerisque in Academiis citaretur a disputantibus, neque fas esset respondentibus, quibus opponeretur ejus auctoritas, eam repudiare aut refellere, sed rationem inire cogerentur qua illam cum sua doctriua conciliarent. Narrabat præterea rem non illepidam: In plurimis Hispaniæ Oppidis, prçserrim Perpiniani, cives, etiam infimos, & opifices, binas in factiones veluti esse divisos, Suaristarum unam, alteram Thomistarum; plebem in ludis publicis alterutri parti nomen dare, personare pilarum & globulorum ludos nūc Suaristarum nunc Thomistarum clamoribus, pro vario ludi successu; idque tanta contentione animorum, ut ire mutua in vulnera, & proposito capitis fortunarumque periculo, hi præmotionem physicam, illi scientiam mediam defendere non dubitarent.

Quamvis Timantes, prolatis ab erudito Abbate istis trium Jesuitarum clarissimorum locis ta-

tacitus ureretur, temperare sibi tamen haud potuit, quin Hispanum hunc morem & ingenium gentis rideret; neque in hoc diverticulo non libenter moratus paulo diutius foret. Sed Abbas eum in viam statim revocans, Cernis, inquit, ex iis quæ Cleander & Eudoxus modo narraverunt, si Jesuitę quempiam è Doctoribus suis adoptare vellent, cujus nomine se insignirent, ut Thomistæ a Divo Thoma nomen mutuati sunt, eos Molinæ Suarem facilè prælaturos. Ac sane pauci Molinam sequuntur, præ illis qui Suaris, Vasquii, Bellarmini, principia & sententias amplexantur: eoque nomine uno Molinistæ sunt, quòd contendant, & merito quidem, Molinæ doctrinam abesse procul ab errore. In ea quippe deprehendi nullus potest, nisi deformata & composito depravata, quod plerique Jesuitarum adversarii factitant, ut ipsam commodius vellicent ac refellant. Porro, quandoquidem me Molinistam, cum te primùm salutarem, vocitasti, mearum esse duco partium hoc tueri nomen, ac tibi ostendere, si Molina quoque meus audiatur, Paschalem verum non fuisse cum affirmavit a Jesuitis doceri Dei amorem necessarium ad salutem non esse. Brevi locum hunc Molinæ inventum tibi dabo. En illum: quid loquatur ausculta. VII. Dial.

Mihi persuadeo nos teneri sub culpa letali „ *Tract. 5. de*
præcepto Caritatis Dei, subvenire, ac nos oppo- „ *Just. dis. 59.*
nere, quando honor & gloria Dei & Christi peri- „ *p. 3165.*
clitarentur, id efficiendo quod profuturum ad id „
speramus, etiam cum periculo nostro. Id vero „
non tollit (inquit altera post pagina) quod de „ *Num. 7.*
Dei caritate sit peculiare aliquod præceptum, „

tan-

VII. DIAL. tanquam de re Deo debita, & tanquam de medio
» ad Deum vitamque sempiternam necessario.

Tom. III. disp. 2. de Spe & Carit. qu. 4. dub. 4. n. 62.

Sumpsit etiam Abbas in manus Tannerum, in quo hæc verba prælegit. Præceptum de diligendo Deo habet se per modum principii omnibus noti.

Idem in Valentia quæ sequuntur ostendit. „ Cum quærimus quomodo & quando præceptum „ de dilectione Dei obliget, pro certo ponimus illud extare. Id enim constat manifestè tum ex Scriptura tum ex ratione. *Et infra*. Dico primo obligare istud præceptum, ut Deum diligamus non quomodocumque, sed tanquam ultimum finem; atque adeò summè appretiativè, seu, quod idem est, super omnia, non autem summè intensivè.

To. III. disp. 3. quæst. 19. punct. 1.

Tract. III. c. 2. n. 2.

Hæc habet Laymannus super hoc argumento: „ Præceptum hoc de diligendo Deo primum ac maximum dicitur Matth. c. 22. quia est de excellentissimæ virtutis primario actu, eòque in primis necessario ad salutem.

De Sacram. c. 35. q. 6. n. 4.

Hæc Becanus docet. Præceptum diligendi Deum est duplex. 1. Generale, quod in toto Decalogo continetur, cujus obligatio est servare legem Dei. 2. Particulare, quod positivè obligat ad actum Caritatis; sive hic actus sit dilectio Dei, sive detestatio peccati, ut est offensa Dei: ex hoc ergo posteriore oritur specialis obligatio contritionis.

In Decal. lib. 2. c. 33.

Hunc in modum disserit Thomas Sanchez. „ Constat extare præceptum de dilectione Dei. Et ratio est, quia actus dilectionis Dei est ad salutem necessarius. Joann 3. *Qui non diligit manet in morte*. At de omnibus ad salutem necessariis extat præceptum.

Ibi

Ibi Eudoxus Timantem respiciens, Atqui totam, inquit, Bibliothecam tuam Abbas iste, ni caves, pervertet ac disturbabit: jam nullus tot voluminibus *in folio* locus in hoc pluteo superest. Nonne sunt isthæc satis ut revincatur Paschalis tui vel falsitas vel temeritas? Falsitas, si Auctores istos, id quod profecto debuit, inspexit; temeritas, si aliena nixus fide ac diligentia pronunciavit, *Jesuitas docere amorem Dei non esse necessarium ad salutem*. VII. Dial.

Adsunt hic eruditissimi & celeberrimi Societatis Theologi; plerique alii aut illorum dumtaxat sunt imitatores, aut eorum scripta in epitomen cogunt. Quid habes ad hæc quæ manibus, quæ oculis tenentur, quod respondeas?

Oppono istis, ait Timantes anxius æque ac stupens, enumerationem eodem loci a Paschale productam, ex qua celeberrimos Societatis in Gallia Theologos aliud sentire constat. Iesuitam a Paschale inductum audi. Hoc pacto no- „ *Epist. X.*
stri laborioso illo amandi Dei onere homines „
relevarunt: quod probè stabiliri tanti ad publi- „
ca commoda interesse putavimus, ut Annatus, „
Pinterellus, Moinius, & ipse Sirmundus, socii „
nostri, pro illa doctrina, cum oppugnata fuit, „
strenuè decertarint. Opinor, Sirmundus tanti „
est, quanti Sanchez, quanti Suarez aut Laymannus, aut alii etiam fortasse plurimi in unum collecti.

II.

Quis sit iste Sirmundus de quo mentionem epistola decima Paschalis facit.

Risum Abbas non tenuit, ubi postrema hæc Timantis audivit verba. Quid? tu, inquit, hunc Sirmundum esse percelebrem illum Sirmundum putas, qui, fremente nequicquam Jansenistarum invidia, tantum eruditos inter nomen

 famamque retinuit, non solum apud Catholicos, sed apud cæteros, cujuscumque demum sectæ factionisque sint? alius ab eo, iste de quo loquitur Paschalis, est. Sed ignoscendus tamen error tuus; hunc Paschali debes. Etenim cum appellatis Patribus Annato & Moinio, viris non obscuris, & non una dote claris, subjungitur quasi ad cumulum, crescente veluti per gradus oratione, *& ipse Sirmundus*: quis alium a magno illo Sirmundo credat appellari? Unius enim illius nomen pervulgatum est, nec tam suo nomine quam cognomine dignoscitur. Cum autem illi, de quo fit hic mentio, additur honoris causa pronomen *ipse*, qua voce plus eidem videtur quàm Annato, quàm Moinio tribui auctoritatis & famæ, quis apparet ambigendi locus, quin de germano & famoso Sirmundo fiat mentio? Da è sexcentis qui Provinciales legerint, da, inquam, sex, qui labem toti Societati & maculam inustam esse gravissimam non arbitrentur; cum objectum id criminis audiunt Sirmundo, quem clarissimum illius esse lumen & ornamentum norunt. Id scilicet cum cæteris tute credidisti, atque illum Suari, Sanchi, Laymanno, Molinæ, Cardinalibus Bellarmino & De Lugo opposuisti: ignosco. Jam rem ipsam accipe.

Is, de quo agit Paschalis, vix quicquam Sirmundi, præter nomen, habet, homo non magni ponderis, & obscuræ famæ. Nulla erit in me tamen mora quominus, si quid & ille dixerit, expendamus: ejus enim doctrina pejorem in partem trahitur, nec in eum, qui male ipsi subjicitur, sensum est accipienda. Illud antea videamus, num pro eadem defendenda Pinterellus,

lus,

lus, Annatus, & Moinius strenuè decertarint. Latet enim hic non minor amphibolia, ut hoc levissimè dicam, nec minus astuta quàm in ipso Sirmundi nomine. Habes hìc Jesuitarum Apologias contra Theologiam Moralem? inquit Abbas.

VII. DIAL. III.

Pinterellus Antonii Sirmundi opinionem de amore divino nō propugnat, ut Paschalis docet.

Cui Timantes: Nihil hic eorum desideratur quæ in utramque partem scripta sunt. In iis tamen quæ pro se scripserunt Jesuitæ, peregrinus aliquantisper, fateor, hospesque sum; parum ea legi. Inamœno sunt exarata stylo: juvat me Paschalis, ac legentem tenet. Huc adde quod lucet in eo nescio quis veri color, qui sua sponte persuadet, facitque ut respuant aures ac fastidiant farraginem illam locorum quos ad illum refutandum ejus adversarii coacervarunt.

Nempe sic optimè atque integerrimè judicatur, ait Abbas ridens, cum altera tantum pars litigantium auditur. Vix ea; sumit librum qui Patri Pinterello vulgo tribuitur, hoc notatum titulo: *Impostura & errata libelli qui inscribitur, Theologia Moralis Jesuitarum, per Abbatem du Boisic*. Legit locum a Paschale laudatum, in quo Auctor aliud nihil agit, nisi propugnat hæc Tridentini Concilii verba: Attritionem quæ ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponere. Ibi ostendit Pinterellus eorum opinionem qui attritionem cum Sacramento ad conferendam gratiam sufficere censent, Theologis ferè omnibus placere, præsertim post Concilium Triden-

2. par. p. 52. 53.

Sess. 14. c. 4.

VII. DIAL. tinum: & quamvis opinionem contrariam isti Theologi hæreseos nota minimè afficiant, a plerisque tamen ut temerariam notari; adeo disertis expressa verbis Concilii super ea re sententia videtur esse. Hoc amplius. Sorbonæ censuram citat anno 1638. editam, qua idem planè affirmatur. In hoc Pinterelli scripto ne vox una quidem apparet, quæ amorem Dei ad salutem necessarium non esse significet. Quonam igitur pacto, quas bonæ fidei secutus leges Paschalis hunc Theologum iis annumerare audet, qui opinionem hanc tuentur, cujus auctorem Sirmundum facit, *Amorem Dei non esse necessarium ad salutem*? Ergone cum Theologis Catholicis Concilii Tridentini de attritione doctrinam propugnare nemo potest, quin vocetur in suspicionem opinionis nefariæ bellum divinæ Caritati sceleratum indicentis?

Atqui, excepit Timantes, a tuo Jesuita, quemadmodum ejus voces Paschalis refert, amoris Dei onus difficile ac molestum appellatur.

Nihil in vocibus immutandum, Abbas retulit. En illas, ut ab ipso Paschale recitantur. *Æquitati consentaneum igitur fuit, illud durum & difficile ad obtinendam justificationem perfectæ contritionis, id est, caritatis actus preceptum resolvi: æquum, inquam, fuit institui Sacramenta quæ defectum illius supplerent, nec tam arduam animi affectionem requirerent*. Si perfectæ contritionis legem gravem ac difficilem esse dixit, utique dixit auctoribus ac ducibus Theologis propè innumeris; ac verissimè dixit, quo illud nimirum sensu tot eruditissimi viri dixere. Perfectæ contritionis actus, divini amoris purissimi

actum

actum includens, Christianæ virtutis actus heroicus est, illi amori, quo nos propriè ac perperam diligimus, planè oppositus, cujus excludit extinguitque motus omnes, etiam eos qui videntur esse maximè legitimi. Extrahendus per hunc scilicet actum è peccati cœno est homo perditus ac nequam; perfringendæ hoc impetu ejus catenæ, ac ferrea voluntas illa, ut Augustinus loquitur, qua constrictus sceleri suo adhærescit. Ad actum hunc opus est gratia è potentissimis una, quæ in misericordiæ divinæ thesauris delitescāt. Quid plura? Tantum habet actus iste difficultatis, adeò cum naturæ corruptæ illecebris pugnat, ut paucis illum Theologia Portus-Regii concedat; eaque fuerit causa vel potissima cur olim ibidem tot homines, qui ad pœnitentiæ remedium confugiebant, a Sacra Mensa repellerentur annos totos, etiam in ipso Paschate, quicquid Ecclesiastica lex contra præciperet. Tantæ molis est actum hunc elicere! VII. DIAL.

Quis igitur in dubium vocare potest, si modo stet hoc, nempe attritionem ad redeundum cum Deo in gratiam sufficere cum Sacramento; quis, inquam, dubitet, quin beneficium sit Novo Testamento præcipuè concessum, ac debitum Christi Sanguini pro nobis fuso, & per Pœnitentiæ Sacramentum peccantibus adhibito, privilegium? Siquidem hoc pacto faciliùs cum Deo in gratiam redimus quàm ii qui veteris jugo Legis premebantur. Quorsum igitur pertinuit exclamare tam tragicè, ut Paschalis hic vociferatur: *Ah! mi pater, nulla tanta patientia est, quam non exhaurias! nec ista flagitia audiri sine horrore possunt.* Secundum hæc verba sequitur be-

VII.Dial. ne longa concio novis imposturis & calumniis referta; in qua Sacræ Scripturæ loci de divina Caritate ad fraternam & Christianam Caritatem vulnerandam ac diris modis concidendam adhibentur.

Legere perrexerunt, quæ hoc de argumento Pinterellus scribit, quicquid item habent Annati & Moinii Apologiæ.

Eò recidunt omnia non ut sententia Sirmundi, qualis illi tribuitur, propugnetur, sed ut defendatur ipse, demonstreturque mentem ejus aliorsum, atque senserit, ab adversariis fuisse acceptam, nihilque in ejus verbis inesse durius, quàm quod in aliis plerisque Doctoribus Catholicis legitur, quos in jus vocare nemini hactenus in mentem venit.

Timantem urebant ista & implicabant eò magis quò longius procedebat sermo. Evagatus ultro citroque, sed extra chorum, ut ajunt, tandem duriusculè Abbatem cõpellat; &, Quousque nos, inquit, anxios tenes? an dubitas hunc mihi saltem Sirmundum dedere? Cui Abbas: An tecum postea sim de deditione acturus, & qua lege, videro: sed illum ipsum quem tibi permitti postulas, an retinere possim ac tueri, cogito.

Parum hoc interest certe nostra, inquit Cleander: neque id scire aut agitare magnopere laboramus. Patimur ego & Eudoxus quietos esse hujus optimi Patris manes, ante annos, ut apparet, amplius quinquaginta demortui. Quid quod Jesuitarum doctrinæ, & famæ, quæ tibi haud paulò plus quàm nobis omnibus videtur esse cordi, satis consultum est tot Scriptorum Socie-

ta-

tatis, quæ modo eam in rem laudasti, testimoniis. Iste privatus, ut cum Patre Moinio poeticum in morem loquar, neque Gigas fuit, neque Geryon aliquis tricorpor, cujus libello & auctoritati tantum tribueretur, ut de omnibus idcirco pronunciaretur Jesuitis: *Eo usque devenerunt impietatis, ut de interiori Divini Amoris actu consilium dumtaxat esse, non præceptum contenderent.*

VII. Dial. *Manifeste Apologetique pour la doctrine des Jesuites. Theol. Moral.*

Vera narratis, subjecit Abbas: sed paulò vobis pertinacior est hic Timantes: aliis ad ratiocinandum principiis, quàm vos, utitur. Faciam illi modo satis.

Imo excepit Timantes, vis argutari; veritatem malis captionibus ac tendiculis implicare tentas.

Ad hæc Abbas: Nequaquam hercle: id ago unum ut lucem aliquam rebus per se implicatis & obscuris afferam. Non semel animadverti Paschalis artificium in eo versari vel maximè, ut noctem ac tenebras offunderet, ut è minutis dicendo faceret magna: quæ Wendrokio deinde cum tradidisset, ille mentis impetum ad rerum imagines producendas, ut perhibent, vivide & prompte secutus, fabricabatur sibi ex iisdem spectra immania, & in ea styli mucronem gladiatorio furore distringebat; quo abreptus æstu in solœcismos interdum offendebat præceps, quibus inquinantur Latinæ locutiones aliquot locis ab eo non malè consarcinatæ, ob quas apud genuinæ latinitatis ignaros Cicero suarum partium habitus est.

IV. *Latina VVendrokii interpretatio mendosa multis in locis.*

Papæ! Solœcismos tu mihi in Wendrokio? retulit Timantes excandescens, istæ quidem Je-

VII. DIAL. suitarum calumniæ sunt. Plus, mihi crede, latinitatis & elegantiæ est in ejus notis ac interpretatione, quàm in Petavio, Sirmundo, Maffejo, cæterisque ipsorum Scriptoribus in unum liquatis.

Timantem interpellans Eudoxus, Non agitur, ait, de Wendrokii solœcismis: etsi nuper ab erudito Abbate monstrati mihi sunt in eo nonnulli qui me fefellerant; qui te, credo, etiam fugerint: sed hoc aliàs. Nunc id quæritur, Abbas ornatissime, ut super ea re quæ venit in controversiam, Timanti, si potes, satisfacias.

Ego vero, excepit ille, & lubens. Ad institutum ergo regrediamur, & Provincialis decimæ locum repetamus. Legit eundem ipse.

„ Sivi ut liberè has omnes ineptias effutiret, „ quibus humana mens divinam Caritatem tam „ indignis modis ludificatur. Ille autem, At no„ster, inquit, Antonius Sirmundus mirum in hoc „ argumento quàm triumphet, in eximio illo li„bello, quem *Virtutis defensionem* inscripsit; ubi „ Gallis Gallicè loquitur, ut ipse monet in præfa„tione. Sic disserit Tom. 2. sect. 1. pag. 12. 13. 14. „ &c. *Diligendi Dei præcepto homines obligari af„firmat Sanctus Thomas statim ab usu rationis.* „ *Hui! tam cito? Scotus, singulis Dominicis: Qua* „ *ratione fretus? Alii cum urget gravis tentatio:* „ *Recte, si non esset alia via effugiendæ tentationis.* „ *Sotus, post acceptum aliquod à Deo beneficium:* „ *Sanè, ad memorem animum significandum. Qui„dam, in mortis articulo: Nimis serum est. Ne* „ *illam quidem obligationem urgere putem, quoties* „ *Sacramentum aliquod usurpatur: sufficit enim* „ *attritio cum confessione, si commodè fieri possit.*

Sua-

Suarez, quandoque nos obligari censet : at quando? Tuum, inquit, esto judicium: ipse, quodnam »
tempus definiat, nescit. Quod autem ille nescivit, nescio quis sciat. Postremo ex iis omnibus »
efficit Sirmundus nemini aliam esse obligationem impositam, si strictè rem accipiamus, quàm »
ut cætera impleat præcepta, etsi nullo in Deum »
affectu figatur, nec voluntatem suam ad ipsum »
convertat; dummodo non oderit. Hoc exequitur toto tractatu 2. Legerat isthæc Abbas, cum »
Timantem repentè adortus: Theologus es, opinor, inquit?

Non sum, subjecit Timantes: nec Theologus Paschalis erat: nihilo segnius tamen, nihilo deterius de istis morum controversiis disputavit ac ratiocinatus est, quas dijudicare quilibet potest qui sensus communis expers non sit.

Est ubi aliud quidpiam requiratur, inquit Abbas: nec, nisi Theologica quædam delibem, satisfacere tibi modo possum. Da mihi hanc, oro, veniam: non est longum.

Ac primò quidem nemo Theologus negavit unquam extare præceptum aliquod de diligendo Deo, quod implere necessarium ad salutem foret. Sed quia, ut rem explicarent, varia præceptorum genera distinxere Doctores, evenit ut in quibusdam inter se dissiderent.

V.

Præceptum Caritatis quomodo dicatur a Theologis generale & speciale; affirmativum & negativum, &c.

Præceptum hoc affirmant simul generale & singulare esse. Generalis præcepti rationem habet, quia impleri, quàm latè patet, non potest, quin cætera impleantur præcepta; quorum violari vel unum nequit, nisi violata & extincta, quæ nos devincire Deo debet, Caritate. Spectatur ut præceptum singulare seu speciale, quia pro-

priæ

VII. Dial. priæ cujusdam ac privatæ virtutis actus præcipit, nempe amoris; quorum natura diversa penitus est ab actibus aliarum virtutum, quibus alia præcepta observantur.

Secundo, præceptum hoc Caritatis negatiuum est, & affirmativum, ut loquuntur. Negativum præceptum dicitur, quatenus aliquid vetat; affirmativum, quatenus aliquid fieri jubet. Ita divini amoris præceptum negativum est, quà vetat odium summi boni: idque non tantum de odio ipso *formali* est intelligēdum, quod nullius ferè nisi Diaboli peccatum est; verum etiam de alio quolibet peccato: cùm in quolibet abalienatio & recessus a Deo includatur. Affirmativum est, quà certis in locis ac temporibus elici a nobis actus divini amoris jubet: exempli causa, imminente morte, aut illucescente primum ratione, cum infantiam ingressi nos respicere incipimus, ac Deum tanquam ultimum finem, monstrante ratione, cognoscere.

Præterea Theologi docent obligationem oriri ex aliquo præcepto, vel *per se*, vel *per accidens*: ipsis eorum verbis utor. Obligat *per se*, cum vi sua, nullo alio præcepto intercedente, ejus, quam respicit, virtutis actum præcipit. Ita per se obligat præceptum Caritatis, cum nullius alterius præcepti habita ratione, amoris divini actus ut eliciam, imperat. Obligat præceptum *per accidens*, cum obeundum est mihi aliquod officium, aut propulsanda tentatio; quorum neutrum fieri potest, nisi exercendo actum ab hoc præcepto imperatum. Ita si tempus incidat quo teneat Pœnitentiæ præcepto ad actum perfectæ contritionis producendum; tunc obligat me

præ-

præceptum Caritatis *per accidens*. Cum enim aliud nihil ſit contritio, quàm deteſtatio peccati propter Deum ſummè dilectum, ſatisfacere non poſſum præcepto Pœnitentiæ, niſi actum divini amoris eliciam. VII. Dial.

Paucis omnia complector. Conſtat inter omnes Theologos eſſe præceptum amandi Dei: hoc præceptum eſſe negativum, quia vetat offendi Deum quocumque pacto: eſſe item affirmativum, quia obeũda certa nobis imponit officia. Rurſus præceptum hoc generale eſſe, quia ad alia quoque omnia præcepta implenda pertinet; nec non eſſe ſpeciale, quod obliget ſaltem *per accidens*; verbi gratia, ſi elicienda, ut dixi, contritio ſit; & aliis quibuſdam in locis. De his, inquam, omnibus convenit inter Theologos, neque iis non aſſentitur Sirmundus in toto, de quo nunc agitur, tractatu. Itaque id in eo non reprehenditur, ſed aliud quidpiam: quod quidem illi ſic objicitur, ut ſileatur hæc omnia docuiſſe cum cæteris Theologis quæ ſatis ſuperque forent ad leniendam, qua ipsius doctrina premitur, invidiam. Hoc unum igitur quæri nunc poteſt, quantum attinet ad hunc propriè Theologum; utrum ſcilicet, iis admiſſis ac poſitis de quibus inter omnes convenit, hoc præceptum, ut ſpeciale & affirmativum eſt, obliget nos prætereà non tantum *per accidens*, verum etiam *per ſe*, ad actus amoris exercendos; quibus, verbi cauſa, quiſpiam Deum ſic alloquatur: *Amo te, mi Deus, ex animo*.

VI. *Explicatur Sirmundi doctrina de amore divino.*

Reſpondet Sirmundus, præcipi a Deo tum amorem, quem *affectivum* appellat, tum illum quem vocat *effectivum* & in agendo poſitum, qui in *Pag. 21.*

VII. DIAL. in eo cõsistit, ut ejus mandatis sedulò mos geratur: at præceptum amoris affectivi benignitatis quodammodo præceptum esse ac lenitatis, quo teneri nos Deus proposita sempiterni exitii pœna nolit. Quis enim pater, inquit, filiis præcipiat in hunc modum: Amate me: ni facitis, vos male perdam? Contra vero effectivi amoris & executionis præceptum, severitatis esse; quippe cui nisi pareamus, sempiterna nos pœna manet.

Pag. 29.

Nonnihil argutum hoc & subtile est, inquit Eudoxus. Imò nimis subtile, subjunxit Abbas: ac si hæc nostra Timanti censura satisfaceret, brevi decisam litem & compositam haberemus.

Ego vero, exclamat Timantes, censeo ridiculum hoc esse, absurdum, execrandum: convelli hac propositione morum omnem doctrinam, & pessumdari.

At tu, reposuit Abbas, mitte hæc verborum portenta: projice hyperbolas istas & ampullas. Valent dumtaxat ad perstringendam eorum aciem, qui nihil reputant secum, & introspiciunt. Res ipsas propius intueamur. Censen' Christianorum vulgus vehementer esse solicitum quo pacto amorem hunc affectivum exerceat, eaque difficultate in via salutis retardari? Nullatenus profectò. Hoc opus, hic labor est, ut amorem illum exerceant qui a Sirmundo *effectivus* nuncupatur; cujus ope Dei mandatis diligenter obsequuntur. Hic ille amor est, cui reluctatur amor nostri pravus, quo cupiditas invita perdomatur. Contra vero, fac nullum extare de amore *affectivo* præceptum, stare vero & vigere præceptum amoris *effectivi*; orbem tibi emen-

emendatum dabo. Nihil relinquetur injustitię, VII.DIAL.
invidiæ, pravæ æmulationi, dissidiis, impudicitię, libidinibus, loci: abscedent illæ pestes procul, ac æternum exulabunt. Eodem enim isthæc recidunt tria; orbem purgari vitiis; amorem effectivum exerceri; & præceptum, quo imperatur is amor, impleri. Esto igitur, sit hæc doctrina Sirmundi falsa; subtiliter nimis, & absurdè, si lubet, hanc distinctionem amoris utriusque commentus sit. Falluntur nihilominus, & vana objiciunt hominibus terricula, qui hac doctrina mores corrumpi, solvi disciplinam, & instituta sanctissima convelli clamitant.

Rem ipsam minutatim, quæso, consideremus, & exemplum ponamus è Sirmundi principiis ductum. Aliquis Dei mandata sedulo exequitur, sive impulsus illo salutari, pio, supra naturæ vires posito, metu, de quo Tridentina Synodus meminit, quem Spiritus Sancti donum esse, contra Lutherum pronunciat; sive incitatus ab aliqua alia virtute, quæ sit a Caritate diversa. Homo, verbi gratia, Christianus rei divinæ interest cum singulari pietatis sensu diebus Festis ac Dominicis; idque studio Religionis eum jubentis coli qui propter infinitam naturæ suæ dignitatem & excellentiam, rerum omnium, quātum est uspiam, obsequia, cultum, & venerationem promeretur. Eandem ob causam ad epulum Eucharisticum sæpe accedit, cùm ipsi persuasum sit ex hoc facto, propter mactatam in sanctissimo Sacrificio victimam, honorem infinitum in Deum redundare. Ejusdem virtutis studio temperat a contumeliosis in Superos aut homines vocibus; versatur in sacris ædibus insi-
gni

VII.DIAL. gni cum modestia; honorem parentibus adhibet, quos Dei locum reputat obtinere; Præpositis suis subjicit sese, dictoque audiens in omnibus est, obsequi se Deo sic ratus; adducitur misericordia, ut egentium sublevet inopiam; odio carnis & cupiditatum, nec non obedientia Ecclesiasticis legibus debita, ut jejunio corpus maceret; denique modo hac, modo illa piè impulsus causa, peccato se abstinet: aut, si quid peccat, ad delictum in Sacramento Pœnitentiæ detestandum aliqua una earum, de quibus diximus, virtute permovetur, & ad Deum confestim redit. Hæc dum præstat, Caritatis præceptum negativum ac simul amoris *effectivi* præceptum implet.

Quæritur, num qui vitam sic institueret, nec tamen actum ullum expressum ac *formalem* divini amoris ederet, is violaret præceptum Caritatis, ac letali se culpa obstringeret? Id Sirmundus unum quærit.

Non id penitus unum, ait Timantes: circumstãtiam, quæ ad rem una maximè pertinet, omittis, & quam Paschalis observavit: vel potius addis alias quibus exitialis hujus doctrinæ labes occultatur. Nimirum id Sirmundus contendit, ejusmodi hominem divinis mandatis obtemperare *sine ullo erga Deum affectu*; atque adeò legem ab eo servari, Judæi ritu & more, non Christiani. Ausculta Paschalem.

„ Ex his omnibus efficit Sirmundus, *Qui nullo in*
„ *Deum affectu feratur*, nec voluntatem suam ad
„ ipsum convertat, dummodo nõ oderit, & cæteris
„ mandatis obsequatur, eum legi divinæ satisface-
„ re; quod satis est ut culpa vacet. Hoc secundo
„ Tractatu toto probat. Has voces nota, quæso,

Qui

Qui nullo affectu in Deum feratur. VII. DIAL.

Ego vero illas probè notavi, excepit Abbas, simulque insignem in illis imposturam contineri vidi. En tibi librum: ostende ubi scriptæ in eo sint. Huc te provoco. Evolve paginas 16. 19. 24. 28. à Paschale laudatas: in iis hæc verba si deprehendis, nihil causæ dico, quin mihi nomen impostoris, quod illi modò dedi, meritissimò tribuas. Sirmundus in hac tota quæstione, in qua affectivum amorem opponit amori effectivo, nihil excludit ab effectivo amore, præter affectum aut rationem puræ Caritatis, cum hominem alterius virtutis alicujus impulsu moveri vult. Id præcipuè in hoc Tractatu spectat, ut examinet, *An liceat metu, spe, aut alio quàm puri amoris divini affectu, ad agendum impelli:* quod ipse in præfatione monet, atque id legenti brevem hunc Tractatum, aut partim, aut omnem, adeò clarè patet, nulla ut dubitatio relinquatur. Sed ipsummet audire juvat.

Recitavit Abbas ejus paginam 22. Qui se di- „
vino illo succensum igne non sentit, & officii ta- „
men sui numeros omnes aliqua pia ratione per- „
motus ita implet (istas vicissim observa, quæso, „
voces, *Aliqua pia ratione permotus*) ut nullum „
habeat in voluntate affectum, cogitationem nul- „
lam in mente, nullam in sese facultatem, quam „
non exequendæ Numinis voluntati devoveat, „
ubi ejus gratiæ amittendæ periculum imminet; „
qui rationem ducem ita sequitur, ut ab ea regu- „
la in re quapiam gravioris momenti non disce- „
dat: is, inquam, primum & maximum illud man- „
datum strictè servat: &, quod necesse est suffi- „
citque ad salutem, præstat. „

Fal-

VII.DIAL. Falsò itaque, perrexit Abbas, asseritur Auctorem hunc satis habere si Christianus Judaico more servet legem, & externum, quod præcipitur, opus impleat, nullo voluntatis affectu: siquidem pia nos aliqua ratione moveri vult, cujus vis tanta sit, ut primas Deo semper concedamus. Age enim, quæ subjungit etiam accipe. Ita ut
„ illi nihil æquiparemus, neque inter ejus ac rei
„ creatæ obsequium fluctuemus, ultro dubitantes
„ incertique utri nos addicamus: multò verò mi-
„ nus ipsi rem anteponamus ullam, & ab ejus vo-
„ luntate nos abduci patiamur.

Ad hæc Timantes: Bellissimè rem totam, inquit, explicuisti: atque utinam hæc planè Sirmũdi tui mens fuerit. Ut ut est, hanccine doctrinam tueris totam, & singula, quæ complectitur, propugnas?

Neutiquam id volui, respondit Abbas. Sto ab illa Jesuitarum turba quos laudavi tibi, & contrà sentire demonstravi. Cum illis censeo imponi penitus nobis a Caritatis præcepto per se sumpto necessitatem eliciendi reipsa identidem divini amoris *formales* actus, ut loquuntur ipsi, distinctosque ab actibus obedientiæ, metus, religionis; & ejus, quem Sirmundus narrat, amoris effectivi. Sed licet interdum Auctorem defendere, tametsi doctrinam Auctoris non defendas, uti jam dixi. Hoc etiam addi putem posse ad eum purgandum & tutandum.

Primum, id princeps non dixit: complures Theologi antea sic erant locuti. An penes te hic est, inquit Abbas Timantem compellans, liber Doctoris Lovaniensis, cui nomen *Dubois*, Regii Sacræ Scripturæ in Academia illa Profes-

so-

soris, de propositionibus ad mores pertinentibus, Alexandri VII. censura notatis anno 1665. & 1666. VII. Dial.

Est, ait Timantes: nihil exit illic ejus generis, quod mihi non perferatur, Doctorum Theologicæ Facultatis nonnullorum opera, quibus amicis utor. En illum tibi.

Videtur iste mihi Scriptor homo sincerus & candidus, inquit Abbas. Quam ego & tu improbamus opinionem, ille similiter aversatur & refellit. Ante tamen quàm eandem refutet, vide quam multos recenseat, a quibus traditam fuisse docet. Bannem ejus defensorem nominat, insignem illũ Dominicanæ Familiæ Theologum; Cardinalem Cajetanum, ejusdem Ordinis alumnum; Marchantium; Joannem Sanchez, (quem cave cum Jesuita ejusdem nominis confundas) Jansenium Gandavensem Episcopum, Molanum Doctorem Lovaniensem. Erant illi omnes ob eruditionem, dignitatem, gradum, adversarii longè illustriores, & Paschale digniores, quàm Antonius iste Sirmundus. Sed hostes ille sibi ex una Societate quærebat.

VII. *Quam iniquè cum Jesuitis agant adversarii.*

Nudiustertius non nemo ita mecum agebat; quod in mentem Jesuitis venire ex re ipsorum foret. Vides, inquiebat, ut triumphent Jansenistæ, seque contra omnes adversariorum petitiones tutos, adversus omnia Ecclesiæ fulmina præclare munitos arbitrentur, si quem eruere Thomistam potuerint, cujus locutiones in Gratiæ negotio ad ipsorum loquendi modum accedant: etsi revera Thomisticam Scholam planè derideant; cujus doctrinam *ineptam*, cum animi sui sensa inter se familiariter aperiunt, dictitare

VII. Dial. non cunctantur, putátque, auctore Jansenio suo, ab Augustini mente ac systemate longo intervallo disjunctam. Cur ergo ad omni liberandum culpa, vel excusandum saltem Jesuitam, nõ erit satis, si proferre possit, ut in hac Sirmundi causa licet, Doctores celeberrimos, Cardinales & Præsules, quos ad hunc honoris gradum nihil præter eximiam probitatem & scientiam evexit? Alius nescio quis Scriptor, mihi non cognitus, qui Florimundi Plessæi nomen sibi adscivit, pro Sirmundo citat veterum Theologorum clarissimos, Antoninum, Sylvestrum, Almainum Parisiensem Doctorem, Tostatum, Gersonem, aliosque plurimos, quorum verba Sirmundianis omnino congruunt.

Deinde ad hanc opinionem ideò tantum hic Jesuita proclivior est visus, quòd in ea esse Divũ Thomam existimaret. Ipsum consulamus pag. „ 15. Videtur, inquit, negare Divus Thomas 2. 2. „ q. 44. art. 6. ad 2. ac satis habere, ad vitandam æ- „ terni supplicii pœnam, ut nihil cæteroqui contra „ sacram Caritatis legem faciamus.

Hic Timantes: Docuit enimvero Wendrokius, quam graviter Sirmundus esset hallucinatus, qui doctrinæ hujus auctorem Divum Thomam faceret.

Tum Abbas: Nusquam Wendrokium alibi magis quàm hoc loco blateronem, & inanes auras disputatione futili verberantem, perspexi. Quisquis probè intellexerit, in quo tota vertatur quæstio, quid doceant de Caritatis præcepto Theologi, quæ vobis ego exposui cum cura; is facilè cognoscet concedi a Sirmundo impunè posse quæcumque contra illum fermè Wendro-

kius

*k*ius è Divo Thoma citat neque ex iis effici Sanctum Thomam in alia quàm Sirmundum fuisse sententia. Sed hoc in præsentia nequaquam indagamus. Mentem Divi Thomæ rectè an secus hìc auctor acceperit; verè an falsò ratiocinatus super ea re fuerit Wendro*k*ius; manet hoc tamen & constat ducem extitisse Sirmundo Divum Thomam, quem ille, perperam fortasse, putaret sibi præivisse. Neque illud verum non est, ex eo, quo mentem suam Divus Thomas exprimit, modo, datam Sirmundo ansam, cur ita putaret, fuisse. Ipsius Divi Thomæ locum, quo nititur, adeamus, ait Cleander: quatenus venia ipsius hallucinationi danda sit, hinc intelligemus. VII.Dial.

VIII. *D. Thomæ locus de amore Divino.*

Inspectus illico Divus Thomas, quo illum loco Sirmundus laudat. Quærit ibi Angelicus Doctor, utrum hac in vita impleri præceptum amoris divini possit. Præter varias, quas proponit sibi difficultates, hanc etiam objicit. „Quicumque non implet præceptum, peccat mortaliter: si ergo hoc præceptum non potest in via servari, sequetur quod nullus possit esse in vita ista sine peccato mortali. Posteaquam explicuit quo sensu possit hoc præceptum in hac vita impleri, quo non possit; objectæ difficultati sic respondet. „Dicendum quod sicut miles qui legitimè pugnat, licet non vincat, non inculpatur, nec pœnam meretur; ita etiam qui in via hoc præceptum non implet, nihil contra divinam dilectionem agens, non peccat mortaliter. Hic locus, inquit Cleander, si potuit Sirmundum in fraudem inducere, alium etiam potuit. *2.2.q.44. ar.6.ad 2*

Nihilominus, excepit Abbas, sic existimo, Sir-

VII.DIAL. mundum eò loci sententiam Divi Thomæ assecutum non fuisse. Cæterùm vel ipsa, quam subjecit huic quæstioni Pater ille optimus, clausula veniam eidem exoraret; quamvis primus omnium id docuisset, quod tam multi antea tradiderunt. Ita hunc articulum claudit: No-
Pag. 29.
„ strum est ejus paterna bonitate non abuti, amo-
„ re adversus illum duci, nulla commodi nostri
„ habita ratione; quo pacto filii patrem colere so-
„ lent, ex animo, quantum & quamprimum fas
„ est. Etsi enim, quod animadverti velim, Deus
„ pro sua singulari benignitate posset nos libera-
„ li & ingenuo illo, qui filios decet, metu ad felici-
„ tatem sempiternam perducere; cujus metus be-
„ neficio ad percipiendos Sacramentorum fructus
„ nos compararet; tamen, quemadmodum hæc
„ agendi ratio minus illi accepta est, sic minus est
„ usitata, minus diuturna, & fraudi etiam atque
„ errori magis opportuna... *Qui habet manda-*
„ *ta mea & servat ea, ille est qui diligit me*, inquit
„ Deus: diligit opere, quantum stricta lex postulat,
„ ac citra culpam. Verum addit idem Deus: *Qui*
„ *non diligit me, sermonem meum non servat.* Non
„ servat, inquam, profecto diu. Quocirca San-
„ ctus Antonius nullum telis omnibus Tartari
„ munimen & scutum opponi certius posse dice-
„ bat, quam amorem Christi. Cætera munimen-
„ ta brevi evertuntur & corruunt.

Quæro jam ego, subjunxit Abbas, qui sic loquatur, an is divinum amorem è Christianorum animis evellere & exterminare dicendus sit?

Ad me quod attinet, ait Eudoxus, clementiæ partes amplector: itaque censeo, si Wendrokii altera editio in lucem prodierit, mutandam esse

ter-

tertiæ Notæ inscriptionem : *Antonii Sirmundi adversus hoc præceptum intolerandi errores proponuntur*. Sufficit hoc appellare hallucinationem, Theologicam argutationem, atque, ut Abbas eruditus nominavit, præposteram subtilitatem in pietatis opusculum non sat prudenter illigatam. Poterat Sirmundus absque hujus alienæ distinctionis præsidio tueri, uti fecit, Tridentini Concilii doctrinam contra illos qui docere ausi sunt actionem omnem, quæ propter Deum perfectè dilectum non fiat, peccatum esse. VII. DIAL.

IX.

Quare Jesuitarum adversarii litem de caritatis actu moverint.

Quod antea sum pollicitus, non muto, retulit Abbas. Hanc spem vobis ostenderam fore ut convenirem ultro in deditionis leges, ubi meamque arcemque meam aliquandiu tutatus armis essem. Videor id mihi non segniter præstitisse. Atque adeò mora in me ulla non erit quin addam aliquid : modo Timantes pro sua parte candorem hunc imitari meum & æquitatem velit.

Videndum prius, inquit Timantes, quas deditionis istius proponas leges.

Fatebor, ait Abbas, hanc Sirmundi distinctionem, qui præcepto stricto & severiori amorem *effectivum* imperari doceat, benigniori autem præcepto amorem *affectivum* juberi, esse commentitiam aliquatenus. Qui enim præceptum impositum hic dicit, is dicit aliquid oppositum consilio, ac proinde præceptum strictè sumptũ. Concedam illud quoque, doctrinam hanc a suo contextu avulsam, in quo valdè mitigatur, durum habere nonnihil, & merito rejiciendum: neque Divi Thomæ, qua se tuetur, auctoritatem, aut Cajetani, aut Jansenii Gandavensis, aliorumve, tanti esse, ut approbanda idcirco videatur.

 Di-

VII.DIAL. Dicis aliquid, ait Timantes: at quid vicissim concedi postulas tibi? Hoc unum, respondit Abbas, ut quandoquidem Theologi Societatis, quorum tibi principes bene multos produxi, aliter & senserunt & locuti sunt atque Antonius Sirmundus; deinceps ne dixeris, *Jesuitas docere amorem Dei non esse necessarium ad salutem*, neve hanc Societatis doctrinam appelles.

Hui! magnum petis, reponit Timantes; neque hoc tibi possum annuere, nisi consultis prius nostris, qui hoc mordicus tenent; & quorum apud me major est auctoritas, quàm ut ab iis velim eorumque usitata loquendi ratione desciscere.

Quoniam igitur, inquit Abbas, sine istis quidpiam statuere nefas ducis, optimè feceris, cum eosdem consules, si illis renunciaveris, nonnihil offendi homines tot locorum depravatione, ac doctrina Paschalis in hac decima epistola; qui cum doctrinam Societatis, vel potius celeberrimorum Theologorum de attritione, oppugnare simulet, non modo illam sic proponit, ut nihil in ea Jesuitæ agnoscant suum; verum etiam satis indicat se occasionem inde captare nonnulla, quæ fuerunt a Tridentino definita, labefactandi: duas istas propositiones, *Attritio sufficit cum Sacramento, Actus amoris Dei non est ad salutem necessarius*, nullo inter se vinculo, ut jactatur, jūctas esse: Jesuitas, qui primam defendant, astipulantibus sexcentis Theologis, utpote consentaneam doctrinæ Concilii Tridentini, alteram simul repudiare: ex altera nihil deduci debere aut posse quod alteri faveat noceatve, ne in certis quidem rebus & materiis, quæ viderentur alicui

for-

fortasse spectandæ separatim & a quæstione universim considerata secernendæ: facilè rationem ipsis reddi posse, illius diversitatis, quā reperire est inter Theologorum systemata, de tempore, quo tenemur ad eliciendum actum interiorem & *formalem* amoris Dei; sed ea lege ut suam vicissim ipsorum adversarii proponant hypothesim, &, quid super eo negotio sentiant, dilucidè fateantur ; ut ad veræ solidæque Theologiæ principia & regulas exigatur. . . .

Provinciam das Timanti arduam & difficilem, interpellat Eudoxus. Mittamus, obsecro, isthæc omnia persequi articulatim ; & ad sanciendum fœdus, ac pacem potius faciendam, sed veram, perpetuam, integramque, convertamur. Pacis caput hoc esto, quod vobis mirum videbitur : sed audite quas conditiones adjiciam. Coeamus, inquam, omnes in eandem factionem & turbam; idem studeamus, idem sentiamus. Jesuitarum commodis gloriæque totus adhuc deditus Abbas eruditus fuit : tu, Timantes, in Jansanistarum jurasti verba : ego & Cleander medii quodammodo, & neutri addicti fuimus parti. Durum est amicos ita dissociatos esse ac divulsos. Quamcumque amplectemur partem, ea ultro nos libenter accipiet. Apponerent lucro Jesuitæ amicum & suarum defensorem partium strenuum, vehementem, confidentem, qualis hic Timantes est. Quod si Abbas ornatissimus Jansenistis adjungeret sese, non levem illi profectò ad bonas partes factam esse accessionem existimarent.

Hoc statuere, quod proponis, non levis momenti & consilii est, interpellat Timantes; opus

VII. DIAL. deliberato. Sed, age, conditiones audiamus. Nihil in iis eſt, retulit Eudoxus, nisi juſtum ac legitimum: iis, quæ tua eſt æquitas, ultro aſſentieris; nec eas, ſpero, Abbas clariſſimus aut Cleander improbabit. Non id agitur ut expendatur jure an injuria contendant ambæ partes, & litem adverſariis inferant: non ut singillatim excutiantur varia doctrinæ capita quæ vocantur in controverſiam. Deponamus opiniones præceptas animis, quibus utrique cauſam firmari ſuã putant. Adhibeatur a nobis una modo ad judicandum regula, sinceritas & bona fides.

Perplacet, exclamat continuò Timantes: ſcis ea me præ cæteris laude capi. Hac parte, fateor, una facillimè vinci poſſum. Sed hoc latè patet; meque, ut ſum comparatus, nonnisi ægrè ad ſe reducerent ea via Jeſuitæ: multis apologiis ac defensionibus complanandum iter foret.

Atqui viam hanc ipſam, inquit Eudoxus, tibi facilem & expeditam dabo: te per iter notum, & ſæpiſſimè tritum, deducam.

Quodnam autem? rogavit Timantes.

Per ipſas, reſpondit Eudoxus, Provinciales Litteras: eas insiſtam unas. Id peto ut bonam iſtorum, quibus favere te profiteris, fidem oſtendas in quarta, quinta, ſexta, & ſeptima epiſtolas ad Provincialem, de quibus injectum tibi jam nonnihil ſuſpicionis eſt. Id si facis, ego & Cleander tui ſumus.

Ad hanc vocem renidens Timantes: Nihil hic negotii eſt, ait: ſed hoc fœdus, has leges ab ornatiſſimo etiam Abbate ſubſcribi velim.

Fiet, inquit Abbas. Tù id modò vide ut ſtes promiſſis: eamque, ni facis, irrogatam tibi pœ-

nam

nam ſcito, ut adverſarium te Janſeniſtæ deinceps tam infenſum habeant, quàm hactenus clientem ac fautorem ſtrenuum ſunt experti.

Accipio conditionem, ſubjecit Timantes: non magni periculi ac damni eſſe nobis aleam hanc certo ſcio. Majoris eſt iſtæc vero, quàm reris, excepit Cleander. An unquam citatos a Paſchale locos cum ipſis Societatis Theologorum libris contuliſti? Nunquam, inquit: ſed quin modo, si jubes, conferam, nihil prohibet. Tibi hanc operam libentiſſimè navavero, licet inutilem & ſupervacaneam. Serum eſt, reſpondit Cleander, inchoare: facies per otium, ac ſedulò: mox, cum erit commodum, nos commonebis, ac rationem laboris tui reddes.

Hujus laboris, adjecit Abbas, quem ingratum fore tibi ac injucundum conjecto ex illa indole, quam præ te fers, ignea & vivida, magna pars a me recidetur. Miſſum te faciemus, ubi quatuor aut quinque dumtaxat præſtiteris. Primum ut oſtendas in aſſertionibus aut principiis vel unius Jeſuitæ, omnia aut minimam illorum partem quæ ipſis quarta Provincialis attribuit, quod ſpectat peccata impiorum, ganeonum, & eorum qui ad flagitia occalluere. Alterum, ut demonſtres eoſdem jure accuſari in epiſtola quinta, quasi qui recentibus in imperio Sinenſi Chriſtianis, copiam & facultatem dederint cultum falſis Deorum ſimulacris adhibendi; eam ob rem fuiſſe ab illis inductam in mores intentionis Directionem, & Chriſti cultores ita inſtitutos ut docerentur, fas ipſis eſſe fictorum imagines Numinum venerari foris & palàm; modo clam ac tacita mente ſuam adorationem referrent ad la-

ten-

VII.DIAL. tentem sub veste Christi è Cruce pendentis effigiem. Item, quod ibidem additur, Jesuitas, *qui regiones easdem incolunt*, in suorum neophytorum cœtibus non proponere adorandam Christi Crucifixi imaginem; neque de Servatoris nece acerbissima, sed de illius tantum gloria unquam ad eos verba facere. Tertium est, ut Paschalem a mendacii & fallaciæ crimine defendas, cum citat Filliucii locum in jejunii causa. Quartum, ut a te ostendatur in Valentia locus, de Simonia, prolatus a Paschale in hæc verba: *Si detur temporale pro spirituali, hoc est, pecunia pro Beneficio, deturque pecunia ut pretium Beneficii, aperta Simonia est: SI VERO DETUR, NON TANQUAM PRETIUM BENEFICII, SED TANQUAM MOTIVUM AD RESIGNANDUM, non est Simonia.* Quintum, ut doceas quo jure idem Baunii locum mutilaverit, in quo agitur quemadmodum Sacerdos teneatur ad Sacra facienda, quæ se facturum fidem dedit ei a quo stipendium accepit: qui Baunii locus, si proferatur integer, nihil, ut videtur, habet quod omnibus probari non possit ac debeat; nec vero pugnat cum eo quem Paschalis opponit. Ista quinque si mihi expedire potes, perrexit Abbas, dedo me tibi, & in tuas partes convolo, uti jam Eudoxus proposuit ac stipulatus est.

Præsto sum, excepit fidenter Timantes; quod petis dabitur.

Ad hæc Abbas: Si effectum hoc dare non potes, ne tum quidem te victum rebor, nec arma cogam prius deponere quàm adducam te ad assentiendum mihi de quibusdam aliis capitibus; idque nisi perficio, victum ipse me confitebor.

Pri-

Primo nisi tibi demonstrem, idque clarè ac evidenter, doctrinam probabilitatis non esse Jesuitarum inventum, ipsorum propriam non esse, nec ab iis traditam, nisi cum numeroso Doctorum è Scholis omnibus, Ordinibus, & Nationibus lectissimorum grege: talem ab ipsis non doceri qualem iisdem Paschalis affingit; ac plena fraudis, mendaciorum & fœdissimæ in citandis Auctorum locis corruptelæ esse quæcumque in suis Litteris super ea re confirmat. Secundo nisi Sinensis Idololatriæ crimen Jesuitis impositum certissimis auctoritatibus, testimoniis clarissimis, & firmissimis ita diluam, ut tute ipse, Societatis inimicorum audacia & imprudentia perculsus, obstupescas. Tertio nisi eximam tibi omnem scrupulum de integritate atque innocentia Valentiæ, ac Vasquesii in iis quæ ille de Simonia, hic de Eleemosyna docet. VII. Dial.

X. *Paschalis bona fides in Litteris Provincialibus.*

Ibi Timantes attonitus, Istam tuam, inquit, confidentiam & magnifica promissa demiror. Nonne Paschalis, cum aliquem è Societatis Scriptore locum citat in suis prioribus Litteris, indicat nominatim ipsos articulos, paginas ipsas numerosque librorum? Nonne litteris Italicis notat quicquid ex iisdem excerpit?

Indicat, fateor, ait Abbas, notat ac designat ea quæ dicis omnia in posterioribus æque, ac prioribus epistolis: hinc fidem sibi apud malè credulos, qui scrutari & excutere hominem non laborant, facit: odium iis contrà stomachumque movet, qui expendere omnia & inspicere satagunt.

Quid ais? exclamat Timantes. Ut Paschalis vir optimus, & inter suos longè honestissimus,

VII.DIAL. falsò locum aliquem protulerit? calumniatus adversarios, Lectores ludificatus fuerit? Hoccine credibile est? Cui tandem hoc persuadebis sano? Nihil a Paschale disjunctius, nihil ab ejus indole & moribus, quales fuisse ex hominibus sapientissimis, qui probè illum norant, accepi, alienius est.

Ille vero, excepit Abbas, honestus & honoratus fuerit, quantum voles; nihil moror. Agitur hic de factis, quorum probandorum onus in me recipio. Constitues postea num, ut ejus honori consulas, titulis istis, veteratoris, impostoris, calumniatoris & falsarii ornare illos malis a quibus tela in Jesuitas torquenda sumpsit. Partitionem hanc facies ut collibitum erit; nihil mea.

Iste vero Abbas quod pollicetur tam splendidè, inquit Cleander, jam, ne sis nescius, coram præstitit; ipsos a nobis inspici libros jussit, Litterasque tuas Provinciales, & singulas paginas persitans, locos in iis citatos, ut occurrebant, continenti serie arripuit: atque adeò sic nobis liquidò constat, si excipiatur unum alterumve caput levioris momenti, quod meritò a Paschale reprehensum fuit, istas Litteras è mendaciis, imposturis, & locis falsò, vitiosè, malignè productis a summo ad imum esse confutas. Ex quo etiam placet (nec vanum præjudicium est) quid de cæteris, quæ non attigit, capitibus sit sentiendum: quorum plurima si velimus ab ornatissimo Abbate cognoscere, non recusat quominus nos planè dedoceat.

Adeò abhorret doctrina Jesuitarum ab ejus larva quam fabricavit Paschalis, adjecit Abbas,

ut

ut sine ulla dubitatione proscriberent ac damnarent plerasque propositionum illarum quæ ab eo vexantur & oppugnantur; modo ita illæ, ut eas refert, accipiantur. At mirum! Postquam ex illis plurimæ, quales ipsas expressit Paschalis, ut haberet quod refelleret, Romana censura fuerunt meritissimò inustæ; Jesuitarum obtrectatores recenti calumnia ubique prædicarunt, Societatis doctrinam hac censura fuisse confixam. Siluerunt in Gallia Jesuitæ, & novas adversariorum machinationes, ut alias veteres non paucas, sibi contemnendas, nec injuria, censuerunt. Iniquissimam obtrectationem Patres Belgici minus patienter tulerunt, & apertè docuerunt nullam, aut ferè nullam ex istis propositionibus censura notatis fuisse ab Doctoribus Jesuitis traditam: quod si qua deprehendatur in uno alterove Societatis Theologo, ab iis nec solis nec primis propugnatam fuisse, verum institisse vestigiis aliorum quàm è Societate sua Thologorum, maximè Thomistarum; ac pro uno qui ita senserit Jesuita, totum universæ Societatis Theologorum agmen in diversam partem ac sententiam abire. VII. DIAL.

Mira narras, interpellat Timantes: vereor ne, quòd accidisse Paschali dictitas, cum falsos ipsi ac depravatos a quibusdam subjectos esse locos commentariosque suspicaris, evenerit hoc ipsum tibi, ac multa tuis Jesuitis nimis facilè credideris. Ut ut est, siquidem contendis, rem totam a te ipso diligenter jam esse cognitam, meum non est, antequam eodem perfunctus laboresim, tecum obstinatius depugnare. Sermonem aliò, nisi molestum est, convertamus.

VII. DIAL. Ita tum quidem finis huicce colloquio impositus: cujus exitum adeò moderatum fore pacatumq; Eudoxus & Cleander non putabant, rati ferocius discessurum Jansenistam suum. Sed illum usque Abbas sibi consultò temperans animisque parcens repressit, continuitque intra certos limites, intra quos ferè consistere, si quid ejusmodi quæstionis incidisset, non solebat.



DE

DE DISTINCTIONE
PROBABILIS
In Speculativum, & Practicum.

HÆc distinctio, quæ Theologis nonnullis inter decidendum familiaris fuit, Paschalem admodum angebat identidem. Faciebat illa nimirum, ut non rarò &, quæ falsissimè dixisse se crederet, falsa fierent; & quæ insectatus esset vehementissimè, prorsùs extra rem, ac perperam damnata viderentur. Affirmare ausim vix aliud fuisse distinctionis genus, quod ille vehementiùs pertimescceret.

Statuendum ergo est, quis hujusce distinctionis sit sensus: solidane ipsa, utilis, imo necessaria in moralibus; an merum artificium, quo Jesuitæ *Religionem quidem apertè violant, rempublicam autem adhuc obscuriùs:* sic enim loquitur Paschalis. I. *Proponitur status quæstionis.*

In confesso est apud omnes, plurimum semper discriminis speculationem inter & praxim, cum in aliis quæstionibus innumeris, tum præcipuè in moralibus, fuisse positum. Sed ne rem spectemus universè dumtaxat, videamus an habere locum hæc distinctio vel in ipsa illa specie possit, in qua damnat ipsam atque cavillatur Paschalis; eò loci videlicet, ubi de homicidio aliisque per vim illatis injuriis agit, septima ac deci-

ma tertia epiſtolarum Provincialium.

Quemadmodum Scriptoris hujus ars tota in eo eſt, ut hancce materiam variis implicet ambagibus; sic tota Jeſuitarum in eo consiſtit purgatio, ut clarè illa nitidèque explicetur. Quod antequàm exequor, ſtatuo propositiones aliquot, quarum veritas controversiam habet omninò nullam.

1. Cum id quæritur, an certis in occasionibus aut occidere liceat, aut ferire: in eam ſententiam hoc ſemper accipiendum eſt, ut ſalva sit ſua consilio Evangelico reverentia, quo ita monet Christus: *Ego autem dico vobis non reſiſtere*
Matth. 5. 39. *malo: Sed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, prabe illi & alteram; & ei, qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium*. Nemo unus eſt ex omni Theologorum moralium numero, quin hanc agendi rationem & ſummis laudibus extollat, & animo prorsùs heroico dignam arbitretur.

2. Sed quàm impium sit aliter ſentire, tàm abſurdum fuerit atque alienum a Theologo & Canonici Juris perito, ad normam horum consiliorum, unam perfectionem ſpectantium, ſtricta & neceſſaria Chriſtiani hominis officia ſeveriùs exigere; eumve æternis idcirco addicere ignibus, quòd aut bona iniquè rapienti litem moveat, aut illius vim vi repellat, qui in ipsius jugulum diſtringat enſem, vel ſublata jam manu colaphum aut fuſtem intentet. Non hic quid sit perfectius, ſed dumtaxat, quid licitum, quæritur: non quid conſulat Chriſtus, ſed quid præcisè non vetet. Hoc primum conſtitutum

volui,

volui, quo clariùs pateat, quàm absurdè ineptis in antithetis ludat Paschalis identidem, dum ea captata occasione, doctrinæ, quam Jesuitis affingit, consilia hæc Evangelica opponit.

3. Tametsi vita, honor, pecunia, cæteraque fluxa & caduca bona infinito sint intervallo spiritualibus & internis bonis inferiora; nemo tamen inficias jerit, quin bona sint; eaque ejusmodi, quę cuiq; jus sit contra injustum raptorē tueri. Nititur porro jus illud tū lege naturali, tum jure gentium, quod divina lex scripta confirmat. Hęc qui negare cum aliquot hæreticis audeat, is profecto & institutum a Deo funditus invertat ordinem, & sceleratorum insidiis ac furoribus optimum quemque impunè permittat. hoc nimirum fundamento nixi omnes ad unum Theologi, generale illud effatum post Divum Thomam pronunciant: *Secundum jura licet vim vi repellere cum moderamine inculpatæ tutelæ*. Hujus vero moderaminis assignare terminos caput est difficultatis: quæ eo major est quod illos proferre ac transgredi innatus cuique amor sui & cupiditas hortantur.

2.2.q.64.ar.7.

4. Nec minus inter omnes convenit de iis quæ sequuntur: nefas esse in causa propria sibi tum ipsi jus dicere, cum injurię prohiberi auctoritate Superiorum, aut reparari possunt: licere, saltem vitandæ mortis causa, vitam illi adimere qui certo & efficaci cōsilio mortis nobismet ipsis inferendæ nos lacessit: lacessito jus esse, saltem in certis circumstantiis, si alia propulsandæ injuriæ via non suppetit, graviore malo lacessentem afficere, quàm quod ipse ab eo reformidat. Itaque, quamvis & pecunia & supellex longè

gè sint ignobiliora bona, quàm vita; nihilominus ex Divi Thomæ sententia, ipsoque Jure Canonico, Exodi 22. cap. nixis, licitum est homini privato furem nocturnum occidere; quem aut fores domus perrumpentem noctu, aut facto foramine aditum molientem deprehenderit: imo & diurnum occidere, si se telo defenderit, eadem jura permittunt.

Cap. de homicidio.

II. *Statuitur, exempli causa, casus a Reginaldo allatus, & a Paschale vexatus.*

His præstructis tanquam certis ac indubitatis, nodi in hac materia sexcēti, iique gravissimi occurrunt, Theologis & Juris Canonici peritis solvendi. Hic inter alios ad propositam quæstionem pertinet, petitus certo ex casu, quem Reginaldus Societatis JESU Theologus decidit; & in quo distinctionem *Probabilis in Speculativū, & Practicum* usurpat: ejusque mentionem Paschalis in septima Provinciali facit. Hoc ideo exemplum selegi, quod & ad exponendam rem, qua de agitur, aptissimum visum est; & quæ hic statuam, poterunt nullo negotio ad alia id genus transferri, quæ fusè prosequitur Paschalis septima & decima tertia epistola: ubi incredibile est quam multi, quam turpiter ab ipso depravati sint loci; atque illi præsertim, quos ex Reginaldo & Lessio recitat.

Reginaldus, postquam explicuit quibus in circumstantiis injustè aggredientem occidere liceat, hæc subjicit. „ Notandum est tertio perinde esse in re proposita, sive quis alium occidere „ tentet armis, ut ense vel catapulta; sive veneno; „ sive opere, ut percussione; sive verbis, ut falso „ testimonio; & sive per se immediatè, sive per „ alios, ut per sicarios. Nihil enim refert, quo ex „ talibus modis insidietur quis vitæ alienæ, ad eam „ efficaciter auferendam.

Ex

Ex hoc principio post multas conclusiones hæc postrema infertur a Reginaldo, quæ a Paschale tanquam exemplum execrandæ Jesuitarum de homicidio doctrinæ proponitur. Hanc ego, non quo Paschalis modo, sed quo ipse tradit Auctor, proferam. Denique si eas ad ferendum „ contra me falsum testimonium, ex quo acceptu- „ rus sim mortis sententiam, nec alia est ratio ef- „ fugii; licitum est mihi te occidere tanquam „ alioqui occisurum me: cum nihil referat in tali „ re, an tuo, vel alieno, puta carnificis gladio, me „ occidas. „

Circumstantiæ facti, quas attentè admodum pensatas velim, hæ sunt. 1. Inimicus ille hoc ipso temporis articulo properat nefarium exequi, quod in me est meditatus, consilium: *Si eas ad ferendum contra me falsum testimonium*. 2. Efficax erit consilium, quod proculdubio, quantum res humanas æstimare licet, effectus consequetur: *Ex quo accepturus sim mortis sententiam*. 3. *Nec alia est ratio effugii*: hoc est præclusos mihi apud Judicem video omnes ad probandam integritatem meam atque innocentiam aditus, nec aut fugere licet, aut latere. Omitto quartam conditionem a Reginaldo primum his verbis appositam. Notandum est primo non licere „ quidem, quandiu res dubia est, occidere eum, a „ quo mortem injustam mihi parari suspicor; „ etiamsi vehementia sint indicia, quod ita res „ habeat. „

Sed non satis habet hæc præcavisse Reginaldus. Subdit insuper observandum esse diligenter quod monet: *Quoad hoc autem*, inquit, *&* „ *alia hujusmodi, in praxi habenda est ratio caute-* „

„ *la proponenda in sequenti numero 63. versic.* Cæterùm. Ibi autem declarat, hanc conclusionem ex illarum esse numero, quæ, tametsi speculative probabiles, tamen ob incommoda, quæ refert, plurima, eaque ferme prudentum omnium judicio inevitabilia, locum in agendo habere nullum debent. *Quamvis in speculatione pars affirmans non careat omni probabilitate; in praxi tamen non est sequenda.*

Expendamus itaque in hoc exemplo, quid sit discriminis inter Probabile speculative & Probabile practice. In ejusmodi exemplo res tota, uti supra dixi, clarissimè patebit. dicitur Reginaldi responsio speculativè probabilis. quid ita? quia fundatur illo Juris naturalis principio, de quo omnes consentiunt; fas esse mihi necem vel illius periculo vitare, qui certam mihi ac præsentem intentat.

Præterea ejusmodi responsio colligitur ex affinitate & analogia, quæ illi cum hac alia nemini dubia decisione intercedit. Ferream aliquis in meum caput fistulam letali fartam plumbo dirigit: licet ergo præoccupare, si possim, & exploso prius ferali tubo hominem sternere.

Nemo negaverit, conclusionem Reginaldi, rebus in se & generaliter spectatis, esse & ex eo principio probabiliter ductam, & alteri illi casui affinem, de quo inter omnes constat. Nam, quemadmodum supra dixit, nihil planè interest, ferro an veneno mihi eripiatur vita; suo, an carnificis gladio mihi necem inimicus afferat. Ejusmodi propositio dicitur a Theologis speculativè probabilis, id est, probabilitatem habet, cum ex iis solùm principiis generalibus, ex quibus illata

est,

est, expenditur; nec aliud in ea quidquam præter hæc principia, & quam habet cum iis connexionem, spectatur.

Sed, quantumvis sit speculativè probabilis, non continuò probabilis est practicè; &, inquit Reginaldus, *in praxi non est sequenda.* Quorsum porro? Quia si hæc doctrina in mores & usum induceretur, gravibus esset obnoxia incommodis; quia licentiam ad cædes & homicidia infinitam daret: quia hic tutandæ vitæ modus, quantumlibet fundatus in jure videatur naturæ, ab odio, ultionis aviditate &c. sejungi vix potest. Hæc sunt rationum momenta, quibus sententiam suam confirmat num. 63. Ex quibus facilè intelligas, quomodo propositio aliqua, quamlibet probabilis speculativè, non continuò practicè probabilis existat. Reginaldi propositio colligitur ipsa quidem ex principio omnibus probatissimo, sed in praxi maximis incommodis laboraret.

Quæro ergo nunc, an non veræ videantur propositiones hæ duæ: altera, ejusmodi responsionem speculativè probabilem esse; altera, practicè non esse probabilem: an non etiam evidentes illæ appareant. Jam si & veræ sunt & evidentes, quid aut scandali metuendum est aut periculi, quod ab iis proponendis in libro Theologico, explicandisque deterreat? An Reginaldus decidere severiùs potuit, quàm *cum in praxi non sequendam* hanc conclusionem asseruit?

Ipse vitæ amor, ipsa ardentis animi commotio, homini mortem sibi cum dedecore ab inimico paratam intuenti facilè persuadebit, jus illud, quod habere se in ejus vitam putat, non pro-

-babile modo, verum & evidens esse; idque tametsi Theologorum ratiocinationes ac disquisitiones super ea re non legerit. Hoc fretus principio inimicum, quà poterit, non dubitabit prævertere. Quis igitur hunc sistat? Quis impetum effrenatæ cupiditatis comprimat, nisi aut Confessarius, aut amicus, qui Reginaldum docentem audiant?

Rebus ita explicatis (quæ tamen explicatio iis dumtaxat necessaria fuit, qui ne prima quidem norunt elementa Theologiæ) nonne jure meritò Jesuitæ id cum Paschale expostulant palàm, quod eos propter istam distinctionem in epistola decima tertia insolenter compellet in hæc verba?

„ Ita se proferunt opiniones vestræ sub hujus „ distinctionis involucro, qua Religio quidem „ apertè violatur, Respublica autem adhuc obscu- „ riùs. Satis istud ad securitatem vestram esse „ censetis. Nam ne a vobis Ecclesia violatæ ve- „ ritatis exigat pœnas, speratis gratia & auctorita- „ te vestra perfectum iri: ne Magistratus in vos „ concitentur, istis providetis cautionibus, quibus „ illius doctrinæ praxim multis in locis prohibe- „ tis. Nullum enim proprie Magistratibus in ca- „ sus conscientiæ jus est, sed in externos tantum „ actus. Ad hunc modum quæ sententia sub pra- „ xeos nomine plecteretur, sub theoriæ nomine „ secura se prodit. Verùm hac basi semel stabili- „ ta, nihil facilius quam illi reliqua superstruere.

An quidquam potest elutius simul & malignius hoc sermone fingi? Sed nimirum cœptas primo in epistola septima calumnias Paschalis eodem tenore ac stylo in hac decima tertia, eodem

dem

dem afflatus spiritu, persequitur. Eas penitus cognoscere qui voluerit, conferat modò comparetque citatos a Paschale locos cum ipsis Jesuitarum complurium, quos ibi nominat, libris. Mihi satis est specimen aliquod in ipso illo loco proponere, quo sum usus ad explicandam distinctionem Probabilitatis speculativæ & practicæ.

En verba septimæ Provincialium. Ex Reginaldo nostro l. 21. c. 5. num. 57. non modò calumniatorem, sed & falsos testes ab ipso appositos interimi fas est. Si hæc ipsa est Reginaldi propositio, næ horribilis est. hæc enim propositio si statuatur vera, ita generatim sumpta, & nullis circumscriptionibus ac temperamentis mitigata, ut hic ponitur; nemo est calumniator, nemo falsus testis, nemo ad inferendam innocēti mortem adjutor ac socius, qui non possit citra culpam interfici: atque ita anathemate merito percellendam esse patet.

Sed quæro iterum, hæccine est Reginaldi propositio? Ubi sunt illa, quibus tam prudenter ac dilucidè ab hoc Theologo sepitur, adjuncta imminentis periculi, mortis certæ & inevitabilis, quam declinare vel fugiendo, vel latendo, fas non sit? In quibus adjunctis alii, qui Societatis alumni non sunt, Theologi idoneam, etiam in praxi, justæ ac legitimę defensionis occasionem præberi censent. Quid plura? Hæc affingitur Reginaldo propositio: *Possunt interfici falsi testes in nos instructi:* & tamen ipsius doctrina, quod supra demonstravimus, eo tota reditut concludat nefas esse mortem ipsis, etiãsi præsentissimum urgeat periculum, aut manu aut consilio moliri. Tetram, Superi, atque immanem calumniam!

 Po-

Poteſtne in Theologum, qui penſatis diligenter atque examinatis quæſtionis difficultatibus, (ſunt autem in utramque partem ſanè graviſſimæ) poteſtne, inquam, in Theologum qui, ita ut fecit Reginaldus, concluſerit, conferri ſuſpicio quòd faveat hominum cupiditati, quòd auctor ultionis expetendæ ſit? An non Paſchalis quemlibet alium, quàm Jeſuitam, hoc loco putaviſſet partem ſeveriorem amplexatum? Non dabitur ſcilicet hæc venia Theologo Societatis, ut nodos utrique ſententiæ communes proponat? Diſſimulare eorum gravitatem cogetur, aut laxioris doctrinæ crimine damnabitur, tametsi rigidiorem ſequatur ſententiam; quod eam, non sine dubitatione aliqua, sit ſecutus? Theologus moralis, materiam aliquam excutiens, sic ratiocinari non poterit: *Si ſtamus principiis generalibus, ſi ex analogia cum his illiſve quæſtionibus judicamus, ſi in theoria ſola & conſideratione naturæ rerum acquieſcimus, ſententia hæc probabilis eſt: ſin autem attendimus ad incommoda, quæ vix ac ne vix quidem vitari inter agendum poſſunt: ſi ſpectamus, quo ſit modo in tali occaſione affectus hominum animus, jam probabilitate res caret; ideoque locum in praxi habere nullum debet.* Ita diſſerere Theologo non licebit, quamvis id ſæpiſſimè ipſa materia poſtulet, quin simul id ipsi detur crimini; quaſi qui permittat quod nec faciendum unquam eſſe nec permittendum apertè concludit?

III. *Quænam deciſiones Morales ſint appellandæ.*

Moralis doctrina in praxi verſatur tota. Hinc quæcumque concluſiones in mera contemplatione ita consiſtunt, ut ad vitam vivendam nulli eſſe uſui poſſint, non debent eæ propriè inter-

con-

conclusiones morales recenseri, neque ullatenus inter decisiones numerandæ sunt, nec quidquam moribus prosunt obsuntve: quippe qui ad ipsarum regulam exigendi non sint. Quod igitur Reginaldo, quod Lessio in septima & decima tertia Provincialium crimini datur, nequaquam est in ipsorum decisionibus reponendum: idque non ob eam dumtaxat causam quod ipsorum verba ibi corruptissimè citantur, sed etiam quod eæ propositiones, in quibus ipsorum propriè continetur decisio, sententiam habeant planè contrariam illi sententiæ, quæ ipsis tribuitur.

Attamen operæ pretium est, intactum ac sine responso non omittere quod Societati objicit Paschalis, sumptum videlicet ex eo Escobarii loco, ubi auctor ille de distinctione Probabilis in speculativum & practicum disputat. Escobarius, ait Paschalis, Tom. I. Theolog. Mor. docet omnem opinionem speculativè probabilem, practicè item probabilem esse. Esto sanè ab aliis dissenserit Escobarius. Quid mali? At nonne hæc una est ex artibus machinisque Societatis, ut aliquem è suis Theologis initio præmittat, qui affirmet, non omnes sententias, quæ probabiles speculativè sint, practicè rursum esse probabiles; mox alium submittat qui affirmet omnem speculativè probabilem esse quoque practicè probabilem: quò sensim assuescant homines genio cupiditatique servire, & conscientiæ frenos, vel in atrocissimis sceleribus, laxare? Scilicet Madritum Lugduno scripserit ad Escobarium Reginaldus, ut unà cum illo id artificii componeret; aut ipsorum Generalis tam laudabilibus, tam sanctis rationibus adductus, has do-

Paschal. epist. 13.

Escobarius in præloquio nu. 15.

ctri-

ctrinæ partes inter utrumque diviserit. Rem profecto subtiliter excogitatam! Hoc illud est videlicet arcanum admirabile a Paschale in quinta Provinciali detectum, quo conscientiarum moderatores Jesuitæ ac Theologi cum suis Præpositis ita conspirant, ut alii Doctores ac Moderatores severi, alii contra faciles & commodi sint.

IV. *Locus Escobarii expenditur.*

Verùm perincommodè ad rationes causamque Paschalis accidit, ut in ea ipsa quæstione cum aliis Escobarius consentiat, a quibus si dissentire vel tantillum videtur, totum de verbo, non de re, dissidium est.

Ac primo quidem in eo libro quem ipse *Examen Confessariorum* inscripsit, Litteræ autem Provinciales *Excerpta ex 24. Senioribus* nuncupant, de hac quæstione eodem prorsùs & sentit & loquitur modo, quo alii solent: id quod nec ipse diffitetur Paschalis. Jam vero, quod attinet ad ipsius de *Theologia Morali* librum, ubi, *quod speculativè licet, practicè quoque licere asserit*, si paginas aliquot post citatum locum legisset Paschalis, ibi mentem hujus Theologi agnovisset ac sententiam, quæ vitio certè vacat, nec aliquid habet in quo vel ipse secum, vel cum Theologis moralibus pugnet. Ejus verba recito ex libro 11. Theolog. Mor. probl. 5.

Epist. 13.

Si prævisis omnibus incommodis quæ nasci possunt ex praxi, probabiliter adhuc judicamus talem praxim licere, licitè illam exercere poterimus. Fateor tamen, non omnia quæ licent expedire semper, ob extrinsecas circumstantias: Item si Princeps supremus, vel ejus suprema Curia talem stylum asservarit, contrarium omnino prohibens:

bens: tunc opinio tali decreto contraria jam per illud desineret esse probabilis. V. G. post Tridentinum opiniones aliquot Angeli, Armilla, Sylvestri ac similium ad praxim reduci non possunt, cum antea probabiles censerentur. Quare eo ipso quod opiniones hæ aut illa dicuntur non esse practicè probabiles, consequenter nec esse speculativè probabiles asseruerim; quia inconvenientia practica earum falsitatem ostendunt.

Quid aliud sibi hæc volunt, nisi nolle Escobarium illam opinionem speculativè probabilem dici, quæ, licet principiis quibusdam generalibus nemini non probatis fundatissima sit, tamen, ob intercurrentia inter agendum incommoda, suam tūc temporis probabilitatem amittit: cum alii contra Theologi censeant, iis incommodis, propter quæ desinit esse probabilis practicè, non effici ut speculativè probabilis appellanda non sit; ubi generalibus principiis, ex quibus probabiliter concluditur, cohærens apparet. Sed in hoc omnes cum Escobario consentiunt, illam in praxi, ob ejusmodi incommoda, normam agendi esse non posse.

Ut igitur Escobario gratificer, talem opinionem speculativè probabilem non appellabo: ut aliis obsequar, hoc ipsi nomen haud negabo. Sic nemini a me inferetur injuria: nec magis officiet moribus mea hæc facilitas, quam tot varii loquendi modi his Theologis omnibus familiares. Hac posita Escobarii notione, in qua nihil inest rationi non consentaneum, asseram esse *tutas in praxi sententias, quæ speculativè probabiles fuerint*: quia sintne practicè probabiles ante statuam quàm speculativè probabiles appel-

pellem. Aliorum autem notionem secutus, *non quacumque speculativè probabiles fuerint sententiæ, eas omnes practicè tutas affirmabo:* quia probabilitatis speculativæ ratio non omnia ad probabilitatem practicam necessaria includit. Tum demum Paschalem provocabo ad omnium Theologorum Tribunal: neque illum, vanis licet captiosisque declamationibus instructum, in hac doctrina quicquam omnino posse reprehendere, quovis pignore contendam.

Ut ergo sub finem summatim colligam quæ dixi; si spectetur Reginaldi mens & aliorum qui eadem petiti sunt calumnia, mysterium distinctionis, quæ inter Probabile speculativè & Probabile practicè interest, universum huc devolvitur. Finis ac scopus hujus distinctionis est, ut id primò demonstretur, non sufficere in Moralibus quod ex generalibus quibusdam ratiocinemur principiis, ex quibus multa legitimè sequi videantur; quæ si sola in agendo pro regula haberentur, effectus interdum funestissimos obtinerent. Secundò, res esse plurimas, quæ in se & ex regulis generalibus æstimatæ, culpa putentur vacare; tametsi vix ac ne vix quidem a peccato sejungi possint; quia cordis humani depravatio, vis cupiditatum rerum illecebris proritata, motus vehemens quo afficit animos mali aut boni præsentia, raro admodum eam nostræ menti tranquillitatem concedunt, ut eos intra fines contineat sese, quos ratio, quos divina lex præscribit. Si quis igitur aliquam rem speculativè esse probabilem dixerit, negaverit practicè esse probabilem, imo illicitam affirmaverit esse practicè, non permittendam, nec suadendam practi-

cè;

cè; an is artificium excogitasse dicendus erit, quo Religio Evangeliumque palam evertatur, licet reipublicæ idē exitiū clam & obscurè afferatur?

Sed ipsi mores, tum Paschalis, tum ejus gregalium, tam acriter doctrinæ severioris effata, contra laxiorem Scholam propugnantium, satis vel soli docent interesse plurimum, si universè loquamur, speculationem inter & praxim. Vocem ex ambiguo dictam, restrictionem mentis, suis in libris, in colloquiis familiaribus, inter noxas referunt omni supplicio dignissimas: in praxi verò mendacia, librorum depravationes, sensus perversos & malignos, ad quos Religiosorum hominum & peritorum doctrina opinionesque detorquentur, inter illa numerant quæ longè absunt ab omni culpa & nulla vetantur omnino lege; modò hæc in solos Jesuitas ipsorumve amicos conferantur.



DE

DE INTENTIONIS DIRECTIONE.

„ MIrabile illud inventum, inquit in epi-
stola septima Provinciali Jesuita in-
„ ductus a Paschale, magna illa *diri-*
„ *gendæ intentionis* methodo contine-
„ tur; cujus tantum in nostra morum doctrina
„ momentum est, ut eam Probabilitatis doctrinæ
„ ferè æquiparaverim.

Hoc admirabile arcanum scrutari placet. Aperiamus quidquid id est mysterii, & apertiùs etiam, quàm Paschalis, oculis omnium subjicere conemur.

I. *Quid sit directio intentionis.* In eo versatur tota dirigendæ intentionis doctrina, ut doceatur, cum res per sese indifferentes occurrunt, intentioni, prout recta est vel prava, bonitatem actionis aut malitiam adscribendam esse: actionem bonam sua bonitate privari, cum abest recta intentio: intentionem denique, si generatim loqui volumus, tantum habere in moribus momenti, ut sæpissimè ex ea una capitale, quod intercedit inter actiones nostras, discrimen oriatur; eaque, ut verbis Theologicis utar, suam cuique speciem tribuat.

Possem hic Jansenistarum more, totas hujusce scriptiunculæ paginas, ipsosque margines infinitis Sanctorum Patrum de intentione locis refercire. Sed his paucis Divi Augustini & Divi Thomæ sum contentus verbis, quæ propositionis meæ sensum omnem complectuntur. *Bonum*

opus

opus intentio facit, inquit Augustinus in Psalm. 31. *Morales actus recipiunt speciem secundum id quod intenditur*, ait Sanctus Thomas 2.2. qu. 64. art. 7. in corp. Quem etiam in sensum hæc Christi in Evangelio verba Patres interpretantur Matth. 6. *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit*: hoc est si pura fuerit tua intentio, non erit actio tua tenebrarū opus. Itaque Theologicum illud principium nihil in se habet quod non admodum Fidei Catholicæ rationique congruat; nec in eo quidquam est tritum magis ac vulgare, magisque adeo necessarium. Illud verò mirificum appellare, in eoque caput artis politicæ Jesuitarum collocare, perquam absurdum est & ineptum.

At forte eo malè utuntur Jesuitæ, dum ad certas quæstiones illud perperam accommodant. Non est mihi animus occasionem hinc atripere diluendi fusius omnes Paschalis calumnias: satis mihi fuerit earum partem indicare aliquam, idque ostendere breviter, quando a Jesuitis ad varias quæstiones traductum est hoc principium, non impiè fuisse, non ineptè traductum.

Hanc intentionis directionem ipsis præsertim exprobrant Litteræ Provinciales, cum de simonia, de usura, de illata vi agunt. Contendit Valentia posse dari aliquando temporale pro spirituali: affirmat Escobarius aliquid sperari commodi ex data mutuò pecunia posse: asserit Reginaldus licere nonnunquam invadentem & persequi & cædere. Docent hæc fieri posse citra culpam omnia, modo probè dirigatur intentio: quin & Baunius formulam in octava Provinciali citatam, de industria confecit, in qua dirigendæ

dæ intentionis methodus ad legitimum contractum faciendum adhibita, exempli causa proponitur.

II. *Illius usus variis in rebus ostenditur.* Omittamus hic fucum, pigmenta, & cavillationes Paschalis, de quibus modo non agitur. Nunquamne licet injustè aggredientem persequi, ferire, occidere? Sanè aliquandò; imo & semper, quandiu defensionis justæ & moderatæ non excedimus terminos: *cum moderamine inculpatæ tutelæ*. Hos intra fines si stetur, nonne qui propulsat injuriam, potest aut bona aut mala intentione percutientem repercutere? Nonne potest aut ulsciscendi sui, aut defendendi tantùm studio induci? Certè potest. Igitur est intentionis directioni suus in hac materia locus.

Nunquamne licet spirituale pro temporali dare, aut ex pecunia fructum quærere? Nihil certè licitum magis. Stipendium quotidiè ob rem divinam accipiunt Sacerdotes: contractus societatis, censusque annui fiunt. Si Sacerdoti pecuniam, tanquam Sacri pretium persolvo, simoniacus sum: si, ut memor gratusque sim, ut largiar eleemosynam; si aliqua ejusmodi causa impulsus; simoniæ nihil est.

Librarum millia viginti alicui ea lege dedi, ut pars capitis vicesima mihi quotannis penderetur. Si post annos viginti redimit ille censũ, tũc pro viginti millibus semel numeratis data mihi fuerint millia quadraginta. Qui hoc potest cum conscientiæ æquitatisque regulis conciliari, ut dimidio plus accipiam quàm dederim? Si pecuniam ea mente tradidi, ut jus emerem percipiendi quotannis mille libras ex aliquo, verbi causa, prædio huic pensioni obligato, nihil iniquè egi: sin

sin autem plus multo accipere quàm dedissem, erat animus, fœnerator sum.

Si mercatori mutuam pecuniam negotiationis causa roganti, ea conditione dedero, ut fructum ex mutuo capiam, & quinas ille mihi pro capite mercedes rependat; ejusdem usuræ fio reus: si veram cum ipso inire societatem voluero, ab recta conscientia non discedo.

Cum igitur, ut validi aut liciti contractus fiant, semper necessaria sit intentio; cumque, ubi de tuenda vita, fama, fortunis agitur, eadem intentio justam legitimamque defensionem in primis efficiat; quid erit, amabo, causæ, quin liceat Theologis Societatis Jesu, itidem ut cæteris, docere dandam esse operam his in rebus diligenter, quò fugiatur peccatum, ut rectæ intentionis norma lexque servetur?

Valentia in suo de Simonia tractatu eodem planè modo quæstionem proponit, quo Divus Thomas; eosdem in medium affert casus quos Divus Thomas; plurimos ex intentionis directione decidit, ut Divus Thomas. Cur, obsecro, quæ in Divo Thoma est ab omni labe vacua intentionis directio, eadem in Valentia politicæ Jesuitarum astutiæ mysterium appellabitur?

Exponit Baunius quæ contractus instituendi sit ratio, ut fructus pecuniæ possit legitimus percipi; quam qui rationem neglexerit, im- improbus fœnerator evadat. Quid hic vitii subest? Ibi quidem *trium contractuum* doctrinam, ut certam, sumit: sed hujus neque auctor ipse est, neque solus defensor: hanc ante ipsum complures, iique & in Theologia & in jure ver-

satissimi, quos Societas in suis non numerat, Doctores propugnarunt. Cujus tanta cum sit in facienda mercatura utilitas, tantusque usus, nec ibi magis contorta & accersita per vim intentionis directio, quàm in aliis multis contractibus legitimis videatur; cur ea vitio dabitur huic Theologo, quandiu eandem vetandam neque Ecclesia, neque Ecclesiastici Præsides Præpositique censebunt?

Damnat injustæ usuræ Escobarius, si quid ex mutuo supra sortem exigatur; at si mutuas alicui pecunias, verbi gratia, ut prædium sibi accommodatum coemat, largiaris, ea re captans ejus benevolentiam, aut beneficii quidpiam, cum res feret, ab eodem præstitum iri sperans, mentalem usuram hanc esse negat. Quin realem non fore affirmat, etiamsi postea beneficium cōmemorando, gratum ejus animum excitare tentes ad opem tibi laboranti præstandam. Quid iniquum habet hæc distinctio? quid a ratione alienum? An fœnerator habetur is qui, dum alterum prævidet ea brevi auctoritate & gratia valiturum, ut amicis operam navare non inutilem possit, in hunc quem dixi modum bene de illo mereri studet? An, si quid postmodum ab illo beneficii pro re nata accipit, id usuræ nomine donatur? An aliud quidquam præter sensum communem requiritur, ut quos hìc tam nequiter, aut tam inscitè insimulari cernimus, vacare culpa videamus?

Denique cum docet Reginaldus, speculativè quidem probabile esse, at practicè nonnisi perrarò, fas esse in certis, quas apponit ipse, Paschalis autem silet, circumstantiis; fas, inquam, esse

cui-

cuipiam, in ipso dumtaxat, quo ejus fama violatur, temporis articulo, eum, a quo afficitur ignominia, persequi; simul admonet cavendum ne id faciat eo animo, ut malum malo reponat; sed tãtùm ut necessitati serviat, neque progrediatur ulteriùs, quàm quantum tutandæ dignitatis ratio præcisè postulat. Hæccine aut inutilis est restrictio, aut Reginaldi responsum veneno, ut ita loquar, inficit? An ejusmodi decisione tot cancellis munita, tot vallata cautionibus, in fraudem aliquis induci faciliùs potest, quàm Davidis facto, qui Salomoni mandavit ut, cum primùm se daret occasio, Joabum & Semei de medio tolleret? Proscribatur, ut volunt adversarii, omnis directio intentionis: quid hoc Davidis mandato fiet? Quid censendum de illo demùm erit?

Ita est profecto: nihil hic novi aut Reginaldus, aut alii de dirigenda intentione protulerunt. Nec nisi post Innocentium III. ita sunt locuti: *Vim vi repellere omnia jura legesque permittunt, non ad vindictam sumendam, sed ad injuriam propulsandam.* Habent Divum Thomam quem sequantur 2.2.q.72.art.3. *Illatas contumelias nonnunquam repellere homo potest propter bonum illius qui contumeliam infert, ad reprimendam illius audaciam, & ad tuendam suam dignitatem & auctoritatem.* *Cap. significasti.*

III. *Quid Paschalis de intentionis directione commentus sit.*

Quid ergo Theologi Jesuitæ in hac causa præstiterunt? Rectam intentionem ita esse docuerunt his omnibus locis necessariã, ut, si abesset illa, gravissimè tum peccaretur. Paschalis verò quid præstitit, quas sibi partes sumpsit? Rem totam scilicet invertit: hoc intelligi voluit, ad-

hiberi a Jesuitis hanc intentionis directionem, ut atrocissimis sceleribus patrocinarentur.

Monuerunt Jesuitæ videndum sedulò esse, ne quis, vel cum maximè suum in defensione legitima jus servat, abripi se cupiditatis æstu & ultionis impotentia patiatur; nullam tunc aliam esse mentem oportere, præterquam tutandi sui. Ipse contra Paschalis, adulterando & mutilando Jesuitarum scripta, eos ita descripsit, perinde quasi vim injustissimè illatam, modo recta foret intentio, ab omni noxa vindicarent.

Docuerunt Jesuitę, eum qui pro spiritali temporale daret (ibi autem non de numeranda pro Beneficio pecunia, sed de orationibus, de sacrificiis, de fructibus & proventibus ædi sacræ attribuendis, de aliis id genus rebus agebatur) non ita esse affectum debere, ut temporale vellet tanquam spiritalis pretium tradi; sed aliam hanc requiri intentionem, ut, tanquam memoris & grati animi munus, preces Deo fundi, rem divinam fieri &c. postularet. Ipse verò Paschalis scribere palam non dubitat, artem hanc dirigendæ intentionis a Valentia, a Tannero, ad excusandam detestabilem, quæ nunc fit, Beneficiorum Ecclesiasticorum nundinationem, feliciter & admirabiliter adhiberi.

Idem Paschalis, postquàm exposuit, quid afferat Baunius, quo contractus evadat ab omni usuræ intentione purus ac vacuus; postquam illigavit in epistolam suam frustum è Baunio excerptum, pingui & obsoleto sermone qui risum moveat; Jesuitam suum sic loquentem seriò inducit. „ Vix quidquam aliud nostris est fœnus illud „ vitiosum, quàm voluntas accipiendæ pecuniæ

tan-

tanquam ex fœnore redeuntis. Quamobrem Escobarius noster solertissimè tradit, qua ratione hoc crimen molli tantùm intentionis flexu & declinatione vitari possit.

Simul profert, seu potius citat Escobarii locum, quem commemoravi; citat autem tanquam decisionem ridiculam: quamvis aliter decidi, nisi absurdè, non possit. Huc demum recidit illa de intentionis directione criminatio. Hoc illud est *admirabile inventum, cujus tantùm in Morali Jesuitarum doctrina momentum esse prædicabatur, ut ferè videretur doctrina Probabilitatis æquiparandum*.

Dei esto judicium, quæ fuerit Paschalis intentio tum, cum ita inhumaniter, ita injustè Jesuitas est insectatus. Forsitan iisdem fuit causis impulsus quibus ille, quem Sancti & Oraculi sui loco factio universa veneratur, Abbas San-Cygiranus: qui aliquando cum Prierensi Abbate sic familiariter est locutus: Jesuitarum Societatem funditus esse delendam, utpote Ecclesiæ perniciosam. Tum ita subjiciebat: à Deo ipso Ecclesiam everti: desiisse jam ædificandi tempus; qui nunc viverent Episcopi, Clerici, Religiosi, eos, ut plurimum, spiritu Religionis Christianæ, spiritu Ecclesiæ gratiæque Christi esse destitutos: Ordinis sui Religiosos, si veros se vellent Divi Bernardi filios probare, omnes in perniciem Theologiæ Scholasticæ operam & consilia consociaturos: ipsum Divum Thomam ratiocinatione humana veram germanamque Theologiam devastasse, &c.

Information du proces de l'Abbè de S. Cyran.

hiberi a Jesuitis hanc intentionis directionem, ut atrocissimis sceleribus patrocinarentur.

Monuerunt Jesuitæ videndum sedulò esse, ne quis, vel cum maximè suum in defensione legitima jus servat, abripi se cupiditatis æstu & ultionis impotentia patiatur; nullam tunc aliam esse mentem oportere, præterquam tutandi sui. Ipse contra Paschalis, adulterando & mutilando Jesuitarum scripta, eos ita descripsit, perinde quasi vim injustissimè illatam, modo recta foret intentio, ab omni noxa vindicarent.

Docuerunt Jesuitę, eum qui pro spiritali temporale daret (ibi autem non de numeranda pro Beneficio pecunia, sed de orationibus, de sacrificiis, de fructibus & proventibus ædi sacræ attribuendis, de aliis id genus rebus agebatur) non ita esse affectum debere, ut temporale vellet tanquam spiritalis pretium tradi; sed aliam hanc requiri intentionem, ut, tanquam memoris & grati animi munus, preces Deo fundi, rem divinam fieri &c. postularet. Ipse verò Paschalis scribere palam non dubitat, artem hanc dirigendæ intentionis a Valentia, a Tannero, ad excusandam detestabilem, quæ nunc fit, Beneficiorum Ecclesiasticorum nundinationem, feliciter & admirabiliter adhiberi.

Idem Paschalis, postquàm exposuit, quid afferat Baunius, quo contractus evadat ab omni usuræ intentione purus ac vacuus; postquam illigavit in epistolam suam frustum è Baunio excerptum, pingui & obsoleto sermone qui risum moveat; Jesuitam suum sic loquentem seriò inducit. Vix quidquam aliud nostris est fœnus illud
„ vitiosum, quàm voluntas accipiendæ pecuniæ
tan-

tanquam ex fœnore redeuntis. Quamobrem Escobarius noster solertissimè tradit, qua ratione hoc crimen molli tantùm intentionis flexu & declinatione vitari possit. „ „ „ „

Simul profert, seu potius citat Escobarii locum, quem commemoravi; citat autem tanquam decisionem ridiculam: quamvis aliter decidi, nisi absurdè, non possit. Huc demum recidit illa de intentionis directione criminatio. Hoc illud est *admirabile inventum, cujus tantùm in Morali Jesuitarum doctrina momentum esse prædicabatur, ut ferè videretur doctrinæ Probabilitatis æquiparandum*.

Dei esto judicium, quæ fuerit Paschalis intentio tum, cum ita inhumaniter, ita injustè Jesuitas est insectatus. Forsitan iisdem fuit causis impulsus quibus ille, quem Sancti & Oraculi sui loco factio universa veneratur, Abbas San-Cygiranus: qui aliquando cum Prierensi Abbate sic familiariter est locutus: Jesuitarum Societatem funditus esse delendam, utpote Ecclesiæ perniciosam. Tum ita subjiciebat: à Deo ipso Ecclesiam everti: desiisse jam ædificandi tempus; qui nunc viverent Episcopi, Clerici, Religiosi, eos, ut plurimum, spiritu Religionis Christianæ, spiritu Ecclesiæ gratiæque Christi esse destitutos: Ordinis sui Religiosos, si veros se vellent Divi Bernardi filios probare, omnes in perniciem Theologiæ Scholasticæ operam & consilia consociaturos: ipsum Divum Thomam ratiocinatione humana veram germanamque Theologiam devastasse, &c. „ „ „ „ „ „ „ „ „ „ „ „ „

Information du procès de l'Abbé de S. Cyran.

Ut hæc piè sanctèque sunt dicta! Quid tandem de illa factione sentire convenit, cujus princeps ita & loquitur & sentit, qui in ea nihilo secius pro acerrimo Fidei Christinæ vindice ac viro sancto circumfertur?



DE

DE MENTIS RESTRICTIONE,

Et ambiguarum vocum usu

DISSERTATIO.

DUcamus iterum initium ab iis vocibus, quibus in epistola nona Provincialium sic loquens Jesuita inducitur. Nunc „ illa in medium afferenda, quæ soler- „ ter excogitavimus, ut facilius peccata, tum in „ quotidiano sermone, tum in contrahendis re- „ bus, vitentur: in quo nihil difficilius & opero- „ sius quàm mendacium effugere, præsertim si „ quid falsi persuadere velis. Ad hanc rem miri- „ ficas opportunitates habet nostra de æquivocis „ doctrina, ex qua licet ambiguis uti verbis, effi- „ ciendo, ut ea audientes alio sensu accipiant „ quàm tu ipse intelligas, ut docet Sanchez *Oper.* „ *Mor.p.2. l.3.c.6. n.13.* Isthuc quidem jam nove- „ ram, inquio. Tum ille: Sic nos, ait, hoc disse- „ minavimus, ut nemini jam sit incognitum. At „ ubi verba æquivoca non suppetunt, scin' quid fa- „ cto sit opus? Neutiquam, dixi. Nec miror, in- „ quit: id enim planè novum. Hoc illud est restri- „ ctionum mentalium artificium, &c. „

I. *Locus Paschalis, epist 9.*

Ut plena hæc festivitatis ac deliciarum est oratio! Nihil, nisi veritas, deest. Nam si Pa-

schalis hoc loco ambiguis verbis aut mentis restrictione usus non est, oportet illum ter aut quater, minimum, ut postea videbitur, mentitum fuisse. Hæc materia digna curiosis & eruditis auribus est; ac ferè paucis, ut par est, nota. Congeram quidquid afferri in utramque partem validissimum poterit: nulli enim me addico sententiæ.

L. de abusu restrict. ment. c. 12.

Non omnium primus Provincialium auctor Jesuitis hac super re litem movit. Malderus Antuerpiæ Episcopus librum Calvinistæ cujusdam editum jam ab anno 1609. citat, & refellit, qui sic inscribitur: *Aphorismi, vel Summarium doctrinæ* Jesuitarum, *& aliorum aliquot Ecclesiæ Romanæ Doctorum.* Quo in libro quæ hic a nobis modo attinguntur obiter, fusius pertractantur. Quamquam nihil inde in gratiam Societatis præjudicatum velim. Abjecto quippe omni præjudicio, res, ut in se sunt, libet solas expendere; idque aperire unum, quantum difficultatis insit ut verum in hac materia dispici ac secerni a falso queat.

II. *Quid sit amphibolia: quid mentis restrictio.*

1. Quamvis in præsenti negotio promiscuè accipiantur ut plurimum & ambiguitas sermonis & mentis restrictio; discrepant tamen. Ambigua propositio dicitur ea, cui subsunt varii sensus, & quæ ita effertur, ut prævideas accipiendam esse ab eo qui audit, aliter ac ipse tacitus accipis. Patet exemplum in illo Abrahami ad Ægyptios responso, quo sororem suam Saram edixit: prospiciebat quippe hanc *Sororis* appellationem alio trahendam atque in animo habebat. Vocatur *Restrictio mentis*, cum propositio falsa est, prout effertur: fieret autem vera, si restrin-

ſtringeretur & circumſcriberetur aliquot vocibus adjectis, quas retineo mente & occulto. Puta mutuam petenti a te pecuniam reſpondes: *Non ſuppetit*; falſum dicis. Adderes, *quam tibi mutuam dem*; tunc vera exiſteret propoſitio.

2. Latet proculdubio in his sive amphiboliis, sive mentis reſtrictionibus alienum neſcio quid, ſaltem prima fronte, a candore & ſimplicitate ſermonis; imo etiam abſonum & contortum. Ut ut eſt, ii quorum res hac in concertatione agitur, pro jure ſuo id exigere a Lectore poſſunt, ſuum ut judicium ne prius ferat, quàm momenta rationum utrimque perpenderit. Hoc igitur illis concedamus.

3. Mendacium nulla occaſione eſſe licitum conſtat apud Doctores Catholicos omnes, utpote malum per ſeſe; quod nulla proinde ratio vindicare a peccato poſſit.

4. Admiſſo ſemel illo, quod ſartum tectumque haberi debet, principio, ortæ ſunt deinceps in Theologicis rebus difficultates plurimæ, quoad ea quæ vel agenda in certis circumſtantiis forent, vel explicanda occurrerent in Sacris Litteris. Incidunt enim eà ſæpe tempora, in quibus certo quodam modo loqui oporteat, qui modus conciliari cum ſinceritate vix poſſit. Quod ad Scripturam attinet, si Deus in ea loquens inducatur aut Cælites; in iis vel mendacii umbram ſuſpicari piaculum eſt. Quin, eadem Scriptura, dum virorum aliquorum verba refert quos laudat, & velut Dei ſervos pietate præſtantes exhibet, quidquam notare in iis alienum a veritate, durum prorſus eſt. Tamen hujus utriuſque generis loci occurrunt in quibus explican- III. *Vnde nata quaſtio de uſu amphiboliarum & reſtrictionum mentis.*

dis

dis & interpretes & Sancti Patres negotii plurimum habuerunt.

5. Hæc gemina difficultas, si abfuisset, nunquam, opinor, quæsitum foret, an ambigui & restricti sermonis usus licitus sit: eadem tamen fuit in causa, cur plurimi tũ Theologi, tum Scripturæ & Canonum Interpretes cujuslibet regionis & Scholæ, usum hunc necessarium esse contenderent: quem tamen longè angustioribus terminis circumscripsere, quàm volunt ii qui per calumniam adversarios hic insectantur. Quicumque enim ea fusiùs disseruere Doctores, non omittunt monere & quam proclive sit iis quæ in eo genere dicuntur, abuti, & ut evitetur error vehementius hortari.

6. Quoniam difficultates, quarum mentionem feci, præcipua sunt eorum argumenta qui stant ab illo usu; contra vero qui eundem oppugnant, non aliis ad eum labefactandum validioribus utuntur telis, quàm consecutionibus, quæ ex eo videntur deduci: id modo agimus, ut eas difficultates istis consecutionibus opponamus, & suis utrasque momentis expendamus, nulla re dissimulata, quæ robur & pretium alterutris possit arrogare. Expendendum erit deinde, utrum Sanchez Jesuita, in quem nominatim acerbiùs invehuntur, corruptæ doctrinæ reus sit, ut jactant: utrumne agant justè cum illo ejus accusatores, an secus.

IV. *Argumenta quibus oppugnatur ille usus.*

Ac illi quidem qui omnem usum amphiboliarum & mentis restrictionum condemnant, his præcipuè rationibus nituntur.

Primo, mendacia planè esse, quamvis induta tectorio quodam & larva Veritatis. Idque patet,

tet, inquiunt, si modo exponatur ipſa vocum ejuſmodi ambiguarum natura, sive hanc generatim, sive singillatim in certis exemplis ſpectes. Hinc enim omnino planum fit meras eſſe cavillationes & argutias, eam ob rem conſultò inventas, ut in animum inducat quiſpiam ſe minimè mentiri, vel cum maximè contra mentem loquitur.

Deinde nihil his loquendi rationibus effici aliud, quàm ut impellantur in errorem ii quibuſcum colloquimur.

Tolli præterea vitæ civilis ſocietatem. si enim qui me alloquitur perſuaſum habet ambiguas voces & mentis reſtrictiones mendacia non eſſe, utrum ſcio ego, an non tunc temporis eas uſurpet, quo tempore videtur loqui ex animo & perquam sincerè?

Præterea Scripturæ & Patrum locos, quibus lingua menſque duplex ut deteſtabilis & execranda deſcribitur, & virtus huic vitio diverſa collaudatur, pugnare profectò contra iſtas dubiæ atque ancipitis significationis propositiones, quæ audientis in animo ingenerant cogitationem illi omnino absimilem, quam velle videor ipsi manifeſtam facere. Ut verbo dicam, ignotas penitus antiquis, & novas eſſe captiones iſtas atque ſubtilitates.

Ea ferè ſunt quæcumquè jactantur vulgo adverſus amphibolias & mentis reſtrictiones. Afferamus jam earum in defensionem quæ ex altera parte opponuntur. V. *Argumenta quibus propugnatur.*

Ac primo quidem Theologi & Canonum Interpretes quamplurimi, qui, re diu multumque conſiderata, nequeunt adduci, ut ſermonis ambi-

bi-

biguitas omnis omnino prohibeatur, ejusque usus planè interdicatur; iidem, inquam, fatentur ultro se istis rationibus vehementer commoveri. Quin, iis etiam cederent ac manus darent, si cõfingi ratio posset aliqua potior, qua vitarentur difficultates & incommoda, quibus si mentis penitus restrictiones tollantur, humana vita, ut vivitur, laborabit.

Addunt favere sibi Virorum Sanctorum auctoritatem, qui eas certis in occasionibus usurparunt, in quibus id neque a Scriptura neque ab Historia Ecclesiastica vitio ipsis vertitur; imo & a viris aliis, itidem sanctitate insignibus, laudi datur. Ab hoc postremo capite & argumento exordiamur.

VI. *Loci Sacra Scriptura, petiti ex veteri Testamento.*

Cum multa ex veteri Testamento exempla suppetant, factum Abrahami inpræsentiarum, instar reliquorum esto. Coactus Patriarcha ille sanctissimus, urgente fame, in Ægyptum secedere; & veritus ne vel Rex, vel aliquis alter indigena, captus Saræ uxoris suæ pulchritudine, sibi moliretur necem; ut imminenti se periculo subduceret, sic eam est allocutus. *Dicturi sunt*, inquit, *uxor ipsius est, & interficient me, & te reservabunt. Dic ergo, obsecro te, quod soror mea sis.* (*Genes.* 12.) Res uti animo prospexerat, ita evenit. Interrogati responderunt ambo sicut inter ipsos convenerat; & *Sororis* ambigua vox, quæ duplicem in ea regione sensum obtinebat, iis saluti fuit. In easdem conjectus angustias idem Abrahamus Gerari in Palæstina eodem se modo expedivit.

Paternum secutus exemplum Isaacus evasit incolumis, cum eodem in loco Rebeccæ conju-

gis

gis causa in simillimum periculum incurrisset. *Cumque interrogaretur a viris loci illius super uxore sua, respondit: Soror mea est. Timuerat enim confiteri quod sibi esset sociata conjugio, reputans ne fortè interficerent eum.* Neuter ob eam rem a Deo vel castigatus verbis, vel multatus pœna fuit. Idque tum accidit, cum numerosam iis Deus progeniem adpromittebat. Quid quod eosdem singulari patrocinio ac tutela fovet; tametsi vitandæ necis causa viam hanc ineant, quæ tam iniqua jactatur esse: & quæ aliena tantopere fuisset a reverentia summo vitarum nostrarum moderatori ac domino debita, tam injuria ejus bonitati & potentiæ, in quibus illi Sanctissimi Patriarchæ tantum præsidii positum sibi esse non ignorabant? Genes. 26.

Adeò non autem viros illos sanctos Augustinus vituperat, ut potius partes eorum adversus Faustum Manichæum, qui suæ se correctorem & emendatorem ætatis profitebatur, acriter propugnet. Negat Abrahamum ea occasione mentitum fuisse, licet revera ejus, quod ab ipso quærebatur, dimidiæ tantum parti, nullatenus vero ad mentem interrogantium responderit. *Neque enim utrum ejus uxor esset interrogatus, non esse respondit: sed cum ab eo quæreretur, quid ei esset illa mulier, indicavit sororem, non negavit uxorem. Tacuit aliquid veri, non dixit aliquid falsi.* Lib. 22. contra Faustum c. 33.

Paulo infra excusat Isaacum, sicuti & superius Abrahamum. *Quid mirum, inquit, aut quid pravum, si imitatus est patrem; cum eàdem justitia defendatur qua pater ejus de simili objecto inculpatus inventus est?* Idem Sanctus Doctor Cap. 46.

mul-

multis scriptorum suorum locis pari modo ea de re disserit. Sed proferamus aliqua Sanctorum, qui Christianæ legis tempore floruerunt, exempla.

VII. *Exempla SS. Athanasii, Felicis, Fulgentii, &c.*

Omitto Sanctum Franciscum, qui rogatus an hominem, qui ad necem ob homicidium factum quærebatur, prętereuntem vidisset, respondit, inserta in manicam manu: *Hac non transiit*: quod fortasse viri, emunctæ scilicet naris, quales ii sunt quibuscum congredimur, aniles inter fabulas recensuerint.

Illustre est Athanasii exemplum, & notius quàm ut egeat hic fusius explicari: cum scilicet secundo Nili alveo delatus, manus eorum effugit, a quibus, Juliani jussu missis, erat comprehendendus.

Hæreo in aliis duobus non tam decantatis. Alterum est Sancti Paulini: alterum Sancti Fulgentii, qui ambo doctrinæ Augustinianæ miratores & præcones extiterunt: quorum si testimonia cum eo conjunxeris, quo Doctor ille Sanctissimus Abrahami & Isaaci agendi rationem in iis, quas descripsi superius, circumstantiis approbat, argumentum sanè validum conflabitur in gratiam Theologorum, præsertim cum eos oppugnant qui se Augustini esse discipulos ubique prædicant.

Natal. 5. Sanctus Paulinus in brevi carmine quod conscripsit in honorem Sancti Felicis Nolani, narrat eum a Paganis, ob Fidei Christianæ confessionem & causam, ad necem ipsum deposcentibus jam jam comprehendendum, oculos eorumdem fefellisse; Deo, ne agnosceretur, efficiente, non sine insigni potentię divinę miraculo. Cumque

que ab iis interrogatus fuisset ipse, ubinam lateret Felix, ubi degeret: Illum, re cognita, & intellecto miraculo, respondisse: *Quem quaritis, Felicem ignoro*: eosque sic, omisso illo, præteriisse.

Persensit & ipse faventis
Consilium Christi, ridensque rogantibus infit:
Nescio Felicem, quem quaritis. Ilicet illi
Prætereunt ipsum.

Sanè si Felix mentitus tunc esset, male profectò esset meritus de Christo ita de se benemerito. At si mentitus non est, quid superat aliud, nisi ut ad ancipitem, quæ in Felicis nomine latet, significationem recurratur, vel, si magis juvat, ad mente conceptam restrictionem? aliter enim non videtur mendacio liberari posse.

Verum nulla potest esse pura magis putaque amphibolia, quàm quæ a Sancto Fulgentio est usurpata. Legitur illa in ejus vita per Ferrandum Diaconum ejusdem discipulum scripta, & Episcopo Feliciano, qui Fulgentio in Episcopatu Ruspensi successit, dicata. Testatur Ferrandus Sanctum Fulgentium adhuc Monachum, cum in Africa Catholicum nomen dirè vexatum cerneret, id cōsilii cœpisse ut adiret Ægypti Solitarios, de quibus mira quædam audierat. Iter habuit per Siciliam, & Syracusas appulit, qua in Urbe Christianam rem Eulalius Episcopus, monasticum institutum adhuc aliquo pacto retinens, administrabat. Ille Fulgentium in Monasterio, sicut cæteros solebat advenas, hospitio excepit. Uno & altero congressu raram hospitis sui virtutem facile deprehendit, causasque ne celaret, propter quas decederet ex Africa, etiam atque etiam rogavit. Ful-

Fulgentius, (ut ait vitæ ejus Scriptor) inanem gloriam veritus, si itineris sui in Ægyptum veram & germanam causam proderet, his ita verbis percunctantem elusit: *Parentes meos requiro, quos illis in oris vivere peregrinos audivi.* Cũ suboluisset Episcopo latere obscuri aliquid in tali responso: quin etiam persentiscens quid sibi vox ambigua vellet, rescivit ab altero Monacho, qui forent illi quos Fulgentius *parentes suos* vocaret. Unde cum se deprehensum comperisset Fulgentius, fateri quod res erat coactus est. At, inquit Historicus, *parentum nomine donare eos poterat, quorum vellet exempla imitari.*

Sanè vel nulla est usquam, vel hæc mera amphibolia est: cum loquendo præ se ferret Sanctus Fulgentius, se nativa ac genuina significatione vocem hanc, *parentes*, accipere, traducebat illam ad eos qui parentes ipsius in Christo futuri essent. Neque minus hanc vocem, *peregrinos*, in alienum a vero & proprio sensum accipiebat; eà significans homines illos solitarios, quasi qui peregrinarentur in hoc terrarum orbe, & ad cælestem patriam tanquam terminum, in dies singulos progrederentur.

Augustinum igitur videmus Abrahami & Isaaci facta comprobantem, Paulinum Sancti Felicis. Habemus etiam Athanasium, Sanctum Felicem ipsum, Fulgentium: quorum omnium manifesta auctoritate vocum ancipitum usus, ac mentis restrictionum fulcitur. Quo in genere nihil admodum requiri amplius videtur posse ad probabilem conflandam opinionem.

Tamen Theologi illi, quorum hic sententiam propono, validius adhuc quidpiam ad probandum

dum suppetere sibi autumant. Negant usum ejusmodi restrictionum & ambiguitatum posse prudenter damnari, nisi attendatur prius ad certa Evangelii loca, in quibus apertè videntur cōtineri. Quid enim est, inquiunt, ambiguitas, de qua hic agitur? Nempe verbum anceps, aut propositio constans vocibus ambiguis; quam qui edit, aliter atque ipse intelligit, ab audientibus accipiendam prævidet. Porro ejusmodi propositionum exempla duo in Evangelio disertè leguntur.

VIII. *Loci è novo Testamento petiti.*

Joannis cap. 11. ait Christus Discipulis: *Lazarus amicus noster dormit; sed vado ut a somno excitem eum*. Patet hanc propositionem ambiguam esse. Constat etiam ab Apostolis nativo sensu fuisse acceptam. *Dixerunt: Domine, si dormit salvus erit*. Nec minus liquet prævisum a Christo fuisse, eam ab illis hunc in sensum acceptum iri. *Dixerat autem Jesus*, inquit Evangelista, *de morte ejus: illi autem putaverunt quia de dormitione somni diceret*. Alterum exemplum habetur capite 2. ejusdem Evangelistæ, in quo Christus Dominus ita Judæos compellat: *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*. Ita de corpore suo Christus: Judæi vero, ut ex ipsis verbis proclive erat suspicari, de Solymæ templo dictum existimarunt. Nemo putet id Christum voluisse ut Judæos a quibus audiebatur, in malum aut errorem induceret. Sed hoc nihil ad rem. Fatemur enim, inquiunt Theologi, inesse peccatum iis vocibus ex ambiguo dictis, è quibus oriri quidpiam in alium detrimenti posset; iisque pariter, quibus eos, qui audiunt, studeret aliquis incautos deducere in errorem.

Quid quod in ipso Evangelio restrictiones mente conceptas deprehendunt, easque non ratiocinando erutas, non collectas disputando, sed in ipsis positas verbis, ut apparet, & sponte sua oblatas.

Capite Joannis 7. *Dixerunt ad Jesum fratres ejus : Transi hinc , & vade in Judeam* . Jesus respondet. *Vos ascendite ad diem festum hunc: Ego autem non ascendo ad diem festum istum . Hæc cum dixisset* , subjungit Evangelista , *ipse mansit in Galilæa* . Ut *autem ascenderunt fratres ejus, tunc & ipse ascendit ad diem festum, non manifestè, sed quasi in occulto* . Propositio ista *: Non ascendo ad diem festum istum*, falsa est, verba ipsa si spectes: at si vocem *manifestè*, quam Christus tegebat mente, adjungas, vera efficitur.

Non sum nescius quæ fuerit super hoc loco censura Criticorum , propter varietatem scilicet Græcorum manuscriptorum . At vicissim perspectas habeo rationes firmissimas & gravissimas, quibus planè veram esse Vulgatæ nostræ lectionem evincitur . Addo locos præterea duos, quibus finem probationibus imponam , quas Theologi è Sacris Codicibus ad confirmationem sententiæ suæ hauriunt.

Depromitur alterum ex cap. Marci 13. ubi Christus Dominus descripto rerum terrifico apparatu, quæ extremo Judicii die contingent, addit: *De die autem illo vel hora nemo scit , neque Angeli in Cælo , neque Filius, nisi Pater* . Fide tamen cōstat Dei Filium hujus re ipsa dici conscium fuisse. Hinc a primis Ecclesiæ sæculis Agnoëtæ hæretici habiti sunt, qui hoc negarent. Quin id nominis a Græcis accepere, ut eorum

error

error in eo, saltem magna ex parte, situs indicaretur, quòd hanc Dei Filio ignorantiam affingerent. Conati sunt Ariani quoque hoc adversus Catholicos Scripturæ versu abuti. Sed a Patribus omni studio atque animi contentione sunt refutati.

Sic porrò Theologi ratiocinantur. Propositio ista, *De die Judicii vel hora filius Dei nescit*, si solæ voces attenderentur, falsa esset. Pendeat igitur veritas illius necesse est ab aliquo sensu quem his verbis Christus subjiciat, & quem ipsa verba non efficiant: hoc est, subaudiat aliquid & mente sola complectatur. Atque istud est, ajunt, quod mentis restrictionem appellamus.

Notandum autem est Patres, & Augustinum maximè, dum locum hunc interpretantur, ejusmodi restrictionis exemplum & formulam afferre illi simillimam quæ a Theologis vulgò proponitur. Si Augustinum audis, Christus nesciri a se diem Judicii professus est, non quod illum revera ignoraret, sed quod non ita sciebat, ut eum proderet ac doceret. *Ipsi Judici*, inquit, *occultum esse dictum est, non ad cognoscendum, sed ad prodendum*. *August. in Psalm. 9.*

Proferamus in medium illud, quo utuntur vulgò Theologi, exemplum, ut explicent, quid illa demum restrictio sit. Patrem meum inimicus ad necem quærit: rogat ubi sit: ignorare me respondeo. Falsa est, si spectentur solæ voces, ista responsio: verum si, non ore, at cogitatione subjungamus, *ad prodendum*, veram effecerimus, certè ad eum modum quo veram Christi propositionem Augustinus esse docet.

Demùm, pergunt Theologi, explicari nequit versus Cap. 5. è libro Tobiæ, si amphiboliæ & restrictiones mentis ad unam omnes proscribantur. Res legenti locum patebit. Tobias senior ab Archangelo Raphaele sciscitatur: *Unde te habemus? Ex filiis Israel*, Angelus reponit. Tum variis ultro citroque habitis sermonibus, interrogat rursum Tobias: *De qua domo & de qua Tribu?* Cui Raphael: *Genus quæris mercenarii, an ipsum mercenarium qui cum filio tuo eat? Sed ne fortè solicitum te reddam, ego sum Azarias Ananiæ magni filius. Et Tobias respondit: Ex magno genere es tu.*

Super hoc loco Theologi sic disputant. Si nativa vocum significatio & propositionum sẽsus spectetur, liquet ipsas esse falsas: necesse igitur est iis inesse mendacium, aut easdem ambiguitate vocum, ac sensus duplicis, quorum alter mente retineatur, beneficio defendere. Porro mendacii labem iis inurere impium sit. Superest igitur ut in illis aut reticentiam, aut sermonem ambiguum agnoscamus. Atque adeò fateamur, neque amphiboliam, neque mentis restrictionem per se malam esse, ut mendacium: sed utramvis absque peccato, certis tamen legibus temperatam, usurpari posse.

Istis adducti tum auctoritatibus, tum difficultatibus Theologi judicium suum de re, quæ prima statim fronte reprobanda videbatur, sustinuerunt: deinde vero, cum eam versassent omnem in partem, ita demum statuerunt, amphibolias & mentis restrictiones neque esse mendacia, neque omnino pravas censeri oportere: quibusdam in locis eas vacare omni culpa: esse illas de ge-

genere certarum rerum quæ fermè sunt malæ propter circumstantias, licet per sese vitio careant, fiuntque vitiosæ cum citra necessitatem ac legitimas cautiones adhibentur.

Verum, antequam ad aliud fundamentum progrediar quo nituntur Theologi, operæ pretium erit videre quid contrariæ sententiæ assertores iis, quæ dicta sunt hactenus, opponant. IX. *Responsiones & distinctiones adversariorum solvuntur.*

Vir perquam eruditus reperit quemadmodum scripto laborioso, in quo magnam doctrinæ vim collegit, insereret Dissertationem de mentis restrictionibus & ancipitum vocum usu. Hunc titulum Dissertationi præfixit: *Mendacium omne lege divina vetitum est, adeoque & restrictiones mentales, quæ sunt veri nominis mendacia.* Tum de ambiguis vocibus, perinde ac de mentis restrictionibus disserit. Congerit varia, quibus id, quod proposuit, efficiat, tum Scripturæ tum Patrum loca: multa sibi demum objicit; in iisque sunt nonnulla jam superiùs allata, nonnulla etiam a nobis intacta: quæ tamen excutiam hic, sed quasi urgendo, & solutiones quas attulit impugnando. Nihil est enim quod præsenti disputationi plus afferre lucis possit, simulque rei difficultatem magis aperire. *P. Alexand. tom. 9. p. 3. sect. 4. dist. 43. pag. 483.*

Respondet optimè Priscillianistis Pater Alexander, Abrahamum neque in Ægypto, neque apud Regem Abimelech fuisse mentitum: atque id responsi firmat, tum Divi Hieronymi, tum Augustini auctoritate. Verùm scire pervelim quo pacto Priscillianistæ cuipiam, si quis adhuc esset, responderet ita urgenti:

Auctore te restrictiones mentis & amphiboliæ mendacia sunt; Atqui purgari nequit Abra-

bamus de mendacio in eo loco, nisi usus dicatur fuisse aut ambigua voce aut restrictione. Ergo ex tuis principiis consequens est omnino Abrahamum fuisse mentitum Ita vero minorem syllogismi sui probaret Priscillianista.

Amphibolia appellatur in præsenti quæstione propositio cui subest sensus multiplex; & quam ab audiente prospicimus accipiendam in eum sensum, quem nos illi tacita mente non tribuimus, cum tamen sensus hic nativus obviusque sit: præsertim ubi eo animo talem instituimus propositionem , ut veritatem illi occultemus quam percunctando inquirit. Hæ sunt veluti notæ quibus affecta sermonis ambiguitas videtur a sinceritate recedere longiùs, & propiùs ad mendacium accedere. Atqui patet ea omnia convenire huic responso, quod quærentibus a se, utrum Sara esset sua uxor, Abrahamus dedit. Dicendum igitur est eum amphiboliam adhibuisse perfectam, & numeris omnibus absolutam.

Verum longè adhuc major triumphandi atque instandi Priscillianistę daretur occasio ex ea ratione, qua idem Doctor, Augustinum secutus, cōtendit Jacobum nihil mentitum esse, cùm paratam ab Isaaco fratri suo Esau benedictionem surripuit. Tria quippe dicit ibi Jacob quæ difficilè admodum mendacii culpa liberaveris. 1. Pater captus oculis ab eo sciscitatur: *Quis es fili mi?* Respondet Jacob: *Ego sum primogenitus tuus Esau*. 2. Addit idem: *Feci sicut præcepisti mihi*; quamvis mandati a parente nihil omnino accepisset. *Comede*, pergit Jacob, *pater mi de venatione mea*. Atqui venatus non erat: sumptos matris jussu de grege capreolos tantummodo patri apposuerat.

Ita

Ita porro hæc interpretatur Pater Alexander. Quod ad primum attinet, non mentitus est Jacob cum se primogenitum asseruit. Quid ita? quia natalium prærogativam cum lentium patina olim Esau cesserat; adeoque *primogenitus erat Jacob, si jus spectetur, non autem persona*. Ideò ergo non mentitur, arguet Priscillianista quòd ambiguè *primogeniti* nomen usurpet. Cum verò ait, *Ego sum Esau*; quoniam vox ista *Esau* perinde atque altera ista, *primogenitus*, ancipitem & geminum non habet sensum, neque indicare potest eum qui aut priore loco sit natus, aut jure præcipuo natalium & prærogativa gaudeat; necesse est ut hic mentis restrictioni sit locus: *Esau sum non re, sed privilegio: jure, non persona*.

Quod ad alteram propositionem attinet, *Feci sicut præcepisti mihi*, verum est, inquit Pater „ Alexander, si spectetur primaria intentio Isaaci: „ etsi verum non sit, si secunda & minus præcipua „ attendatur. Primariò enim intendebat Isaacus „ præceptum illud de quærenda venatione ad pri- „ mogenitum suum dirigere, ut hocce officio su- „ premam ac solennem benedictionem promere- „ retur. Secundariò autem intendebat præceptum „ illud ad Esau dirigere, quem ignarus adhuc my- „ sterii & divinæ ordinationis, primogenitum esse „ existimabat. Unde Jacob primariam dumtaxat „ patris intentionem spectans absque mendacio „ dixit: *Feci sicut præcepisti mihi*. „

Multa profectò sunt in tam perplexa & contorta explicatione, quæ Priscillianista jure carperet. Nec ipse Pater Alexander diffiteri posset, eique non concedere, ambagibus illis & circuitionibus, per quas Jacobus circumducitur, ut

falsitatem, quam præfert ejus propositio, fugiat, demonstrari saltem, si quid in ea sit veri, id non esse tribuendum obvio, quem præ se fert illa, sensui; sed cuipiam alteri quem ipsi tacitus tribuit. Ex quo, quid ad rem nostram colligatur, apparet.

„ Quoad reliqua autem verba Jacob, pergit Pa-
„ ter Alexander, verissimum erat quod dixit: *Co-*
„ *mede de venatione mea*. Hædos enim attulerat
„ Jacob in stabulo conquisitos & electos, ac nomi-
„ ne venationis cibum a se apprehensum, a matre
„ paratum, intellexit.

Ut missum nunc faciam Priscillianistam, Lector responsorum istorum judex esto. Addam unum, bona cum auctoris venia: si id perinde in me, atque ille, recepissem, ut in amphibolias & mentis restrictiones classicum canerem, discessissem prorsus ab opinione & explicatione Augustini, Theodoreti, & Gregorii. Fassus essem cum aliis absque tergiversatione, liberè ac libenter, mendacio non carere verba Jacobi plurima. Aut si Patrum illorum trium sententiam essem amplexus, ambigua verba & sensus mente conclusos una cum Theologis aliis bene multis expertes mendacii ultro admisissem. Media enim, quam terit ille, via iniri nullatenus potest. Et nemo unus non fateatur loqui pugnantia quicumque asseruerit eadem cum illo & responderit; eòque pacto negari simul & affirmari licitum esse ambiguas voces ac duplicem sensum adhibere.

Neque feliciùs explanantur ab eo quæ Angelus Raphael Tobiæ dedit responsa. *Ex filiis*
„ *Israel*. Verè, inquit, quia ex Urbibus filiorum

Israel,

Iſrael, utpote fidelium, veniebat, quorum ſibi cu- „
ra a Deo erat demandata: vel quia *Iſrael* Hebrai- „
cè idem eſt ac *dominans Deus* ... Verè etiam di- „
xit Raphael ſe eſſe *Azariam Ananiæ magni fi-* „
lium, quia aſſumpſit effigiem & formam Azariç, „
ejuſque perſonam præferebat. Prætereà Aza- „
rias Hebraicè *adjutorium Dei*, Ananias vero „
idem eſt ac *Gratia Dei*. Adde quod Angeli „
ſunt Dei filii: cum autem acceſſiſſet Raphael, „
Deo jubente, ut periclitanti Tobiæ opitularetur, „
verè illud edicere potuit: *Ego ſum Azarias* „
Ananiæ magni filius. Ita, inquam, hunc interpretatur locum Pater Alexander.

Illud ſanè non ambigitur, utrum dicta verè fuerint, quæ a Raphaele, utpote Angelo, dicta ſunt. Quod autem vera fuerint illa abſque amphiboliæ aut tacitæ reſtrictionis ope, hoc vero difficile admodum capitur. Cum enim propoſitiones illæ eatenus veræ ęſtimentur, quatenus tribuitur iis ſenſus quem præ ſe non ferunt; ſiquidem deceperunt eum a quo ſunt auditæ, neque potuerunt non fallere quemlibet, eas qui audiret; certè cenſendæ non ſunt veritatem cõtinere penes verborum quibus coaluerunt ſonum: ſed aliquid ſubintelligendum aliud, quod illius in mente ſolius inerat a quo fuerunt editæ. Quæ mera, ut jam dixi, amphibolia vel mentis reſtrictio eſt.

Juvat hic etiam referre explicationem quam alibi affert idem Pater Alexander, ſuper Marci loco, de quo paulò ſuperiùs mentionem feci. Reſpondeo tertio, inquit, Chriſtum ne- „ *Tom. 9. diſ-*
ſciviſſe diem Judicii *nobis*, *non ſibi*: ideſt, licet „ *ſert. 39.*
abſolutè ſciverit, neſcivit tamen illum, *ut nobis* „ *pag. 275.*
revelaret.

His

His nimirum omnibus Theologi, quos istæ difficultates ad verba ex ambiguo dicta & reticentiam confugere coegerunt, confirmantur in sua sententia; cum adversarios eodem demum revolvi ac recidere videant. Religiosus vir ex Ordine alio adversus ambiguæ potestatis voces certamen etiam acre suscepit, inductus in speciem, pietatis & veritatis studio (ita enim in eo quem edidit libro prædicat) sed amarissimo felle opus infectum quisquis legit, videt. Is aliam iniit viã, vel potius aliis, atque Pater Alexander, utitur vocibus, ut iisdem se nodis evolvat. In primis ubi locum Marci attigit, ait verè Christum affirmasse nesciri à se diem judicii; id quippe dixit *in sensu præciso & formali*, *in quantum erat purus homo*.

Ne litem ipsi moveamus super hac locutione planè Nestoriana, ab eo quæritur. 1. An non hæc propositio, quoad voces, falsa sit: *Filius nescit diem Judicii?* Secundo an non his verbis vera evadat, quibus sensus formalis & præcisus designatur: *in quantum purus est homo?* 3. An non verba ista in Christi mente inessent, dum talem propositionem institueret, abessent vero ab ipsa propositione? Hæc si ita se habeant, verba ejusmodi dicta in præciso sensu, quem non exprimunt, puram putamque efficiunt mentis restrictionem. Neque enim debet illud animo excidere, restrictionis nomine propositionem intelligi, quæ, si secundum voces accipiatur, falsa sit; neque veri habeat quidquam, nisi propter vocabula quædam alia quæ loquentis in mente asservantur. Nihil eorum porro hic deest. Quid igitur agit Scriptor ille, nisi ut restrictionis no-

men

men in aliud vertat, nempe in *sensum formalem & præcisum?* Eodem item ferè modo ratiocinatur de exemplo Jacobi, Raphaelis, & oratione Judithæ ad Holofernem.

Occurrit vero istud perlepidum, quod, si sensum illum *formalem & præcisum* loco *amphibolia & restrictionis* ponas, idque fatearis illum impunè posse adhiberi; omnia inde oriantur incommoda, quibus amphiboliæ restrictionesque laborare dicuntur. Easdem quippe consecutiones indidem, veras an falsas, derivabo. Dicam figmentum illud esse novæ morum doctrinæ: ejus formalis sensus ac præcisi beneficio futurum ut omnia mendacia prætexantur. Nemo est cujus non sint dotes variæ, vel, ut in Scholis loquuntur, variæ qualitates & formalitates, in quibus sensus formalis ac præcisus fundabitur. Ita, cum mercatorem alloquar, nescio an mihi responsurus sit, ut est mercator, an ut Civis Parisinus; utrum quà pater, an quà homo est. Cum enim ad tollendum mendacium non minus valeat sensus formalis & præcisus quàm verbum ambiguè positum; jure dubitavero, an qui loquitur mecum, eo utatur sensu. Sic ruit omne civilis vitæ commercium; sic duplicitati ac dissimulationi jus datur; sic nemo unus reperietur cui credere, in quo cuiquam fiduciæ quidquam esse possit.

Non is sum qui Patrem Alexandrum, sive probitas morum spectetur, sive eruditio, comparem cum altero illo Scriptore qui sua improbitate iis, adversus quos debacchatus est, honori fuit. Quippe non multo post ab Ordine suo descivit, comprehensusque, & alias sanè ob causas,

ſas, quàm quòd reſtrictiones inter loquendum adhibuiſſet, in cuſtodiam datus fuit.

Verum affirmare auſim Patris Alexandri reſponſa nihilo plus habere virium iis quæ iſte profert; pertinere eodem utriuſque principia. Quod si abſque peccati labe poteſt quis ſermonem habere qualem habuit Jacobus cum *Iſaaco*; si citra mendacium capreoli duo Seni *oculis* orbato appoſiti venationis nomine appellari poſſunt; si licet aſſerere captos inter venandum eſſe qui ex grege ſumpti fuerint; si natu major dici potes, cum sis minor; si sic aſſeverare: *Ego ſum Eſau; feci quod præcepiſti*; cum tamen neque sis Eſau, neque juſſus facere quidquam fueris: si hęc, inquam, omnia licitè, citra mendacium & peccatum, sicuti docet Pater Alexander, potuit Jacob præſtare, eo quod inter reſpondendum alias significationes tribueret his vocibus *natu majoris, Eſau, & venationis*, quàm interrogando Iſaacus intelligeret, & intelligunt ii omnes quorum in ore voces illæ ſunt; contendo ego ex hac ſemel admiſſa probatione eadem ſecutura incommoda quæ ex formali ſenſu & præciſo; & poſito eo principio, parvi admodum referre, utrum quis culpa & mendacio liberetur in gratiam ſenſus formalis ac præciſi, an potius ambiguitatum beneficio & mentis reſtrictionum, aut alterius cujuſvis rei ope ac præsidio; quocumque illam nomine donare libuerit Patri Alexandro ad ſyſtema ſuum ab aliis Theologorum ſyſtematis ſecernendum. Id argumenti non proſequar modò fuſiùs: dabit ſe poſtea ejus retractandi & repetendi locus.

Progrediamur ſanè ad alterum fundamen-

tum,

tum, quo nituntur ii qui certis oblatis occasionibus licere contendunt uti reticentia & amphibolia. Certi sunt casus in quibus solvendis Theologi laborant. Satis erit si unus & alter à nobis in medium proferatur.

Alterum fundamentum quo nititur doctrina de usu licito amphibolia & restrictionis.

1. Admissus aliquis ad Consilia Regia, Principis arcanum fidei suæ commissum habet. Hoc si retegat, imminet dira toti Regno vastitas, ruina templis, Religioni veræ excidium. Interrogatur ille ab altero, quem partium alienarum emissarium, vel patriæ proditorem novit, homine cæteroquin vafro, sagace & acuto. Ita comparata res est, ut si tergiversari tantisper ac subterfugere videatur, nisi rem planè negarit, futurum sit ut assequatur proditor quod celatur. Quò se vertet alter? Hinc mentiri non licet, vel si orbis clades ac ruina impendeat: urget inde caritas patriæ ac Principi debita fides, vetatque ne illis, arcanum prodendo, certum & immane exitium consciscat. Quid capiet igitur consilii? Sanguinem quidem & vitas, si suppetant, mille impendat potiùs quàm obstrictam patriæ Principique fidem fallat. Verùm aliud ab eo res præsens postulat.

2. Sceleratus quispiam amens ac furiosus, cujus coercere impetum non valeo, patrem meum ad necem, sororem ad stuprum, Principem, quem hosti tradat, quærit. Iisdem atque ille, cujus modo memini, cui regni arcanum creditum est, premor angustiis: nisi audacter pronunciavero, nescire me; nisi edixero, *Non latet hic quem quaris*; conclamatum de illis est. Quid agam?

3. Aliquis alienum scelus, quod erat clam, ape-

aperit. Nisi dictum revocet, aguntur fortunæ, vita & fama illius quem honore spoliavit. Adit Sacerdotem: peccatum confitetur. Sacerdos renunciat, non impertiendum priùs absolutionis beneficium, quam damnum illatum resarserit. At enim, instat pœnitens, quod dixi, quantumvis occultum, nihilo tamen minùs verum est: peccabo rursùs, & mentiar, si orationem retexam. Quid consilii mihi capiendum?

4. Nihil est Sacramentalis Confessionis Sigillo sacrum magis; nihil magis inviolabile. Fingamus Confessarium positum iisdem rerum in circumstantiis, quas supra memoravimus. Solers ac versutus quispiam extricarit ab eo, si velis, imprudente nonnihil quod nullius videbatur momenti, at quod ejusmodi tamen est ut ex eo moveri suspicio sinistra possit adversus pœnitentem. Si Confessarius interrogatus hæreat; si pervagatis ac generalibus utatur responsis; nisi affirmet declaratum ejusmodi peccatum sibi non esse; facit ut augeatur suspicio, atque ulterius pergendi occasio illi præbeatur, a quo paratæ Sacerdoti fuerint insidiæ. Quid ergo tali in re Confessarius constituet?

His, inquam, exemplis aliisque non absimilibus, nec non difficultate nodos istos aliter solvendi, effectum est ut Theologi plerique contenderint, licitum quibusdam in locis esse veritatem obtegere, aut illi faciem alienam inducere, adhibitis vocibus non una significatione præditis; cum aliquis verum extorquere a nobis nulla fretus auctoritate, nullo jure nititur; cum vel nostra vel proximi refert, ut occulta veritas prematur ac lateat. Componamus jam ista inter

sese

ſeſe omnia; revocemus citata ſuperiùs loca & exempla Scripturæ, Patrum explicationes, quid Sancti plurimi egerint, quid cenſuerint ſuper ea ipſa re, quemamodum accuſatores Theologorum reſpondeant; qui dum ambiguitatem omnem ac reticentiam inſectantur, ad eam, vel inviti, revolvuntur, &, quod evertere voluerunt, aliis nominibus inductis reſtituunt ac reponunt; & iiſdem ac alii, si qua tamen ſunt, incommodis premuntur. Si qua ſunt, inquam. Qui enim ad hæc principia, ob eas quas dixi cauſas, recurrendum sibi eſſe putaverunt Theologi, iis incommodis mederi ſtuduerunt, varias cautiones prudenter adhibendo. Idque mihi, ut nihil ad rei difficillimæ intelligentiam desideretur, breviter explicandum reſtat.



DE

SECUNDA PARS DISSERTATIONIS

De ambiguarum vocum usu, & mentis restrictione.

Quæ benevolentia & æquitas fecit, ut Probabilitatis doctrinam Jesuitis tanquam peculiarem & propriam, ac veluti natam eorum in Scholis adversarii tribuerent, eadem quoque fuit in causa, cur in eos refunderetur si quid ex ambiguis vocibus, ac restrictionibus mentis, incommodi nasceretur. Quam autem falsò id accusationis in ipsos conjiciatur, quandoquidem de facto agitur, æquè facile demonstrari potest ac superius de Probabilitate ostensum est. Verum satis erit, ut arbitror, generatim id polliceri, nihil futurum negotii, nihil moræ, quin omnibus planum fiat, quæcumque super hoc argumento dicta sunt a Jesuitis, omnino ab iis, quæ illis affinguntur, discrepantia; ea, inquam, non solùm niti rationibus auctoritatibusque hactenùs prolatis, verùm etiam principiis antiquissimorum ac celeberrimorum Juris Civilis & Canonici Consultorum, & cujuslibet Scholæ Theologorum. Legatur modò quod ante Jesuitarum Theologorum tempora celebris Navarrus scripsit; quod clarissimi Scholæ Thomisticæ Doctores, puta Antoninus, Sylvester, Victoria, Medi-

na, atque in primis Dominicus Bannes, docuerunt. Inde apparebit, quam vera prædicem.

At ne longius in hoc facto examinando progrediar, sciendum in primis est Theologos & alios qui voces ambiguæ potestatis, & mentis restrictiones certis in occasionibus tanquam licitas admittunt, cum idoneæ suppetunt rationes; dissidere tamen inter se, dum discrimen mendacii a mentis restrictione assignant. Exemplum habe in Confessione & Confessario. I.

Quonam pacto restrictio mentis, mendacium non esse vulgo doceatur.

Fatentur omnes Confessarium interrogatúm, utrum pœnitens commiserit peccatum aliquod, declararitve inter confitendum (si aliter sartam tectamque arcani fidem servare nequeat) absque noxa posse respondere: *Ignoro an fecerit*; vel, *Id mihi non aperuit*; licet aperuerit revera: omnesque adeo consentiunt eum tunc nequaquam mentiri. Quæritur quare ita sit, cum responsum, si verba spectes, falsum sit & a dicentis mente alienum.

Contendunt aliqui immunem esse mendacii Confessarium reticentiæ beneficio, quòd dicat intra se tacitus: Hoc non aperuit peccatum, *ita ut possim aliis prodere*. Vera est hæc propositio, inquiunt, nec ei opposita quæ exteriùs effertur, & quæ dimidia tantum pars illius est: unde mendacii subest nihil. Mendacium enim in sola vocis cum mente pugna situm est.

Alii nimis hoc subtile esse dictitant: & quamvis ita cogitet secum Confessarius; tamen, si nihil sit aliud, non vacare mendacio ejus responsum. Tolli autem mendacium idcirco, quia is, cui Confessarius respondet, *Non aperuit mihi tale peccatum*, prudenter potest ac debet existima-

mare responsi illius sensum esse istum: *Non sic aperuit, ut tibi illud edicam*. Cum ergo propositio Sacerdotis accipi hunc in sensum debeat, ut prudentia monet, ab interrogante, sicuti ab eo intelligitur qui enunciat; nihil mendacii tegit. Ex quibus sequitur utramque explicandi rationem in praxi eandem esse, ac eodem pertinere; & quæstionem inter Thologos istos moveri merè speculativam: hanc scilicet, quid sit quo tale responsum mendacii culpa liberetur.

Quod de Confessario dico, transferas licet ad res alias, sive de arcano gravi agatur, sive de Judice, qui juxta juris leges & formulas non interrogaret, vel absque auctoritate & legitima potestate. Eademque ratione de sexcentis quæstionibus ad mores spectantibus judicandum.

Theologi è Jesuitis plerique, atque in primis Azor & Laymannus, stant ab opinione hac postrema, quæ simpliciter & rationi magis videtur esse consentanea: sed quæ morum integritati nihilò minus, quàm altera, obest prodestve.

Hanc etiam partem amplectitur eruditus Episcopus Antuerpiæ Malderus in opusculo quod eo de argumento scripsit.

II. *Opinio P. Condreni.*

P. Condrenus sapiens ille Oratorianæ Familiæ Generalis, aliud Systema proponit satis huic affine. Illud legere est in Enchiridio, quod de ambiguitate vocum in lucem edidit, rogatu Cardinalis Richelii; dum, ut vero simile sit, disputatio ea de re vehementius agitari cœpisset.

„ Tria statim principia ponit. Primum, inquit,
„ illud statuendum est, mendacium peccatum esse:
„ alterum, fidem commissi nobis arcani servan-
„ dam, quam qui fallit, & Deo & hominibus invi-

sum

ſum eſſe: tertium, quædam exiſtere, vera illa ,, quidem, quorum tamen cognitio sit aliis, interdum Reipublicæ, imo etiam nobis, nocitura; ,, quæ ne aperiamus, etsi rogati, lex caritatis ,, vetat. ,,

Noſtrum eſt inveſtigare (pergit ille) quonam ,, pacto caritati simul & fidelitati ſatisfacere sic ,, poſſimus, ut mendacium effugiamus: siquidem ,, patet nullam unquam peccandi neceſſitatem afferri nobis poſſe, ac divinam voluntatem exquirentibus ſuppetere ſemper certas vitandi peccati rationes, quas rimari diligenter noſtræ ſunt ,, partes. ,,

Prima ratio eſt, ut reſponſum negemus... ,, Hæc ratio maximè omnium eſt sincera: verùm ,, adhiberi ſemper & universè nequit. Fieri enim ,, poteſt, ut noſtro silentio res, quę tacenda eſt, proderetur. ,,

Altera ratio eſt, ut interroganti reſpondeamus callidè quidpiam diverſum ab eo quod petitur. Sic Divus Athanasius Juliani milites, a ,, quibus quærebatur, elusit. Verùm iſta ratio, uti ,, ſuperior, valere generatim, & ubique uſurpari ,, non poteſt; quia &c. ,,

Tertia eſt, veritatem aliqua figura occultare: ,, quales vulgò ſunt hyperbolæ, ironiæ, amphiboliæ, antiphraſes, vocabula dubiæ multipliciſque ,, poteſtatis. Hoc enim inter Doctores convenit, ,, figuras immunes peccati eſſe; nimirum si, ut par ,, eſt, adhibeantur: hoc enim ita eſt intelligendum. ,,

Prudens ille Rector morum de his omnibus quàm ſapientiſſimè diſſerit. Ex quibus colligit tertium iſtum modum nec univerſalem, nec vi-

tiosum minus reliquis esse, eundem sæpe inutilem, videri simplicitati contrarium, multis in occasionibus non vacare culpa. Ipse, repudiatis omnibus iis quæ ad vitandum mendacium fuerunt inventa, litem sic demum secat.

„ Hinc omnis, inquit, oritur difficultas quod
„ mendacium cum fictione confundatur, & odio-
„ so medacii nomine comprehendantur quæcum-
„ que veri species ac similitudines usurpari jure
„ possunt, nulla justitiæ, caritatis, simplicitatis, aut
„ alterius virtutis cujuslibet lege violata: & quas
„ usurpare multis in locis omnino debemus, ut ju-
„ stitiæ ita præcipienti, ut caritati morem gera-
„ mus . . . .

„ Plenæ sunt fictionum ejusmodi Sacræ Litte-
„ ræ, quas religiosa veneratione debemus excipe-
„ re, reprehendere non possumus. Sed ne quis ra-
„ tione illa, tametsi verissima & æquissima, utatur
„ perperam, quædam sunt observandæ regulæ.

„ 1. Non licet fingere, aut speciem ullam ve-
„ ritatis præbere ad fraudem alicui objiciendam
„ vel errorem; nisi è re illius sit, aut is qui fingit
„ hominem fallere pro suo jure possit, nisi licitæ
„ cujuspiam & innocentis oblectationis causa in-
„ tercedat, aut aliqua demum alienæ utilitatis ra-
„ tio idonea. Sic Archangelus Raphael è Tribu
„ Nephtali se finxit esse, idque Tobiæ persuadere
„ studuit, nominato patre suo Anania quodam;
„ quæ vera procul dubio non erant . . .

„ 2. Cum jus est fallendi alterius. Ita Judi-
„ tha Holofernem decepit ac interemit: ita Jacob
„ fucum patri fecit, seque primogenitum ipsius es-
„ se finxit: erat enim jure, etsi non re.

„ 3. Cum id fit oblectandi animi causa, in lo-

co

co tamen. Ut enim justa sit oblectatio, conti- „ nua nō debet esse, sed accommodata necessitati: „ tumque fictio innocua esse debet. Multa simi- „ liter alia sunt quæ fingendi jus præbent: in quo „ illud semper cavendum, ut ne quid contra „ æquitatem, caritatem, aut aliam virtutem pec- „ cetur. „

Sub hæc Pater Condrenus nonnulla sibi objicit. Ut omnis, inquit, dubitationi locus præci- „ datur, satisfaciendum iis est, qui contendunt, Fi- „ ctionem omnem mendacii labe inquinatam es- „ se. Nituntur duplici fundamento. „

Primum est, Scripturam Sacram mendacium „ planissimè condemnare. Respondendum, ab ea „ fictiones justas & rationi consentaneas, quarum „ mentionem fecimus, mendacia non vocari, ne- „ que ullo in loco vituperari; sed eas tantum quæ „ legitimæ non sunt, & quæ vulgo cum justitia, ca- „ ritate, aut alia quapiam virtute pugnant. „

Alterum est, veritatis quoddam quasi vecti- „ gal homini ab homine deberi. Quod equidem „ non diffiteor, modò justitiæ caritatisque jura sar- „ ta & tecta sint: item ut eatenus hoc intelliga- „ tur, quatenus alicui veritas aperiri vel potest, „ vel debet; quatenus eadem neque nobis, neque „ aliis aliquid damni creat. Aliter enim non ma- „ gis alteri veritatem noxiam detegere licet, „ quàm ensem furioso tradere. „

Tertium, voces cogitationum signa esse na- „ turalia: itaque peccari contra naturæ legem, „ cum voces a mente dissident. Respondendum, „ voces signa esse voluntaria & libera, non tam „ cogitationum, quàm voluntatum nostrarum: „ quæ sic homini data sunt a natura, ut eadem il- „

„ lius arbitrio sint permissa, quibus, prout recta
„ ratio monstraret, uteretur...
„ Concessum est homini jus, imo & imposita
„ lex tutandi sui, rei & famæ defendendæ, tum suæ,
„ tum alienæ; idque non manu tantum, sed etiam
„ voce: quemadmodum vetitum illi est nocere
„ verbo non minus, quàm facto &c.

His tota Patris Condreni sententia de præsenti quæstione continetur; in quam hæc tria licet animadvertere.

Primum, multa quæ sunt in quotidianæ vitæ usu commercioque salebrosa & impedita, hoc pacto complanari & expediri. Cum enim sic distinxeris fictionem a mendacio, & ad fictionem licitam propositiones omnes, & respõsa revocaveris, quæ fiunt, ut jura justitiæ, fidei & caritatis defendantur; tunc omnia evadunt prona & proclivia; evanescunt difficultates & rationes ob quas ad mentis restrictiones & amphibolias confugiendum fuit.

Putà, Confessarius de pœnitentis peccato, subditus de Principis arcano, filius de patre, qui interficiendus quæratur, interrogati, audacter scire se negant, aut contra, ac sciunt, loquuntur. Eorum responsum vacabit mendacio, & reducetur ad licitam fictionem. Licita autem aut vetita erit fictio, prout ferent circumstantiæ in quibus usurpabitur, & prout quisque tenebitur, aut pro jure suo poterit consulere justitiæ, fidei, & caritati, tum sua in re, tum in aliena.

Alterum est, quòd nostri illi censores parem aut certè non leviorem ex hoc systemate, quàm ex tradita de vocum ambiguarum usu & tacitis restrictionibus doctrina, ansam arriperent ex-

cla-

clamandi, O tempora! ò mores! Favet enim iſta ſententia iis omnibus quibus & reſtrictio mentis & ambiguitas vocum favet; idque sine ulla circuitione & ambagibus. Deinde vero, quemadmodum fictionem licitam efficit, judice Condreno, *jus, quo quiſque gaudet; imo etiam im-* „ *poſita cuique neceſſitas tuendæ vitæ, honoris, for-* „ *tunarum, tum ſuarum, tum proximi:* quod si abeſ- „ ſet, nihil cauſæ dicit quin verum eſſet mendacium: ita fatetur, & quidem verè, defenſores amphiboliarum negare illas temerè & paſſim eſſe „ adhibendas; earum uſum faciliorem & promi- „ ſcuum in vitio ab iiſdem poni, ac duplicitatis „ quoddam genus cenſeri probis omnibus, & pru- „ dentibus odioſum, intolerabile, alienum a recta „ ratione, & ſæpenumero à juſtitia, quam aliis alii „ præſtare debemus; interdum à caritate, ac ferè „ ſemper a simplicitate Chriſtiana; futurum ut illo „ fides tum publica, tum privata convelleretur, at- „ que adeò ſocietas hominum inter ſeſe & sinceritas; nisi certis legibus licentia iſta frenaretur. „

Verba ipsiſſima Patris Condreni hęc ſunt, quibus Sycophantæ illi & Religioſorum tot virorum, Theologorum eruditiſſimorum calumniatores, nisi frontem perfricuerint, pudore deberent ſuffundi. Ut ut eſt, tamen conſtat, quoad praxim & uſum, paria ſaltem duplici iſto in ſyſtemate futura eſſe omnia.

8 Tertio denique animadvertendum eſt, quamlibet utilis ſit iſta fictionum hypotheſis, nixa viri tam ſapientis ac pii auctoritate, quantumvis conſona rationi videatur, aptaque ad explanationem locorum & factorum quæ in Scriptura leguntur, quaslibet demum habeat illecebras

ob illam quam præfert affinitatem cum recta ratione & communi prudentum sensu; non solvi ab ea tamen nisi partem alteram difficultatis; nullo verò pacto satisfacere ipsum alteri parti propter quam confugiendum sibi ad ambiguas voces, & mente conceptas restrictiones Theologi putaverunt.

Hæc porro difficultas in eo consistit. Nempe Augustino teste & aliis post ipsum Theologis omnibus, mendacii natura in eo sita est, quod loquatur quispiam contra mentem suam. Quis neget autem aliter, atq; cogitet, eum esse locuturum, qui tali utatur fictione, si nihil aliud, præter id quod verba sonant, addat? Sive enim Confessarius neget occisum a pœnitente suo hominem; sive qui Regi est a secretioribus consiliis, affirmet certam quandam Urbem a Rege non obsidendam; uterque interim aliud sentit, aliud loquitur. Igitur fictio videtur a mendacio non discrepare. Atqui, ut illam Theologi ab hac turpi nota & appellatione vindicarent, adinvenere amphiboliarum systema & mentis restrictionum, freti exemplis, auctoritatibus, & gravissimis, quæ attulimus, rationum momentis. Neque verò hujus systematis fines protendunt longiùs quàm Pater Condrenus terminos suæ fictionis protulit. Caverunt enim diligenter, ut suum systema (quod ille in suo quoque præstitit) regulis & exceptionibus, quibus præciduntur omnia, quę vitari aliter nequeunt, incommoda, quæcumque demum principia statuantur, quæcumque ineatur via, veluti obvallatum intra justos limites coercerent.

Verùm constituta semel ac demonstrata sy-

ste-

ſtematis vocum ambiguarum, aut cujuſvis alterius, cujus eadem in praxi ratio ſit, neceſſitate, paris videtur eſſe neceſſitatis aſſignare cancellos quos eidem circumdant Theologi, ut & ſententiæ illius auctores purgentur, & architecti Provincialium ſubdola improbitas in apertam lucem proferatur.

III. *DoctrinaTheologorum certis limitibus circumſcripta; quod Paſchalis ſilet.*

Ut vero probem Theologos doctrinam ſuam niſi limitibus ac temperamentis ejuſmodi circumſcriptam non propoſuiſſe, nihil opus eſt ut ſexcenta eorum è ſcriptis excerpam loca, in quo negotii mihi nihil eſſet. Satis erit ad legendi tædium Lectori adimendum, si verba Patris Cōdreni aliqua hic repetam, qui Theologos accuratè eo de argumento anteà evolverat, quàm Cardinali Richelio, a quo conſulebatur, peritiſſimo in Theologicis rebus viro, reſponderet. Defenſores, inquit, amphiboliarum fatentur eas „ non temere ac paſſim uſurpandas eſſe: illarum „ uſum faciliorem & promiſcuum in vitio ponen- „ dum; ac duplicitatis quoddam genus cenſeri pro- „ bis omnibus, & prudentibus odioſum, atque in- „ tolerabile, alienum à recta ratione, ac ſæpenu- „ mero à juſtitia quam aliis alii præſtare debemus „ &c. Ne igitur in hoc facto diutius immoremur, veniamus ad bonam Paſchalis fidem.

Satis, ut opinor, liquet quam inſulſæ ſint Scriptoris illius cavillationes & joci, cum oſtenderim quantæ difficultates in hac quæſtione oriantur, & quanti ipſa ſit momenti, quidve operæ in ea enucleanda Theologi collocaverint. Verum quam ſint eædem cavillationes flagitioſæ, intelligi ex eo modo poteſt quo is doctrinam hanc ſatagit proponere.

Se-

IV. Selegit ille nimirum Thomam Sanchem, qui hodieque in quæstionibus Juris Canonici quas pertractavit, ab Italia, Germania, Hispania, Anglia ipsa, tanquam oraculum suspicitur: hunc selegit, inquam, ex turba reliqua Theologorum, quem ludos faceret in hac, de vocum ambiguarum & mentis restrictionum usu, disputatione. Satis habuero si Paschalis interpretationem cum textu ipso illius Theologi comparem. Apponam tantum breviores notas absque operosiori argumentatione. Sic loquentem inducit Paschalis suum personatum Jesuitam, quicum ineptè jocari & colloqui amat, epistola ad Provincialem nona. Nunc illa in medium afferenda, quæ solerter excogitavimus, ut facilius peccata tum in quotidiani sermonis usu, tum in contrahendis rebus vitarentur.

Thomas Sanchez a Paschalis calumnia vindicatus.

Si Paschalem audimus miram amphiboliarum artem Jesuitis acceptam unis referre Orbis debet. Tamen, siquidem Sanchem legerat, deprehendere potuit, nihil novi admodum ab eo proferri, quippe qui se, *ex ferè omnium mente* loqui ac docere profiteatur. In eo vero, pergit Jesuita Provincialium actor, nihil difficile magis ac perplexum quàm mendacium effugere, præsertim cum aliquid falsi persuadere velis.

Num. 15.

At disertè ait Sanchez peccaturum esse eum qui ambiguis verbis eo consilio uteretur ut falleret: quando vero iis utendi occasio datur, id spectari unum oportere, ut occultetur veritas quam sciri non expedit. Ita enim loquitur, Quoties adest justa causa his utendi æquivocationibus, animus utentis non debet esse ad fallendum proximum, sed ad occultandam veritatem

quam

quam non expedit revelare. Ita ut si quis, dum „
arcanum, verbi gratia, sibi a Principe commissum, aut peccatum aliquod inter audiendam confessionem declaratum celat, spectet aliud utendo voce ancipiti, & fallere alium meditetur, peccet.

Hanc porro distinctionem,& dirigendi animi rationem Augustinus Theologos docet, cum in libro quem de mendacio scripsit, sic habet. *Culpa mentientis est in enunciando animo suo fallendi cupiditas. Neque enim* (pergit ille) *hoc est occultare veritatem quod est proferre mendacium. Quamvis enim omnis qui mentitur, velit celare quod verum est; non tamen omnis qui vult celare quod verum est, mentitur.* Non contendit itaque Sanchez, fas esse uti voce ambiguæ potestatis ad fidem falsæ rei faciendam; verum quomodo Augustinus intelligit, *ad occultandam veritatem quam non expedit revelare*. hæc enim concepta ipsius verba sunt. Sed pergat sanè Paschalis noster cum suo Jesuita.

„ Cap. 2.
„ Cap. 103.

„ Ad eam rem (nempe ut falsum aliquid persuadeas) mirabiles opportunitates habet nostra de æquivocis doctrina; qua, ut Sanchez noster tradit, licet uti verbis ambiguis, efficiendo ut ea audientes alio accipiant sensu, quàm tu ipse intelligas. „

Bona verba, mi Paschalis: nunquam asseruit Sanchez hoc licere: negat tantùm mendacii quidquam in eo esse. Quoties, inquit, verba sunt sua significatione ambigua, pluresque sensus admittentia, nullum est mendacium ea proferre in sensu quem proferens in illis vult & concipit. Porro juxta Sanchis principia discre- „

„ Num. 13.

pant

pant hæc duo admodum inter se; *Nihil in eo est mendacii*; &, *Nihil est in eo peccati*. inerit enim peccatum, licet mendacium absit, si legitimis absque rationibus inter loquendum usurpentur verba illa ambigua & plures sensus admittentia. Sic enim loquitur.

„ *Quarta regula sit*. Nullo modo licet uti
„ verbis ambiguis quibuscumque, etiamsi ex sua si-
„ gnificatione ambigua sint, id nulla causa peten-
„ te; nisi in eo sensu usurpentur quem communi-
„ ter audientes percipiunt.

Atque hanc de industria regulam statuit ut occurrat pravo amphiboliæ usui. *Hoc enim*, inquit, *victus communis hominum postulat*. Confer jam duplicem hunc textum. *Nullum est mendacium*, &, *Nullo modo licet uti verbis ambiguis, nisi &c.* cum ista Paschalis interpretatione, *Uti licet verbis ambiguis*, *&c.* Hæccine sinceritas, hæc illa fides bona Paschalis est? Petinde se ille gerit, ac si Casuista quispiam latinè dixisset, absque mendacio retegi proximi crimen posse, at licere tantum certis in occasionibus; Paschalis vero sine ulla exceptione dicentem fingeret, licere, & absque peccato retegi occultum proximi scelus posse.

Istud effatum, *Licet ambiguis uti verbis quæ alio intelligantur, alio intelligenda proponantur sensu*, ita generatim prolatum; sicuti a Sanche efferri falsò Paschalis affirmat, falsum est, & merito condemnandum. Contra verò, si exceptionibus, quas mox retuli, temperetur, nihil est hac doctrina magis pervagatum apud Theologos; nihil habet illa in praxi, quod bono publico adversetur, nihil unde emergat in humanam so-

societatem damni quidquam amplius quàm ex aliis systematis, quæ confingenda ideò fuere, ut quando celanda veritas esset, via iniretur variis incommodis occurrendi. Quàm immane discrimen igitur est inter Sanchis sententiam & ejusdem sententiæ speciem ementitam, quam lectorum suorum animis impressam Paschalis relinquit!

Idem Theologus parem cautionem adhibet, cum agit de restrictionibus mentis, quam adhibuerat in amphibolia explicanda: Paschalis verò ejus verba pariter adulterata refert, cum ita fingit loquentem: *Jurejurando potest aliquis af-* ,,
firmare, se quidpiam non fecisse, tametsi fecerit; id ,,
tacita mente intelligendo se tali die non fecisse, ,,
aut &c. ,,

Docet tantùm eò loci Sanchez cum Angelo, Sylvestro, Navarro, quos citat, aliisque bene multis minimè Jesuitis, non quidem absolutè fas esse uti ejusmodi restrictionibus, sed fas esse uti *absque mendacio*, cum suppetunt justæ causæ; simulque probat, si illæ desint, nefas id esse, ac peccati.

Quamvis, inquit num. 16., verba ad aliquem ,,
alienum sensum significandum in conversatio- ,,
ne communi, non sint mendacium contra nega- ,,
tivum non mentiendi præceptum; est tamen pec- ,,
catum omissionis contra affirmativum virtutis ,,
veritatis dicendæ præceptum, quod exigente ita ,,
ratione boni communis & civilitatis, obligat ,,
quemlibet a proximo interrogatum ad respon- ,,
dendum determinatam veritatem de qua inter- ,,
rogatur, vel de qua ortus est sermo, nisi ex justa ,,
causa interrogatus jus habeat ad veritatem in- ,,

ter-

„ terroganti occultandam. Qua in occasione celari veritatem posse absque mendacio docet allatis Scripturæ exemplis de quibus mentionem feci, & quæ a Patre Condreno ad stabiliendum systema suum de Fictione adhibentur: putà, exemplo Angeli Raphaelis cum Tobia loquentis, Judithæ alloquentis Holofernem, Christi Domini fratribus suis Hierosolymam iturum se negantis &c. Quibus subjungit idem Sanchez, etiamsi causa sic agendi subsit legitima, si quis tamen id spectet ut proximum fallat, *re bene inspecta esse mortale perjurium*.

Ex his paucis, quos è Sanche produxi, locis patet auctoris Provincialium mala fides. Perspicitur illud etiam aliud, nempe de Jesuitarum aliorumque complurium Theologorum doctrina ferri judicium non debere ex quibusdam propositionibus decisis a reliquo orationis corpore, atque ideò sic defectis, quòd seorsum sine suis certis limitibus ac temperamentis sumptæ habeant paradoxo affine nonnihil, quo illi offenduntur qui vel ignorant ista, vel inquirere & investigare non laborant. Quam multi ambiguarum vocum doctrinam horruerunt, quòd duas simul propositiones istas permiscerent, *Mendacii nihil est in amphibolia*, &; *Peccati nihil est in amphibolia*; præjudicio ducti falso, nimirum idcirco dumtaxat in amphibolia peccari, quòd mendacium ipsa sit? Tamen ex his propositionibus prima saltem est admodum probabilis, *nihil esse mendacii in amphibolia* per sese inspecta; altera, *nihil esse in amphibolia peccati*, modo vera est, modo falsa, prout ferunt circumstantiæ, in quibus illa usurpatur. Idem ferè dicas de men-

mentis restrictione. Si enim quæstionem merè speculativam a practica, ut feci, distinxeris, vix de quo disputetur superabit.

At quam multi, dum isthæc minus expendunt ac reputant, severioris ac puræ, vel laxioris ac solutæ disciplinæ nomina temerè impertiuntur iis sententiis, quas pugnare alteram alteri arbitrantur, licet re ipsa nullatenus differant. Jesuita, veneratus Augustini sententiam omni labe mendacii purgat orationem Jacobi ad Isaacum, *Ego sum primogenitus tuus Esau*, &c. nemini Jesuita non probatur. At quia negat posse aliter excusari voces istas quàm amphiboliæ ope & occultę restrictionis, satis hoc superque est, ut idem disciplinæ laxioris assecla prædicetur.

Contra verò Pater Alexander austerus atque orthodoxus Theologus habetur. Quid ita? Quia in Dissertatione sua sermonis ambiguitatem, & reticentiam omnem apertè impugnat. At idem quo pacto præstat immunem Jacob a mendacio? Nempe, inquit, quòd patri respondendo se esse Esau primogenitum ipsius, non persona, sed specie tenus, non nascendi conditione, sed jure, primogenitum se esse intelligebat. Amabo vos, quid discriminis sententiam inter Patris Alexandri & Jesuitæ interest; nisi quod ille res appellat suis nominibus: amphibolias dicit quæ puræ & putæ amphiboliæ sunt; quæ reticentiæ, reticentias vocat: Pater verò Alexander amphibolias illas impugnando & restrictiones, easdem, quàm fieri potest, apertissimè propugnat: iisque tantummodo appellationem demit adversus quam nunc declamitare mos est.

Mirum interim accidit, quod ex quo move-

tur

tur hæc quæſtio, quæ tãti in moralibus momenti creditur, nemo unus è bene multis, qui mentis ac ſermonis ambiguitates inſectati ſunt, ſcripſerit adhuc quidquam in quo liceat acquieſcere; ubi quæſtionis ſtatum clarè expoſitum liceret cernere; ubi diverſæ hypotheſes evolverentur, vitarentur diſputationes de nomine, ſecerneretur, quod eſt merę theorię ab eo quòd praxim attinet; ubi momenta rationum omnia in bono collocarentur lumine, & earum robora proponerentur, quo librari ſuis ponderibus poſſet quicquid in utramque partem affertur: ubi denique nulla præjudicata opinio valeret, nemo ſive odio partium, ſive ſtudio inductus, judicaret.

Non auſim has diſſertationi meæ dotes tribuerę: verùm anſam fortè peritiori cuipiam alteri dedero aliquid ſcribendi in quod omnes iſtæ confluant. Id quidem certè præſtitiſſe videor, ut rei totius formam ac delineationem ſatis commodè complexus ſim, quam ad hæc pauca revocari ſummatim capita poſſe puto.

1. Amphibolia dicitur propoſitio, quæ varios patitur ſenſus, & quam intelligit qui loquitur aliter, atque intelligendam proſpicit ab illo qui audit. Reſtrictio verò mentis vocatur propoſitio, quæ si æſtimatur è vocibus, falſa eſt; nec vera poteſt evadere, quin adjungatur aliud quidpiam, quod propoſitione non expreſſum mente retinetur. Quæritur utrum amphiboliis & mentis reſtrictionibus sic definitis uti sine mendacio peccatoque fas sit.

2. Non agitur utrum paſſim hoc, & quavis data occaſione liceat. Negant enim id unanimi conſenſu omnes; ajuntque non poſſe uſurpari eas

abſque

absque peccato, ubi religio, justitia aut caritas aliquatenus læduntur: quinimo etiamsi hæ virtutes tutæ ab omni prorsus periculo essent, non debere tamen adhiberi nisi ob causam graviorem aliquam; cum adversentur Christianæ simplicitati, quandiu non præponderantur valentiori aliqua ratione, cujus beneficio ab istis ambiguis loquendi modis fraus & dolus amoveatur.

3. Examinandum sedulò, an exempla Scripturæ, & loca quæ hic proferuntur, magnas & legitimas non moveant difficultates.

4. An non Augustinus maximè, ut alios taceam, ambiguorum verborum doctrina & mentis restrictionum usus fuerit in iis Scripturæ locis explicandis: aut certè an ex ea ratione, qua illos explicat, colligi & sumi tanquam verum possit, ipsum ea doctrina usum esse.

5. Videndum, quo exponi & purgari pacto queant dicta factaque Sanctorum Athanasii, Fulgentii, Felicis Nolani &c.

6. Utrum casus de Confessario, de arcano quod vel publicæ rei commodum, vel ipsa natura servari præcipiat, de interrogato item reo ab Judice qui legitima auctoritate non sit praeditus, & alia ejusmodi, solvi possint absque amphibologiarum usu & restrictionum.

7. Utrum, si semel ponatur tanquam verum, ut videtur constare ex istorum casuum decisione ac rationibus cæteris quibus ambiguorum systema nititur: si ponatur, inquam, nihil in iis inesse per se mali, quemadmodum contineri in mendacio liquet; utrum, hoc semel concesso, mihi non liceat iis uti, quando commodum vel proximi vel meum justũ ac legitimũ a me po-

stulat ut veri aliquid reticeam. Tum utrum tradita a Patre Condreno regula in suo illo systemate de Fictione, traduci ad amphibolias non possit:

8. Denique, an non diversa hoc in genere systemata eodem, quoad praxim, recidant, sivè quod inventum est a Patre Condreno de Fictione, sive quæ ab aliis, de figuris hyperboles & ironiarum, aut *de sensu formali ac præciso*. An non contrà systema amphiboliarum possit iisdem ac reliqua alia temperari modis & exceptionibus. An nō re ipsa, qui tale systema propugnant, hanc ineant rationem. Utrum demum varia hæc inter se comparata systemata, præter vocum diversitatem, habeant quo inter se discrepent.

Saltem existimo ex hac nuda difficultatum, quas eo in genere recensui, enumeratione, & angustiarum quibus Theologi, quoquo se verterint, premuntur, efficiendum esse ut æqui rerum æstimatores quotquot sunt, persuasum habeant beno multos de rebus audacter disserere quas neutiquam exploratas habent; eosque non reperturos facile quid responderent, si vel quæstionis status ab iis postularetur, cum fidentissimè pronunciant, aut liberrimè jocantur.


Paschalis hæc non mediocris dexteritas fuit, ut res delibaret tantum, nec proponeret spectandas Lectoribus, nisi qua parte ipsis facilius imponerent. Si funditus explicuisset omnia, non tam multos risores habuisset.

Verum ars ipsa illa & ratio quæstiones Theologiæ difficillimas perfunctoriè tractandi, præsertim si accedant aliundè præjudicia bene multa, nonne legitimam Theologis, quos Pa-
scha-

ſchalis oppugnat, anſam præbent utendi Auguſtini verbis, quibus in occasione haud absimili sic loquitur. *Nihil eſt profectò temeritatis pleniùs quàm... librorum ſententiam requirere ab iis qui conditoribus librorum atque auctoribus acerbum, neſcio qua cogente cauſa, bellum indixerunt.* Auguſt. lib. de utilit. credendi cap. 6.

An non & iſtæc alia pari jure poſſent ſubjungere, quæ idem Sanctus Manichæis ætatis ſuæ occinebat, qui ſententias Catholicis abſurdas ideò affingebant, ut ſarcaſmis eos ſuis & maledictis liberiùs proſcinderent? *Deſinite, inquit, errare... in has enim atque hujuſmodi nugas graviter copioſeque invehi ſoletis. Quare nos invectio veſtra non tangit, ſed aniles quaſdam vel etiam pueriles opiniones, eo ineptiore quo vehementiore oratione, percellitis; qua quiſquis movetur & ad vos tranſit, non Eccleſiæ noſtræ damnat diſciplinam, ſed eam ſe ignorare demonſtrat.* *Lib. 1. de moribus Eccleſ. Cath. c. 10.*





SPERASTIS IN CALVMNIA ET TVMVLTV, ET INNIXI ESTIS SVPER EO.

Isaiæ xxx.

San-

SAnctiss. D. N. Innocentius Papa XI. quum propositiones non paucas ad morum doctrinam pertinentes Decreto suo die 2. Martii 1679. edito prohibuit ac damnavit, eas prohibere se ac damnare professus est sicut jacent, hoc est, acceptas ut earum verba sonant, nō ut sunt in authorum, unde excerpta sunt, libris: sive ibi probum ex contextu, sive pravum sēsum obtineāt. Quamobrem horum auctor Dialogorum officii sui esse duxit Lectorem admonere, si quādo ex iis aliquas meliorem in partem interpretatus est, ex. g. Vasquesii de eleemosyna propositionem, non eas à se acceptas fuisse sicut jacent, sed ut sunt in ipso Theologorum textu, in quo satis scitè temperantur. Contra verò, quæ est ipsius in Sanctam Sedem reverentia, propositiones omnes, in quacumque versentur materia, damnatas, juxta Sanctiss. Pontificis mentem, sicut jacent, à se pariter damnari sanctè profitetur.

IN-

INDEX.

ER-

ERRATA.

Pagina 20.*ad marg*. De Morè. *lege*. De Metè, *pag*.23.*ad marg*. De Sable. l. De Sablè. p. 60. v. 15. Episcopus. l. Archiepiscopus. p.80.23. atat l. at at. p.82. 15. attingunt. l. affingunt. p. 119. ad marg. Maldenus. l.Malderus.p.145.1. Wendroxius. l.Wendro*k*ius. p.146.19.Apostolis. l.Apostoli. p 196. 13. Congregatione. l. Congregatione. p.198.1. eum. l. cum. p.244.26.proposira.l. proposita. p.255.*ult*.ut.l.eo.p.264.32.*post* benigne *adde* adhibeant. p. 267. 2. exereendam. l. exercendam. p. 279. 18. principii. l. principiis. p.303.3. diverriculo.l.diverticulo.p.314.31.fieri. l.fieri. p.332.28.placet.l.patet.p 358.4.Christinæ. l.Christianæ. p.360.23. promiseve. l.promiscue.

Sunt & alia non pauca, levioris tamen momenti, menda, quæ quidem pro sua æquitate, ac doctrina condonabit de facili Lector humanus, ac per se ipse restituet.

5-4







